LIOTECA NAZ.
XIV
C
4
NAPOLI

XIV.
C.
4.

BLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XIV.
C
4
NAPOLI

IOSEPHI GIBALINI

E SOC. IESV THEOLOGI,

Diſquiſitiones Canonicæ

DE CLAVSVRA REGVLARI,

Ex Veteri, & Nouo Iure:

Operis de Scientia Canonica ſpecimen.



LVGDVNI,

Sumptib. Hær. PETRI PROST, PHILIPPI BORDE, & LAVRENTII ARNAVD.

M. DC. XLVIII.

CVM SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISSIMO
ET REVEREND. PRINCIPI
ALPHONSO-LVDOVICO
DV PLESSIS
DE RICHELIEV,
S. R. E. CARDINALI
AMPLISSIMO,

ARCHIEPISCOPO ET COMITI Lugdunenſi, Galliarum Primati, Magno Franciæ Eleemoſynario.

NOVVS hic fœtus ambit lucem Purpuræ tuæ, quia tuus eſt, (CARDINALIS EMINENTISSIME) ad vocem iubentis Eminentiæ tuæ, cœpit & adoleuit, geſtiens eandem habere obſtetricem ſui, quam prodigia vitæ tuæ, tibíque tot præſtare argumenta obſequij mei, quot apices includit. Neque ve-

rò ſperare potuit magis propitium lumen, quàm tuum; cuius radiis illuſtrari gaudet orbis noſter; videt te Solem eſſe ſacrum Gallicani Cœli, tot Antiſtitum Primas, omnibus illuces ſplendore vitæ tuæ, tot infulatos Proceres Regis moribus tuis, iiſque minus dignitate Præſides quam meritis; Principem in cœtibus ſacris te agere cognoſcimus ex beneficiis, tranquillitas Eccleſiæ noſtræ, tantæ dignitatis præconium eſt, & Panegyris meriti tui, quod in eo ſolo palmas Religio metat, vbi prius impietas triumphabat. Tu nempe virtutum luce circumfuſus ſapientiæ radios vbique ſpargis, aſſident illæ tibi domeſticæ, blandiuntur purpuræ tuæ, cuius patrocinio tibi quotidie vincunt; geſtiunt hoſpitari in ſacrario mentis tuæ in qua numini Auguſtale dedicaſti; tuo fulgore lumen ſuum augeri gloriantur, illas enim maiores facis, & auguſtiores, neque tam illarum præſentia, quam illæ factis tuis creſcunt. Obſtupuit ad illud ſpectaculum Romanus orbis, qui nouum in te theatrum vidit, in quo virtutes omnes gloriæ tuæ partem exhiberent. Coluit in moribus tuis ſanctitatem Præſulum, quibus aras olim erexit, Heroum in te magnitudinem, & gloriam deprehendit, quibus triumphos decreuit: Eminentiam vitæ tuæ ſuſpexit,

ſpexit, quæ ſupparem te beatis efficeret, Magnos Pontifices in te omnes ſpirare credidit, quia eorum vitam in tuis factis legit; Pontificem te optauit, vt orbem ſuum tua ſanctitate conſecrares; ſed tanto beneficio frui debuit Gallicanus orbis, lucem purpuræ tuæ Lugdunum depoſcebat, quam toties opificem ſuæ fœlicitatis eſſe ſenſit, beas enim omnes curis tuis, ad præſentiam tuam nobis nocere deſinunt mala, reueretur aſpectum tuum cladis, momenta vitæ tuæ, nouis beneficiis diſtinguis;in iis documenta ad virtutem videt ciuis, omnes in tuis moribus Canones legit, omnia in factis audit oracula,omnes in exemplis tuis addiſcit leges, ſapientiæ; ne quis te publicum bonum eſſe dubitet, ad Virgines etiam ſacras munificentiam tuam refudiſti; vt clauſtris incluſa ſanctitas curæ tuæ beneficium foret. Ego magnam partem capio tantæ beneficentiæ, Eminentia tua ſe toties ad me demiſit, pretium fecit laboribus meis, perhumaniter admiſit in Auguſtale ſapientiæ ſuæ, in quo propius ſpectaculum illud contemplarer, quod fama ſua orbem Chriſtianum impleuit, reueritus ſum in eo virtutes,quæ tibi ſeruiunt, inſpexi omnes cum ſuis radiis ſcientias illuſtrem in te academiam componere in qua do-

ctor es Laureatus, viuunt intra te omnes ſapientes, loquentes in verbis tuis audimus Patres, admiramur Concilia quoties ſubortas contentiones componis; fatemur omnes in te virtutes & ſcientias confluxiſſe, quæ partibus ſuis magnitudinem aliorum efficiunt, non alia tibi Panegyris eſſe debet, quàm vita tua, quæ omnem Oratorum facultatem vincit. Patiere tamen (CARDINALIS EMINENTISSIME) pro tua humanitate iſtud tibi appendi anathema gratitudinis, tot beneficiis, æterna obſequia, amori tuo & beneuolentiæ, hunc operæ meæ fœtum, & quidquid eſt mei tibi conſecrari.

Eminentiæ tuæ

Addictiſſimus & humillimus
in Chriſto ſeruus

IOSEPH GIBALINVS.

Lugduni Kalend. Septembr. anno 1648.

EMINENTISSIMO CARDINALI CARMEN.

RICHELII *ſupplex illuſtrem nominis vmbram,*
Si pateris (magne Auſonij Collega Senatus,
Et nunc ſola ſuper melioris gloria regni)
Relligio petit, & poſtes implorat amicos,
Sub titulis ſecura tuis. Quid enim illa prophanis
Succenſos odijs nequeat ridere furores,
Si præbere ſacrum non dedignabere nomen,
Quod populos, Regéſque beat: quod cognitus orbis
Aut domitus timet, aut bello defenſus adorat:
Et cui nunc, ſpatium ſineret ſi longius æui,
Deberet ſemper fugientem Gallia pacem.
Atque hæc Pleſſææ decora immortalia gentis
Omnibus admirans extollet gloria linguis:
Quæ cupidi poſthac certent memorare Nepotes
Humanâ maiora fide, diſiecta Potentum
Conſilia, oppreſſos annoſo Marte rebelles,
Principis erectos faſces, delubra tonanti

Reddi

Reddita, vix quatuor tot noxia ſæcula luſtris
Emendata, fugam iuſſos celerare Britannos;
Ticinúmque hoſti, ſanquintinúmque repenſum
Sæpiùs, & vetitos Europam haurire Philippos.
Quod niſi te ſacras animus flexiſſet ad artes,
Exoſámque Aulæ fumos, bellique tumultus,
Ipſe Deus peteret diuina ad munia mentem,
Magnus adhuc nobis maiore in fratre ſuperſtes
Viueret ARMANDVS, *neque nunc ſperaret Iberus.*
At quamquam ſibi te ſummũ malè grata Miniſtrũ
Francia non meruit; nec pacem, aut prælia tractas;
Non tamen in ſeros ibit tibi fama minores
Deterior: venies exemplum grande futuris,
Præſulibus, placidæ nimium non credere ſorti,
Et citra ingentem fortunam adſtringere vota.
ARMANDVM *reliqui vinclis ac mole prementem*
Mirentur maria, aut Alpinos milite montes
Rumpentem exiguo, aut quæ pars ſuprema laborum,
Poſt magnum imperium, & ſpatioſi corporis hoſtem
Oppugnatum armis vltro, poſt reddita ſceptra
Luſiadi, exutámque tuis te, Barcino, vinclis
Vicino implentem trepidum terrore Madritum.
Inſcribet memores non impar gloria faſtos
Inter opes & legitimos ALPHONSVS *honores*
Contentus virtute ſua, non gratia Regum,
Non celſas nata ambitio ſubuertere mentes
Inflexere virum: vidit certantia circum

Magna

Magnatum obſequia, atque Aulam ſeruire paratã,
Poſcentéſque regi populos: ſed vidit eodem,
Quo ſapiens vellet fugientia cernere vultu.
Illi RICHELII *nihil indulgentia fati*
Permiſit, verſi facies nihil altera regni
Eripuit, ſimiles vtroque in tempore mores,
Par animus, ſolâ virtus ſe conſcia niti,
Nec docile ex Aula minui, vel creſcere pectus.
Viue precor, tantúmque diu decus aſſere mundo
Degeneri, viuat per te pietáſque, fidéſque
RICHELIDVM, *lætíſque tegi ſperantia rebus*
Flagitia exemplo longum præſente refuta.

PHIL. MORINVS S.I.

Erudito Lectori Monitum.

DIV *eſt, mi Lector, quod grande opus molior, aggreſſione ſpecioſum; ſed exitu tardum atque anceps, Scientiam Canonicam ambitioſo, ſed vero nomine placuit appellare. Animus enim eſt totam Canonum, & ſacræ Politiæ, hoc eſt totius naturalis, diuini, Eccleſiaſticique iuris tractationem ita complecti; vt quidquid immenſo ferè eius continetur ambitu, & maximè quæ in toto corpore ſacri Iuris ſparſa vagantur; ad certa & indubitata principia reuocem; atque ex illis deinde quæſtionum ſingularum explicationem ſcientifica methodo eliciam, & nobiliſſimam cognitionem quam nobis hactenus, vt artem quamdam Forenſem plerique tradiderunt, inter ſcientias noua quadam Apotheoſi conſecrem. Suas enim apodoxes, & demonſtrationes & ipſa habet; atque adeo conſtantes, cauſas, & firma principia: quamuis enim ea ſæpiſſimè tractet, quæ ex mero Principum arbitrio ſancita ſunt, & quæ aliter probè inſtitui quandoque potuiſſent, cum tamen quæ ſancita ſunt, rationi conſentiant, hæc ipſa ſanctionum cum ratione conſenſio concludi ex aliquo certo principio & ſtabili poterit; imò etiam quod interdum contraria ſanciri potuerint docebit euidens aliqua ratio. Quid verò poſita ſemel lege faciendum ſit, quidve in ſingulis caſibus, ac circunſtantiis ſequatur æquè ni fallor per veras cauſas demonſtrabitur; neque enim hæc omnia pendent amplius ex hominum arbitrio, ſed ex ipſis rerum naturis, & eſſentiis. Poſſunt quidem Principes legem aliquam condere, aut refigere; vt verò cum recta ratione conſentiat, aut diſſentiat efficere non poſſunt. Nam ſicut artefacta ſuas naturas & proprietates, at-*

que

que regulas quibus aptè, & concinnè fiant, ſortiuntur independenter à voluntate, & conſilio artificis, qui ita eas regulas excogitauit, vt ab illo non nanciſcantur ſuam aptitudinem. Quamuis enim vellet eſſe inceptas, aptæ tamen forent, & licet eniteretur alias quaſdam aptas eſſe, ineptæ tamen perpetuò manerent. Non ſecus varia hominum inſtituta moralia, atque politica hominibus quidem ita edicentibus exiſtunt; ab iis tamen ſuas deinde naturas, & proprietates minimè retinent, neque facere illi poſſunt, ne aut rectè inſtituta non fuerint, aut ſuas natiuas proprietates non obtineant. Quamuis alia quædam inſtituāt. Hæc igitur omnia ad ſuas fixas & neceſſarias cauſas, atque prima principia reducere circa ius Eccleſiaſticum contendimus. Atque ita ſcientiam quamdam Canonicam nouam, an veterem tui Iudicij fuerit cudere cogitamus. Hoc tamen pridem meditatum opus, nondum extundere & repræſentare licuit, alia enim ex aliis negotia vt in communi, & actuoſa vita, quæ ex alienis imperiis tota ducitur ferè contingit, ſcriptionem ſæpius interrumpere coëgerunt. Adde immenſam rerum ſiluam quæ tractandæ ſunt; nam omnia Iuris naturalis principia, diuini, humanique ſanctiones, veterum mores, & antiqua diſciplina, rerum geſtarum monumenta, annales Eccleſiaſtici, Pontificum ſcita, Conciliorum Canones, priſci ritus, Theologorum placita, Caſuiſtarum, & Canoniſtarum ſenſus, innumeraque alia perſcrutanda ſunt, vt ex iis omnibus, pronunciata vniuerſalia & regulas conſtituam, ad quas deinde actiones ſingulas exigam, earumque bonitatem, aut prauitatem definiam; eaque ratione Canonicam ſcientiam, per omnes hominum mores, inſtituta, & actiones latiſſimè fuſam tibi concinnem, omniumque illorum intelligentiam & firmam, atque apodicticam rationem tradam. Neque dumtaxat in quoſdam titulos, & veluti faſciculos nullo alio ordine conſtitutionum Eccleſiaſticarum lacinias digeram; quod vnum pleroſque rerum iſtarum tractatores, & Iuris commenta-

mētatores præſtitiſſe videmus, qui ferè nihil aliud quæſiere quàm quod primus verborum cortex indicaret, tam inſulsè quandoque, vt mirari ſatis non poſſis doctos homines adeo ſplendidè ſomniaſſe tanta antiquorum morum ignorantia, & rerum geſtarum inſcitia, vt à ſenſu Conciliorum, & Patrum longiùs aberrarint, & legum ſacrarum ſcita ineptiſſimè fuerint interpretati, tam pugnanti inter ſe diſſenſione, vt in ſumma eáque perpetua opinionum inconſtantia & incertitudine mens eruditi licet Lectoris nullo certo loco conſiſtere poſſit, aut aliquid in alterutram partem pronuntiare, nempe quia in inueſtiganda ratione qua legum æquitas, aut neceſſitas oſtenderetur parum omnino Doctores illi laborarunt, & vix vniuerſaliorem doctrinam, & communia principia ex quibus ſingulares quæſtiones dirimerent tradiderunt. Quæ cauſa fuit, vt magnum aliquid animo conciperem, & conſilium inirem, quæ in aliis damnabam emendandi, atque ſcientifica ratione hæc eadem pertractandi. Sed hæc vt vides differendi methodus & liberiorem à curis animum, & vacuum ab occupationibus tempus prorſus requirit. Ne longiori tamen operis huius expectatione amicos vexarem, & ipſorum penè quotidianis conuiciis me eximerem, placuit aliquod tibi illius ſpecimen hac occaſione exhibere. Quid vetus, nouáque diſciplina de Sanctimonialium clauſura ſtatuiſſet hactenus paucis abhinc menſibus non indiligenter collegeram, EMINENTISSIMI CARDINALIS LVGDVNENSIS ALPHONSI RICHELIÆI, ſuauiſſimis imperiis obſequutus, vt enim ille Gallicani cleri caput, & exemplar eſt, ita omnis Eccleſiaſticæ diſciplinæ retinentiſſimus exiſtit eóque impenſius ſacrarum Virginum cœtus curat quò earum ſublimior eſt gloria, & illuſtriorem gregis Chriſti portionem efficiunt, Cyprianum, Ambroſium, alioſque priſci, & aurei æui præſules æmulatus, quos vnus omnes hoc infœliciſſimo, & ferreo ſæculo nobis repræſentat. Viro igitur Principi rem non ingratam me facturum, & pridem

obſtrictam amicis fidem aliqua ex parte liberaturum exiſtimaui ſi totam hanc de clauſura regulari materiam accuratius retractarem, & non de ſacris dumtaxat Ginæceis, ſed de virorum quoque regularibus clauſtris diſputarem ſolemni noſtra, & ſcientifica methodo. In primis enim rei naturam & inſtitutionem explico; deinde vnam, aut alteram, aut etiam plures vniuerſales propoſitiones, & veluti principia pono, atque ratione, vel naturali, vel Theologica confirmo; & cum ex iure poſitiuo pendent ex veteris Eccleſiæ, atque nouæ decretis ita confirmo, vt illorum intelligentiam non ex vulgari commentatorum interpretatione dumtaxat, ſed ex priſcis moribus, ſacris Annalibus; Patrum, & ſcriptorum illius æui monumentis, aliiſque huiuſmodi eruam; tum earumdem Eccleſiaſticarum ſanctionum æquitatem, & cum ratione cōſenſionem demonſtro; atque ita doctrinam vniuerſalem in noſtris propoſitionibus explicatam certa, & indubitata principia in ea materia continere quantum aſſequi licet euinco. Denique ex vniuerſali propoſitione ſic confirmata, & ſtabilita ſingularum controuerſiarum ſolutiones conficio, quæ certæ, & euidentes non eſſe non poſſunt cum ex certis, & euidentibus principiis certò & euidenter deducantur tum vi materiæ, tum vi formæ vt loquuntur. Authores ita adduco, vt potius ipſorum rationibus quam auctoritate mouear; diſſidentes itaque ſententias ferè tantum commemoro, ne quid ſinguli docuerint ignoretur. Quid enim ſentiendum ſit ſtatim ex principio poſito conſtabit, & inutiliter circa eiuſmodi diſſidia inſtitueretur diſputatio, vbi veritas firmo ratiocinio, & argumentatione ex vniuerſali doctrina deducta ſpectandam prepè cæcutientibus ſe exhibet. Stylum neque laciniosſum, & diffluentem; neque ſubſtrictum, & preſſum ſed facilem, perſpicuum, & æquabilem; neque barbarum, neque nimis cultum, ſed Romanum habebis. Hoc igitur exemplum, aut laciniam grandioris operis beneuolo animo excipe, & vt ipſum, et opus ad exitum aliquando perducam vehementer incitabis.

ALTE

ALTERVM MONITVM

De Authorum citatione, Conciliorum explicatione, digreſsionibus & Prali erratis.

NOLVI pretium huic operi facere præfixo illuſtrium Authorum, quos adduxi, nomine & indice, quem aliqui ad inanem, & inutilem, vt mihi videtur, pompam texere ſolent, ex aliena plerumque fide: nos ita creduli non ſumus, vt aliorum longas citationes exſcribamus, fontes non riuos ſectari ſemper placuit, quamuis aliud tibi perſuadere fortaſſis poſſent inuerſa, & deformata authorum quandoque in hoc opere nomina, quod pro tua humanitate facilè librariorum, aut operarum incuriæ, & non noſtræ inſcitiæ tribues: neque enim nos ipſos fugit ea nominum peruerſitas, quam tamen emendare abſentibus non licuit, quod vnum licet modò: illam indicamus non ſine querelis.

Scripſerunt igitur mendosè *Valfridus Sribo* pro *Strabo. VVolſengus* pro *Voltfango. Moſcophulas* pro *Moſchophulus.* Ioannes *Recomenſis*, pro *Reomenſis. Mareul* pro *Marculpho. Hotoniano* pro *Hotmano. Lyran* pro *Layman.* Acurte *de iure patrimonij* pro *de iure patronat. Canonem* pro *Canone*, *Cedinum* pro *Codino. Sulpitium in Decalog.* pro *Dialog Solem.* pro *Solonio. Aſtienſem* pro *Aſtenſi.* Benedictum Amanum pro Aniano, Dionyſium de eccleſiaſtica *Euchariſtia* pro *Hierarchia. Columbani potentiale* pro *pænitentiali. Iulium Clarum* pro *Claro, Conſertium* pro *Confectio. Bollandum* pro *Bollando, Panormitanum* pro *panormia* Iuonis opere nobiliſſimo, *Baſilium pro Baſilicu*, Leonis *Palludium* pro *Palladio, Godefridum Vindoemenſem* pro *Vindocinenſi. Concilium Treſleianum* pro *Troſleiano. Ementenſe* pro *Emeritenſe*, Aruenienſe pro *Aruernenſe.* Conuentum Altiniacenſem pro Attiniacenſi, *Barudatum* pro *Barodato. Librum* pro *lege. Verſum* pro *verbo, quaſtionem* pro *parte, Cobetam* pro *Corbeia. nitritam* pro *Nitria, Abbatem priorem* pro *Priore*; aliaque ſimilia, quæ erudito lectori facilè fuerit emendare.

In referendis Conciliis non indiligentes fuimus: non enim aliunde vetus diſciplina Eccleſiaſtica certiùs, quàm ex antiquis Patrum Regulis colligi poteſt; in his tamen pleraque priſcos ignoranti mores occurrunt obſcuriora; ideóque inutiliter ſæpè afferuntur, cum & quod quæritur, minimè probent, & aliquando aliud omnino velint. Nos ita ſanctiones illas adducimus, vt ſi quid in ipſis appareat difficultatis, ex æui illius rebus geſtis, & monumentis atque ſolemni vſu explicare conemur. Quam ob cauſam videmur interdum à via deflectere, ſed ad illam facili & breui compendio poſt fœlices errores commodiſſimè redimus. Nonnulla porrò eſt in diuerſis editionibus confuſio Canonum, & diuerſitas in numerandis eiuſdem loci Conciliis: ideóque Principem, aut Pontificem, quo imperante coacta ſunt, aliquando laudamus, aliàs annum ipſum conſignamus, aliàs numeri notam, quam communes editiones habent.

Pauciſſima ex Gratiani decreto afferimus. Cùm enim ex ipſis fõtibus noſtra hauſerimus, maluimus illos indicare, quàm canales, per quos ad nos deriuantur, ſectari. Itaque licet eædem ſanctiones à Gratiano in ſuam collectionem congeſtæ fuerint; eius tamen loca, quæ paſſim obuia ſunt, non annotauimus, niſi aliquid in illo, aut emendandum, aut illuſtrandum fuit, aut alibi vix decreta illa reperiuntur. Ex Decretalibus verò, Clementinis, & Extrauagantibus deſignamus eas, quas alibi integras nanciſci non potuimus. Recentiorum Pontificum conſtitutiones ex Bullario notauimus.

Quia verò, vti iam præfati ſumus, veterem, nouámque diſciplinam aperimus, neceſſe fuit aliquando digredi, quod æqui, bonique conſules: qua de cauſa de ſtructura antiqua monaſteriorum, de morbis Epidemiis, de Monachorum pœnis, & de veteris Eccleſiæ pœnitentiis diſputauimus Et denique tota tertia diſquiſitione de variis Monachorum inſtitutis atque ſolemni pœnitentium ſtatu plurima tractauimus, quæ legiſſe fortaſſis non pœnitebit.

Præli Errata ſub finem habebis, quamuis dum vnum erratum emendare volunt aliud commiſerint operæ. Legendum enim eſt, αὐτοθυμαστικαῖ, & non αὐτοθυμασυοῖς, vt emendari voluerun

SYLLA

SYLLABVS OPERIS.

Diſquiſitiones Canonicæ de clauſura Regulari.

DISQVISITIO I.

Canonica de clauſura Sanctimonialium. fol. 4

CAP. I. AN, *quando, & quo iure inducta ſit monialium clauſura.* 4

Prima propoſitio, expoſitio, & confirmatio propoſitionis. 4

§. I. *Clauſura monialium non eſt de iure diuino, aut naturali.* 4

2 *Eccleſia monialibus egreſſum è monaſterio prohibuit.* 5

3 *In monaſteria Monialium, lege Eccleſiaſtica prohibetur ingreſſus.* 9

4 *Secunda propoſitio, potuit Eccleſia clauſuram Monialium ſuis legibus ſancire.* 14

Expoſitio, & confirmatio propoſitionis.

5 *Tertia propoſitio. Sapienter Eccleſia clauſuram monialibus imperauit.* 16

Confirmatio propoſitionis.

6 *Conſectaria, ex doctrina tradita.* 19

CONSECTARIVM I. *Cuius ſit indicere clauſuram monialibus.* 19

2 *Quam poteſtatem contulerint Epiſcopis conſtitutiones pontificiæ, & Tridentini circa clauſuram monialium.* 19

3 *Ad quid teneantur Principes circa clauſuram Monialium.* 22

4 *An conſuetudo poſſit derogare clauſuræ.* 23

5 *An vbi conſuetudine derogatum eſt clauſuræ; aut decreta, &*

ẽ 3 leges

leges de ipſa recepta non ſunt, aut iam antiquatæ, clauſura induci poßit. 24
6 *An quæ vouent clauſuram magis ad illam obligentur, quam cæteræ Moniales.* 25

Capvt II.

Quinam ſint clauſuræ limites. 25

§. 1. *Antiqua monaſteriorum ſtructura.* 25
2 *Oratorium monaſterij quale eſſet.* 28
3 *Quid eſſet clauſtrum; quis eius vſus.* 32
4 *Dormitorium.* 34
5 *Refectorium.* 35
6 *Aliæ monaſterij interiores partes.* 37
7 *Exterius monaſterium.* 39
8 *Variæ partes exterioris monaſterij.* 40
9 *Cella hoſpitum.* 40
10 *Domus pauperum.* 42
11 *De ſchola.* 42
12 *Domus ſeruorum.* 46
13 *De auditorijs Sanctimonialium.* 47
14 *Quidnam eſſet pulſatorium.* 48
15 *Quid ſalutatorium.* 50
16 *Definiuntur clauſuræ limites.* 51
17 *Conſectaria ex doctrina tradita.* 52
Consectarivm I. *Nullus eſt locus communis, aut veluti medius in quem ſine violatione clauſuræ conuenire poßint Sanctimoniales, & externi.* 52
2 *Non licet Monialibus aut exteriorem Eccleſiam adire, aut externam monaſterij januam, aut domos monaſterio contiguas.* 53
3 *Monialis quæ intra rotam voluitur ad locum externis patentem violat clauſuram* 55
4 *Monialis tegulas monaſterij aſcendens aut eius muro inequitans non violat clauſuram.* 55
5 *Monialis extra monaſterium habitans non violat clauſuram*

ſi exeat è domo in qua habitat. Vnde alij caſus ſingulares explicantur. 56

CAPVT III.

Quænam Sanctimoniales clauſuræ præcepto obligentur. 58

§ 1. *Propoſitio vnica.* 58
Expoſitio, & confirmatio propoſitionis.
2 *Conſectaria ex doctrina ſuperiori.* 61
CONSETARIVM I. *An conuerſæ Moniales obligentur lege clauſuræ.* 61
2 *An Sanctimoniales tertiariæ legibus clauſuræ obligentur.* 63
3 *An conuertitæ, & pænitentes clauſura teneantur.* 63
4 *An Canonicæ ſæculares teneantur ſeruare clauſuram.* 64
5 *An obligentur oblatæ ad clauſuram licet collegialiter viuant.* 68
6 *An Beguinæ teneantur clauſura.* 70
7 *An quæ in Congregatione approbata viuunt, teneantur clauſura.* 71
8 *An quæ profitentur vt maneant in proprijs domibus obligentur clauſura.* 71
9 *An Sanctimoniales alicuius Religionis ſolis votis ſubſtantialibus, conſtantis, obligarentur ad clauſuram.* 71
10 *An nouitiæ Sanctimoniales clauſura obligentur.* 72
11 *An Monialis poſſit profiteri ea lege, vt clauſura non teneatur.* 73

CAPVT IV.

Quibus perſonis prohibeatur ingreſſus in monaſteria Sanctimonialium. 73

§. 1. *Propoſitio vniuerſalis.* 74
Expoſitio, & confirmatio propoſitionis.
2 *Conſectaria ex doctrina vniuerſali tradita.* 74

CONSEC

CONSECTARIVM I. *An Reges, & Reginæ eorúmque filij, & filiæ poſſint ingredi monaſteria Monialium.* 74
2 *An Fundatrices poſſint ingredi monaſteria Monialium.* 75
3 *An Monialis poſſit ingredi alienum monaſterium.* 76
4 *Pueri & puellæ ante vſum rationis non prohibentur ingreſſu monaſteriorum.* 77
5 *Moniales, amentes & fatuos in monaſteria ſua admittentes peccant.* 78

CAPVT V.

De licentia Monialium egrediendi è monaſteriis, & externorum in illa ingrediendi. 79

§. I. *Quis dare poſſit iſtam licentiam.* 80
Propoſitio vniuerſalis.
2 *De licentia egreſſus è monaſterio.* 80
3 *De licentia ingrediendi monaſteria Monialium.* 84
4 *Qualis ſit iſta licentia, & quomodo concedatur.* 86
Propoſitio vniuerſalis. ibid.
Expoſitio, & Confirmatio Propoſitionis.
5 *Conſectaria ex doctrina Superiori.* 88
CONSECTARIVM. I. *An Præpoſita Sanctimonialium poſſit dare licentiam exeundi è monaſterio, aut in illud ingrediendi.* 88
2 *An quando non licet Superiorem adire Abbatiſſa poſſit dare licentiam ingrediendi monaſterium; an ea facultas illi delegari poſſit, & an eius conſenſus ſit neceſſarius.* 94
3 *An quilibet, & ſolus monaſterij Prælatus poſſit licentiam in illud ingrediendi concedere.* 96
4 *An vicarius generalis Epiſcopi poſſit cauſam egreſſus approbare, & iſtas licentias dare.* 96
5 *An Capitulum ſede vacante poſſit has licentias concedere.* 99
6 *An Prælatus qui poteſt aliis facere licentiam ingrediendi monaſteria Monialium, poſſit illam ſibi ſumere.* 99
7 *An ſi Epiſcopus nolit approbare iuſtam cauſam egreſſus Monialis, poſſit illa nihilominus exire.* 101

8 *An*

8 *An iniuſtè negata licentia à Superiori, fas ſit Moniali è monaſterio exire, aut aliis in illud ingredi.* 101
9 *An quando vrgens neceſſitas non patitur adire Superiorem ad obtinendam licentiam fas ſit Moniali exire è monaſterio, & aliis in illud ingredi.* 102
10 *An in caſibus ordinariis, & manifeſtis licentia ingrediendi monaſterium ſcripto tradi debeat.* 103
11 *An facultas dandi licentiam egreſſus, aut ingreſſus in monaſteria ſcripto tradi debeat.* 104
12 *An cauſa licentiæ exiſtente legitima, omiſſio ſcripturæ ſit lethalis.* 104
13 *Quandonam finiatur licentia ingrediendi in monaſterium Monialium, aut ex illo egrediendi.* 106
14 *Caſus ſingulares ex ſuperiori doctrina conſectarij.* 107

Capvt VI.

Quibus ex cauſis liceat permittere Monialibus egreſſum è monaſterio. 110

§. I. *Doctrina vniuerſalis.* 110
Expoſitio, & Confirmatio Propoſitionis.
2 *Difficultas circa cauſam Epidemiæ à Pio V. allatam.* 113
3 *Digreſſio medica de morbis Epidemiis, & contagioſis.* 113
4 *Solutio difficultatis circa mentem Pij V.* 122
5 *Alia cauſa egrediendi è monaſterio à Pio V. allata.* 127
6 *Conſectaria ex doctrina tradita.* 132
Consectarivm. I. *Caſus ſingulares circa morbos propter quos permittendus Moniali exitus è monaſterio.* 132
2 *An quoties Monialis ægrota intra monaſterium ſanari nequit, & extra illud certò ſananda eſt ſolui poſſit clauſura ne pereat, licet morbus non ſit contagioſus.* 136
3 *Caſus ſingulares ex ſuperiori conſectario.* 139
4 *Ad quoſnam caſus ſingulares extendatur cauſa boni communis ad licitum egreſſum Monialis è monaſterio.* 141
5 *Caſus ſingulares in quibus non licet permittere Monialibus exire è monaſterio.* 144

CAPVT VII.

Quibus ex cauſis liceat permittere ingreſſum in monaſteria Sanctimonialium. 145

§. I. *Regula vniuerſalis.* 145
Expoſitio, & confirmatio Regulæ.
2 *Conſectaria ex regula ſuperiori.* 147
CONSECTARIVM. I. *Caſus ſingulares in quibus ratione neceſſitatis totius monaſterij licitus, aut illicitus eſt in illud ingreſſus.* 147
2 *De caſibus ſingularibus in quibus licitus eſt ingreſſus in monaſteria ad occurrendum neceſſitati particulari alicuius Monialis.* 149
3 *An ancillæ, & famulæ intra monaſteria poſſint admitti.* 151
4 *In quibus caſibus externi propter proprias neceſſitates ingredi monaſteria Monialium poſſint.* 153
5 *An puellæ intra monaſterium educari poſſint.* 154
6 *An viduæ, aut fœminæ maritatæ à viris ſeparatæ poſſint in monaſteriis aliquando admitti.* 158

CAPVT VIII.

De pœnis violantium clauſuram. 159

§. I. *Pœnæ Monialium à monaſterio illicitè egredientium, & illis fauentium.* 159
2 *De pœnis violantium clauſuram per ingreſſum.* 162

CAPVT IX.

De acceſſu ad monaſteria Monialium. 166

§. I. *Antiqui mores circa acceſſum ad monaſteria Sanctimonialium.* 166
2 *Iura poſteriora circa acceſſum ad monaſteria Monialium.* 179
3 *An, & quale peccatum ſit accedere ad monaſteria Monialium ſine licentia.* 184

DISQVISITIO II.

Canonica de clauſura religioſorum. 188

CAP. I. AN viris religioſis fuerit imperata aliqua clauſura. 188

§. I. Prohibetur viris religioſis egreſſus è monaſterio abſque Prælati licentia. 189

2 Qualis ſit obligatio religioſorum ad clauſuram. 194

CAPVT II.

De licentia viris religioſis neceſſaria ad exeundum è monaſterio. 201

§. I. Quis dare poſſit licentiam viro religioſo exeundi è monaſterio. 201

2 An licentia facta religioſo à ſuperiore egrediendi è monaſterio requirat aliquam cauſam, & qualem. 203

3 Conſectaria ex doctrina ſuperiori. 204

CONSECTARIVM. I. An Prælatus poſſit permittere religioſo commorari extra monaſteria. 204

2 An Prælatus poſſit permittere egreſſum è monaſterio, aut habitationem extra illud dimiſſo habitu regulari. 210

3 Caſus ſingulares ex duobus proximis Conſectariis. 218

4 An ſuperior poſſit dare licentiam religioſo commorandi extra monaſterium, & dimittendi habitum ad ſuccurrendum parentibus. 222

5 An religioſus poſſit exire è monaſterio ſine licentia ſuperioris, vt ab eius iniuſto grauamine ad maiorem Superiorem appellet. 230

6 An inualidè profeſſo contra ſuam profeſſionem conclamanti liceat è monaſterio diſcedere, aut etiã habitũ dimittere. 234

7 An ſuperior poſſit permittere nouitio commorari extra monaſterium, vel habitum dimittere abſque nouitiatus interruptione. 237

8 Conſultatio Lugdunenſis. An profeſſio Alexij Clerici regularis qui ex licẽtia ſui Prælati totius Ordinis Generalis nouitiatus

tiatus tempore extra conuentum ſtudijs vacauit, valida fuerit. 242

Capvt III.

De fugitiuis è monaſterio, atque Apoſtatis. 247

§. I. *Quid ſit fuga, quid Apoſtaſia.* 247
II. *Conſectaria ex doctrina tradita.* 253
Ex hac apoſtaſiæ deſcriptione, eiuſque à ſimplici fuga diſtinctione.
Consectarivm I. *An habitum dimittens vel occultans ſit apoſtata.* 253
2 *Nouitius, aut vouens in congregatione non religioſa, non ſit apoſtata diſcedendo.* 253
3 *Iniquè diſcedentes à ſocietate Ieſu ſunt apoſtatæ.* 254
4 *Diſcedens à religione, & ſtatim rediens non eſt apoſtata.* 254
5 *An religioſi è carcere, aut triremibus ſine apoſtaſia fugere poſſint.* 255
6 *An Prælati teneantur inquirere, & reuocare apoſtatas.* 256
7 *An Religio debeat alere fugitiuos.* 257
8 *An qui aliam religionem illicitè, & inualidè ingreditur ſit apoſtata.* 257
9 *Quænam ſit apoſtaſiæ malitia.* 259
10 *Ad quid obligentur cooperatores apoſtaſiæ.* 259
III. *De pœnis fugitiuorum, & apoſtatarum ex antiquo iure.* 262
IV. *Pœnæ fugitiuorum, & apoſtatarum ex nouo iure.* 265

Capvt IV.

De expulſis à monaſterio, & ordine. 269

§. I. *Quid ſit eiectio à religione, & quos habeat effectus.* 269
2 *Vetus Monachorum diſciplina in imponendis pœnitentiis ad exemplum clericalis iam allatæ.* 279
3 *Cuius eſſet pœnitentiam imponere.* 280
4 *Leuiorum, & grauiorum peccatorum diſtinctio qualis apud Monachos.* 282
5 *Sola publica peccata punita, non occulta.* 286
6 *Pœna leuiorum culparum.* 289
7 *Excommunicatio, & alia pœna grauiorum culparum.* 294
8 *Pœna omnium grauiſſima eiectio.* 301
9 *Modus excommunicationis, & eiectionis Monachalis.* 304

10 *Modus*

10 *Modus reconciliandi eiectos, & excommunicatos.* 307
11 *Quo iure licita ſit eiectio religioſi profeſsi à religione.* 308
12 *Quis expellere religioſum à religione poſsit.* 313
13 *Quamob cauſam expelli poſsit aliquis à religione.* 314
14 *Conſectaria ex doctrina tradita.* 321
CONSECTARIVM. I. *An Moniales eÿci poſsint è monaſterio & religione.* 321
2 *An liceat expellere à religione eum qui tacuit impedimentum propter quod non fuiſſet admiſſus ad profeſsionem.* 323
3 *An qui ineptus eſt ad obſeruationem regulæ, & omnia religionis officia poſsit expelli.* 324
4 *Religioſus eiectus tenetur ad religionem redire, & ad id cogi poteſt à religione.* 325
5 *An religio cogatur eiectum iam emendatum admittere.* 329
6 *An religioſi eiecti poſsint ſi libeat aliam religionem ingredi, an ad illum ingreſſum teneantur, aut ſaltem cogi à ſuo Superiore valeant.* 330
7 *A quo recipi denuo poſsit eiectus & quomodo.* 333
8 *An eiecti teneantur votis religionis.* 334
9 *Quomodo eiectus à religione teneatur obedientiæ voto.* 337
10 *Quomodo religioſus eiectus votum paupertatis ſeruare teneatur.* 341
11 *Caſus ſingulares ex ſuperiori conſectario.* 344
12 *An religioſus eiectus teneatur ad regulæ, & conſtitutionum regularium obſeruationem.* 347
13 *Caſus ſingulares ex ſuperiori Conſectario.* 348
14 *An religioſus eiectus ad ordines promoueri poſsit, & ad beneficia Eccleſiaſtica.* 350

CAPVT V.

De ingreſſu fœminarum in monaſteria virorum. 351

§. I. *Antiqui mores circa ingreſſum mulierum in monaſteria virorum.* 351
2 *Quid ſtatuat nouum ius circa ingreſſum fœminarum in monaſteria virorum.* 355
3 *Quænam cauſa ſufficiat ad permittendum ingreſſum mulieribus in monaſteria virorum.* 357
4 *Pœnæ in fœminas ingredientes monaſteria virorum, & in viros illas admittentes, aut inducentes.* 360

DISQVISITIO III.

De Aſcetis, Incluſis, tum viris, tum fœminis. 361

CAP. I. *De variis aſcetarum inſtitutis, & incluſorum generibus.* 361

§. 1. *Diuerſa genera Aſcetarum.* 362

2 *Aſcetarũ in Anachoretas, & Cœnobitas adæquata diuiſio.* 363

3 *De Cœnobitis.* 365

4 *De Anachoretis.* 369

5 *Comparatur vita Anachoretica cum Cœnobitica.* 369

6 *An vita Anachoretica ſit perfectior Cœnobitica.* 370

7 *An Anachoretæ eſſent religioſi.* 373

8 *Anachoretarum variæ ſpecies.* 376

9 *Anachoretæ incluſi.* 378

CAPVT II.

De incluſis in monaſteriis. 378

§ I. *De Aſcetis monaſterio incluſis.* 379

2 *De reis, & pœnitentibus ad monaſteria detruſis.* 380

3 *Hos pœnitentes non fuiſſe Monachos.* 385

4 *Detruſio pœnitentium ad monaſteria nihil monaſteriorum ſanctitati detrahit.* 393

5 *De ſolemni ſtatu pœnitentium, & monaſteriorum conuerſis.* 395

6 *Diſcrimẽ pœnitentiæ Canonicæ, & ſtatus ſolẽnis pœnitẽtiũ.* 395

7 *Quinam pœnitentiæ ſtatum ſolemnem, aſſumerent.* 407

8 *Ritus ſumendi ſtatum ſolemnem pœnitentiæ.* 413

CAPVT III.

De Incluſis, Lauritis, & Celliotis. 420

§. I. *Quid eſſent Lauriæ, & quomodo à Cœnobiis differrent.* 420

2 *Ratio viuendi Lauritarum, & Celleitarum.* 425

CAPVT IV.

De Incluſis. 431

§. I. *Origo incluſorum.* 432

2 *De perſonis ſe includentibus.* 434

3 *Cauſæ incluſionis.* 435

4 *Locus incluſionis.* 441

5 *Ritus & modus incluſionis.* 444

6 *Incluſorum vita.*

Concluſio operis.

APPRO

APPROBATIONES.

DISQVISITIONES has Canonicas *de Clauſura Regulari* à R.P. IOSEPHO GIBALINO è Societate IESV, factas verè Canonicas adeóque orthodoxas reperimus; omnibus ergo proficuas prælo mandabit Typographus. Sic] teſtamur nos infrà ſcripti Theologiæ Pariſienſis Doctores Carmelitæ hac die 2. Septembr. 1648.

FR. STEPHANVS MOLIN Carmelita.

FR. PAVLVS LOMBARD Carmelita.

VISA per nos Authentica approbatione & teſtimonio RR. PP. in ſacra Theologia Doctorum, quibus aſſerunt *Canonicas de clauſura Regulari Diſquiſitiones* à R.P. GIBALINO è Societate IESV elucubratas, verè Canonicas & orthodoxas, cenſemus quoque in bonum publicum prælo committendas, Lugduni 2. Septembr. 1648.

DE VILE Prouic. Gen.

CONSENSVS.

EGo Procurator Regius in Præfectura Lugdunenſi conſentio, vt liber inſcriptus in Approbatione præmiſſa, ab HÆR. PETRI PROST, PHILIPPO BORDE, & LAVRENTIO ARNAVD, Bibliopolis Lugdunenſibus excudatur, peculiari licentia ad id ipſis conceſſa. Datum Lugduni die 2. Septembris 1648.

LORIN.

PERMISSIO.

VIſo Procuratoris Regis conſenſu, fiat vt petitur, & ne quis vltra conceſſam facultatem denuò excudat hunc librum prohibemus. Datum Lugduni die 2. Sept. 1648.

DV SAVZEY.

Facultas R. P. Præpoſiti Prouincialis Societatis IESV *in Prouincia Lugdunenſi.*

CLAVDIVS MAVCLER Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. Henrico IV. & Ludouico XIII. conceſſum, quo omnibus interdicitur editione ac diuenditione librorum ab hominibus eiuſdem Societatis conſcriptorum, niſi Superioris conſenſus accedat; annuo vt HÆR. PETRI PROST, PHILIP. BORDE, & LAVRENTIVS ARNAVD, excudant ac diuendant *Canonicas de clauſura Regulari Diſquiſitiones* à R.P. GIBALINO è Societate IESV elucubratas. Scripſi Lugduni 15. Maij 1648.

CLAVDIVS MAVCLER.

DISQVI

DISQVISITIONES Canonicæ.

DE CLAVSVRA REGVLARI.

1. HARVM diſquiſitionum argumentum perſpicuum faciet vocis clauſuræ ſignificatio. Inuitus quidem penitiores ædes luſtrandi auidum te in hoc aditu detineo; vereor enim ne ex ignobili veſtibulo reliqui ædificij dignitatem metiaris. Verum ea Scriptoribus omnibus poſita lex eſt, vt à vocum obſcuriorum explicatione ſua auſpicentur opera; latentem enim in ignotis ſibi nominibus ſententiam, & Scriptoris mentem Lector aſſequi non poterit, neque importuna videri debet grammatica iſta obſeruatio quando vnius voculæ enucleatione totius operis materia continetur, & reliquæ tractationi lux affunditur.

Clauſura igitur ſignificat imprimis illud omne quo locus aliquis cingitur, aut includitur, & qui alicubi ita tenetur, vt illi nullus pateat diſcedendi aditus, aut via, clauſus dicitur ab Vlpiano l. 3. ſi quis, ff. ad Senatuſc. Syllanianum, §. 6. ſubuenitur. Ignoſci enim vult ſeruis qui cædem domini non impediuerint, ſi ſine dolo malo, ita clauſi fuerint, vt erumpere ſuccurrēdi cauſa non poſſent. Eadem eſt & clauſtri ſignificatio, dixitque Tull. omnes ſinus, promontoria, vrbes maritimas clauſtris imperij contineri. Anguſtiæ quoque viarum quæ regionem aperiunt, vt loquitur Curtius, & limites qui illam terminant, deſcribunt, & ſeparant ab aliis, atque obices qui defendunt & tuentur, Clauſuræ, Cluſæ, Cluſuræ, & Cliſuræ nominantur. Extat Epiſtola Theodorici apud Caſſiod. lib. 2. variar. ad vniuerſos Gothos, & Romanos, & eos qui portubus, & cluſuris præſunt. lib. 8. leg. Viſigot. tit. 13. l. 14. quod ſi de domo eius aut cluſura inuolauerit. Suidas confundit κλυσοῦραν ἐμβολὴν, & εἴσοδον, oſtium, clauſuram, aditum, aitque lingua Romana ſic vocari ὀχυρώματα τῶν διαβάσεων, caſtella munita in aditu, aut tranſitu. Apud Cedrenum, & Conſtantin. Porphyrogen. in Chronographia legitur κλεισούραρχης cliſuræ, aut clauſuræ Præfectus, cuius etiam mentio fit l. in

nomine Domini, §.4. C. de off. præfect.præt. Afric. hoc ſenſu lib.5.Capitular. cap. 148. contra immunitatum temeratores, qui dicebant non plus immunitatis nomine complecti quàm clauſtra monaſterij; cætera quamuis ad eaſdem eccleſias, vel monaſteria pertineant extra immunitatem eſſe, definitur non ſolum clauſtra monaſterij, vel eccleſiæ, atque caſtilia eccleſiarum ſub immunitatis defenſione conſiſtere, verum etiam domus, & villas, & ſepta villarum,& quidquid foſſis,aut ſepibus, vel etiam alio clauſarum genere præcingitur,eodem immunitatis nomine contineri. Ideoque damno quod intra eiuſmodi monumenta committitur, immunitatem fractam iudicari; ſecus verò quando fit in locis quæ nullo modo munitione cinguntur. Vallum igitur, foſſæ, ſepes,fores, lora, munitiones, vectes, aliáque eiuſmodi,quibus ambitur, & clauditur aliquis locus, clauſura, clauſtrum, cluſuræ, & cluſæ, atque cliſæ appellantur; vnde etiam Gallicum *Ecluſes*.

2. Per tranſlationem rei cuiuſque extremum clauſura nominatur, Plinius lib.11. cap.45. vngues ſummas neruorũ clauſulas appellat, & quod Tullius epiſtolæ, & fabulæ clauſulam dixit,Turonenſis ſermonis clauſuram nominauit; & quando inquit ſermo clauſuram petit.lib.1. miracul. S.Martini cap.40.S.Bonifacius epiſt. 44. cluſtellum, breuiter ſententiæ cluſtello omnia concludantur.Includere enim perficere,& finire eſt.Tertullian.cap.6.de pœnit.increpat illos qui pœnitentiam includere negligunt, ſiue quod illam diutius protraherent, ſiue quod verius ſuſpicatur Lacerda, ipſaque contextus ſeries docere videtur,illam ſegnius, & minus perfectè agerent; res enim vbi ſuis eſt abſoluta numeris, & veluti vltimis incluſa limitibus, omni ratione perfecta cenſetur. Quos Ieremias cap.29. verſ.2. incluſores vocat, & Hieronym. de incluſoribus auri, atque gemmarum intellexit, Vatablus, Sa,Sanctius,aliique peritos caſtrametandi interpretantur. Caſtra enim foſſis & vallis includebant.

Clauſura, clauſum, & clauſtrum ſignificat locum ipſum qui ſeptis, & munitionibus cingitur. Columella lib.9. cap.8. apes intra clauſum infuſis gratis liquoribus alere ſuadet. Cæſar.lib.4.hiſtor.cap.99.Clauſtrum murorum pro loco damnatorum, hoc eſt,carcere vſurpauit; indeque maximè factum reor, vt quia monaſteria, munitis clauſtris cingebantur clauſtra fuerint appellata à Cæſario lib.1.cap.1.& lib.4.cap.91. Godefrido VVindoſinenſi lib.4.epiſt.24.Eucherio Lugdunenſ. in homil.ad monach. Bernard. ſerm. de S.Nicolao, Hugo Victor. tract. de clauſtro animo. Vbi duodecim abuſiones clauſtri enumerat, ***quibus tota religionis maſſa corrumpitur*** : & iam olim à Concil. Mogunt.ſub Rabano cap.10. & 12.Turonenſ.2.cap.23.Aquiſgran. cap.117. Eugenio II. apud Gratian. 16.quæſt.2.cap.placuit 2. & Alexandro II.ibidem cap.iuxta. 3.

Clauſura ſignificat cellas ſolitarias,ſiue domos quibus aliqui pœnitentiæ cauſa includebantur, tum in agris, tum in vrbibus;dicebantúrque incluſi,de quibus Turonenſis,& alij. Nominabantur etiam Cluſeriæ, vti diſquiſitione 3.oſtendemus. 4.

Denique ſignificat legem quę aliquo ex loco in quo quis clauditur exire prohibet,illeque dicitur teneri clauſura qui egredi vetatur. 5.

Clauſura itaque regularis, vel 6.
idem

idem eſt quod clauſtrum, & ſepta monaſterij; vel ipſum monaſterium ſuis cinctum muris, & clauſtris; vel denique lex ipſa qua prohibetur regularibus egreſſus extra monaſteria, aut externis ingreſſus in illa. Sic Godefrid. Epiſt. citata, iubet Præpoſitum qui publicè cum mulieribus fuerat conuiuatus extraneum à clauſtro & curte B. Clementis fieri, & camerulam illam in qua ſordidator ille & ſordidus prauam exercuerat actionem, omnino & feſtinanter deſtrui, hoc eſt eiici è monaſterio & villa; nam curtes villas vocabant, ſed Alodes & liberrimi iuris. Apud Petrum Venerabil. lib. 1. miracul. cap. 13. Dæmoni ſuadenti egreſſum è monaſterio, Ioannes quidam Monachus Italicus reſpondet: ego hinc exire nullo modo poſſum; quia & clauſura monaſterij prohibet, & multitudo fratrum me circumdat: vbi & clauſura ſignificat ſepta monaſterij, atque legem ea violare prohibentem. Atque in hac poſtrema potiſſimum ſignificatione toto hoc opere clauſuræ vocem cum Theologis, & & Canoniſtis vſurpamus. Quærimus enim an & quomodo liceat regularibus, è ſuis monaſteriis exire, & cæteris in illa ingredi; quia verò alia ſunt monaſteria virorum, alia mulierum; neque in vtriſque eadem clauſuræ lex eſt; idcirco totum hoc opus in tres diſquiſitiones partiemur. Prima de clauſura Sanctimonialium inſtituetur. Altera de clauſura virorum. Vltima de incluſis tum fœminis, tum viris. Atque in omnibus iſtis innumeras ferè quæſtiones ad vtrumque forum pertinentes definiemus.

DISQVISITIO I.
Canonica.

De clauſura Sanctimonialium.

ORDIOR à Sanctimonialibus quibus præcipuo ſemper ſtudio commendata eſt clauſura, atque etiam ſanctius imperata, ne paſſim è monaſteriis, aut priuatis domibus in quibus aliquando profiterentur exirent, aut viros in ſua domicilia admitterent, vti ex tota iſta diſquiſitione conſtabit.

CAP. PRIMVM.

An, quando, & quo iure inducta ſit Monialium clauſura.

AGo tum de egreſſu Monialium è monaſteriis, tum de externorum in illa ingreſſu: vtrumque enim clauſura continet, vti monuimus.

PRIMA PROPOSITIO.

1. STatuendum verò imprimis eſt, clauſuram Monialiũ tum quoad egreſſum è ſuis monaſteriis, tum quoad ingreſſum externorum in illa ſolo iure eccleſiaſtico inductam fuiſſe.

Expoſitio & confirmatio propoſitionis.

PErſpicuus eſt huius propoſitionis ſenſus, nimirum neque iure naturali, neque diuino, ſed Eccleſiæ duntaxat clauſuram quoad vtramque partem imperari.

§. I.

Clauſura Monialium non eſt de iure diuino, aut naturali.

ET quidem ſi de iure naturali, aut diuino agamus, ſtatim apparet illud non obligare ad clauſuram Moniales, cum neque eſſentia status, & profeſſionis Religioſæ, neque votum caſtitatis illam neceſſario & eſſentialiter exigant: oſtendimus enim aliàs in noſtra ſcientia canonica, docéntque paſſim Doctores, ad ſtatum Religioſum ſufficere tria vota ſubſtantialia: poſſe verò tum caſtitatem, tum Regulam religioſam, ſiue modum viuendi ex conſiliis euangelicis abſque eiuſmodi clauſura ſeruari nemo non videt: quare neque neceſſarium eſt quartum votum clauſuræ, neque illud in aliis tribus neceſſariò & ex natura rei implicatur, neque ex diuino præcepto imperatur, vti ex ſcripturis & antiqua 2.

qua traditione conſtat; immò nequidem lege eccleſiaſtica eiuſmodi quartum votum omnibus Monialibus indicitur. Et licet, vt dicam inferiùs, aliquæ Moniales ex peculiari regula illud emittant,& eodem modo obligentur illo ſuo voto, quo reliquis tribus ſubſtantialibus, quæ obligatio diuini iuris eſt & naturalis ſeruandi promiſſionem Deo factam, quidquid Bonac. quæſt.1. de clauſura punct.3. & Tamburin. diſp.18. de iure Abbatiſſarum quæſt. 3. num.6. dicant: inde tamen ad alias Moniales, ipſarúmque ſtatum vniuerſum argumentari non licet, illiſque diuini, aut naturalis iuris obligationem imponere, quamuis non negemus clauſuram ex natura rei plurimum conferre ad vitam religioſam & caſtitatem Monialium, vti dicemus ſtatim: quod vnum probant, qui hanc obligationem diuini & naturalis iuris eſſe contendunt apud Azor. 1. part. inſtitut. lib. 13. cap.8. q. 2. Ridiculum porrò eſt, quod ad adſtruendum ius diuinum hac in parte ibidem afferunt illud Pſalmi. *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Vt videas quàm ſæpè nugētur Canoniſtæ nonnulli: qua de re aliàs; modò hoc vnum contendimus, clauſuram Monialibus imperatam eſſe ſola lege eccleſiaſtica, quod docet loco citato Azor. Nauar. Comm. de Regular.4. num.42. Roderic. tom.1.qq. Regul. quæſt.46. art.1. Vega tom.2. ſumm. cap.86. caſu 19. Suar. tract.8.de Relig. lib.1. cap.8. num. 11. Sanchez lib.6. in Decalog.cap.15.num.3. Bonac. quæſt. 1. de clauſura Monial. punct.3.Ferdinand.à Caſtro tract.16. diſput.4. punct.9. num.4. Tamburin. diſputatione 18. de iure Abbatiſſar. quæſt. 3. Layman. lib. 4. tractat. 5. cap.12. & alij paſſim.

§. II.

Eccleſia Monialibus egreſſum è monaſterio prohibuit.

ALtera pars noſtræ propoſitionis affirmabat lege eccleſiaſtica Monialium clauſulam imperatam fuiſſe. Et quidem ſi agamus de egreſſu Monialium è monaſterio, obſeruandum eſt, quod fuſiùs in ſcientia canonica diximus, virgines Deo ſolemni voto dicatas duplicis generis olim fuiſſe. Aliæ enim domi ſuæ cum parentibus & cognatis alebantur, & ſi quæ ditiores eſſent, alias ſibi ſocias, eiuſdémque propoſiti aſciſcebant, cuiuſmodi erat Marcellina Ambroſij ſoror Romæ à Liberio Pontifice Deo conſecrata, vt ipſe teſtatur lib.3. de Virginibus, Euſtochium, Principia,Demetrias & aliæ, quarum S.Hieronym. ſæpiùs meminit. Aliæ verò Virgines in monaſteriis & aſceteriis ſimul degebant ex antiqua Apoſtolorum diſciplina: nam collegia Virginum ſalutat Ignatius Epiſt.10. 12. & 13. & Clemens Romanus apud Epiphan. hæreſi 30. earumdem meminit, quod etiam teſtatur Hieronym. lib.1. aduerſus Iouinian. & alij antiquiores paſſim indicant. Virgines, quæ domi ſuæ alebantur, ſub parentum erant cuſtodia, à qua vbi diſcedebant, commendabantur ab Epiſcopo grauioribus fœminis, aut monaſteriis includebantur, ex quibus non poterant pro libito exire: ita enim Concil. Carthagin. generale, quod aliqui tertium faciunt, diſertè ſtatuit canon.44. *Vt Virgines ſacræ, cum parentibus, à quibus cuſtodiebantur* 3.

 priuatæ

priuatæ fuerint, Epiſcopi, vel Preſbyteri, vbi Epiſcopus abſens eſt, prouidentia grauioribus fœminis commendentur, aut ſimul habitantes, inuicem ſe cuſtodiant, ne paſſim vagando Eccleſiæ lædant exiſtimationem. Ex quibus vides etiam tunc aliquam clauſuram indictam fuiſſe ſacris virginibus: eò enim Patres Carthaginenſes referunt cuſtodiam aut parentum, aut grauiorum fœminarum, aut etiam mutuam, ſub qua illas degere volunt, ne paſſim vagandi licentiam haberent: id enim damnant in Virgine ſacra Ambroſ. Hieronym. & alij Patres paſſim, neque incomitatæ prodibant in publicum, imò in ipſis ſacris templis locum tabulato diſtinctum à cæteris habebant, vt apertè ex Ambroſio colligitur lib. ad Virgin. lapſ. cap. 6.

4. Hæc tamen cuſtodia ſeuerior multò erat in illis, quæ in monaſteriis ſub Præpoſitæ cura habitabant. Vnde ipſe Auguſtin. qui huic Concilio Carthaginenſi interfuit Epiſt. 109. Regulam Monialibus præſcribens exire prohibet ſiue ad balnea, ſiue ad aliud quidpiam abſque neceſſitate, & Præpoſitæ venia: quæ tres ſocias aſſignabit illi, *quæ aliquò eundi neceſſitatem habebit*, neque illa ſibi ſuas tres comites eliget. Vnde videas morem Africanarum Monialium. In Galliis ſeuerior multò fuit clauſura quam Cæſar. Arelat. ſuis Sanctimonialibus præſcripſit; ſic enim habet. num. 2. regulæ. *Vſque ad mortem ſuam de monaſterio non egrediatur, nec in baſilicā vbi oſtium eſſe videtur*; & num. 50. *Hoc enim ſpecialiter abſque vlla diminutione à vobis volumus obſeruari, vt nulli ex vobis vſque ad mortem ſuam de monaſterio egredi, vel in ipſam baſilicam, in qua ianuam habetis, aut permittatur, aut per ſeipſam præſumat exire.* Vixit autem Cæſarius Pontifice Symmach. & Theodorico in Italia regnante, neque exceſſit annum Chriſti 499. ex Bellarm. cum alij velint illum ne anno quidem 500. Epiſcopum fuiſſe, quia eo anno qui eſt poſt Conſulatum ſecundum Paulini Iunioris, reperitur epiſtola Symmachi ad eius prædeceſſorem Æonium 3. Cal. Octob. voluntque obiiſſe Cæſarium anno. 542. quia eo anno ad eius ſucceſſorem Auxanium epiſtolam dedit Vigilius Papa 15. Cal. Nou. poſt ſecundum Conſulatum Baſilij 30. annis à condito ſororis Cæſariæ cui hanc regulam ſcripſit, Cœnobio: Cæſaria enim prior deceſſit, vt habet Cyprian. in vita S. Cæſarij. Verùm quidquid ſit de hac controuerſia Chronologica, vides antiquā eſſe in Gallia rigidiſſimam Monacharum clauſuram. Quod etiam confirmatur ex iis quæ de Leumano, ſiue Leomano Viennenſi recluſo traduntur in vita S. Eugendi, cap. 2. ille enim è ſua cella *Monachos iuxta ſuam cellulam regebat, Monachas vero procul intra vrbem monaſterio conſeptas.* Fuit autem Leumanus S. Eugendi, cui & dona miſit, coætaneus; Eugendus autem ſub Romano, & Lupicino qui Chilperico Burgundionum Rege floruerunt, factus eſt Monachus, & 61. ætatis ſuæ anno deceſſit. Quare non potuit ad annum Chriſti 529. peruenire. Quænam vero fuerit in Oriente hac in parte diſciplina colliges ex Can. 44. Synodi Trullanæ. *Quæ vitam exercitatoriam eligunt, & in monaſteriis ſunt conſtitutæ, ne omninò exeant: ſi quā autem inexorabilis neceſſitas ad hoc trahit, cum benedictione & permiſſione eius, quæ præeſt, hoc agant, tuncque non ſolæ*

per

per ſe, ſed cum aliquibus vetulis, & quæ in monaſteriis primæ ſunt, cum mandato eius, quæ Præfecta eſt, eas omninò extra cubare κοιτῶν pernoctare non licet.

5. Ad egreſſum igitur monialis è monaſterio requirebatur imprimis grauiſſima neceſſitas, quam inexorabilem, ſiue inexcuſabilem nominant Patres: deinde obtinenda erat permiſſio, ſiue etiam mandatum à Præpoſita. Tertiò, eiuſdem capienda benedictio, quam quanti facerent ad præſidium quoddam ipſi etiam Monachi cum ſe ad iter, aut aliquod opus accingerent, obuium eſt in vitis Patrum. Quartò, aſſignandæ erant à Præpoſita ſociæ prouectioris ætatis & antiquioris obſeruantiæ, & quæ primas in monaſterio partes gererent. Quintò, ante noctem repetendum erat monaſterium, neque extra illud pernoctare licebat. Sextò, ſi quodpiam iſtorum violaſſet Monialis conuenientibus pœnis plectebatur, vti ibidem iubet Synodus. Ex quibus vides clauſurã præcepti fuiſſe & non tantùm conſilij contra Tamburin. diſput. 18. de iure Abbatiſſã. quæſ. 2. num. 3. & quæſit. 3. n. 1. Vbi malè allegat Suarez tract. 8. de Relig. lib. 1. cap. 8. num. 11. qui ſolùm ait non fuiſſe olim clauſuram iniunctam abſolutè, ſed ſolùm dependẽter à facultate Abbatiſſæ: quod nos quoque de abſoluta & omnimoda clauſura fatemur: conſtat tamen eam Abbatiſſæ veniam aliquando non fuiſſe ſufficientem, ſed Epiſcopi requiſitam fuiſſe, nimirum ad ipſius Abbatiſſæ egreſſum, vt dicam ſtatim: ſed quæcunque tandem fuerit illa clauſura, licet non omnimoda & abſoluta; præcepta tamen fuit, quod ex pœnis illam violantibus impoſitis patet, tum ex Can. citat. tum ex Concil. Lugdun. 3. cap. 3. anno 503. tom. 1. Concil. Gall. Nam Moniales egreſſasè monaſterio iubet ſegregari, id eſt, excommunicari, donec ad monaſterium reuertantur: *Viaticum tamen miſerationis intuitu illis præberi* permittit & Concil. Pariſien. 5. Can. 21. eandem à communione ſuſpenſionem vſque ad vitæ exitum indicit Monachis & Monialibus, *qui ſe de congregatione ſubtraxerint*, quãdiu ab Epiſcopo per epiſtolam admoniti ad ſuum monaſterium redire diſtulerint: quamquam illis locis non agatur fortaſſis de ſimplici violatione clauſuræ & exitu è monaſterio, ſed ſubtractione à congregatione, vt ad parentes, & *propriam ſubſtantiam redirent*: Sic enim loquitur Synodus Pariſien. quæ eſt Religionis deſertio, & apoſtaſia per animi leuitatem, ſæculi delectationem eligendo, vt aiunt Patres Lugdunenſes: ex quibus tamen antiquam clauſuram colligimus: ſic enim loquuntur: *Puellæ, quæ conniuentia parentum ſuorum ſe voluntariè dedicauerint, & intra monaſterium concluſionem elegerint.*

Vt verò ad Trullanum canonem redeamus, iam pridem obſeruauit Balſamon in ſcholiis illum cum Nouella 123. Iuſtiniani omninò conſentire. Quia verò ſæpè ſanctimoniales fingebant varias cauſas egrediendi, & veniam à Præpoſita vel Abbatiſſa exorandi, cùm tamen Synodus cauſas inexorabiles & inexcuſabiles requireret, & Auguſtinus neceſſitatem. Idcirco nonnullas ex eiuſmodi cauſis, quæ frequentiores erant, tanquam ineptas reiecerunt poſteriores Synodi: Vna erat adeundi curiam ad negotia monaſterij, & vt eam ob rem Abbatiſſa ſe ſiſteret Imperatori, idcirco ſtatuerunt, Synod. 6.

nod. in Vernis palatio ſub Pipino c.6. Turonenſ.3. ſub magno Carolo, cap.30.ſecunda Cabilon. eodem imperante cap.57. & Mogunti ſub Rabano, cap.13. & 16. ne Abbatiſſa exiret è monaſterio ad curiam niſi vrgente iuſſione regia, aut hoſtilitate cogente, túncque Epiſcopi licentiam poſtularet. Aliæ quædam pietatem obtendebant, & peregrinationem ad pia loca, maximè Romanam ad limina Apoſtolorum, quam idcirco illis prohibuit Synod.Foro-Iulienſ. cap.12. Aliæ denique varia negotia, quæ peragi commodè aliter non poterant: ideóque Abbatiſſæ pro impetranda egrediēdi venia moleſtæ erant. Quare, vt remedium aliquod huic malo quæreretur, & importuna vagandi libido variis prætextibus quæſita caſtigaretur, voluit Concilium Cabilonenſe citatum, cap.62. *Vt quæ famulas non haberent ad exercenda negotia, ad portam monaſterij peruenirent, & ibi coram teſtibus ſua negotia exercerent.* Qua ratione neque ſanctimoniales egredi, neque externi ingredi ad gerenda negotia cogebantur. Moguntin.verò cap.20. ſic conſtrui vult monaſteria, vt intra illa negotia omnia exerceantur, neque neceſſe ſit Monachos, aut puellas ſanctimoniales foris vagari, quod ſuos quoque miſſos vnà cum Epiſcopis curare iuſſit magnus Carolus lib.5. capitul. cap.78. Denique quia nonnullæ prætexebant publicam Miſſarum celebrationem, cui intereſſe vellent, imò & ad id ſe obſtringi fingebant, eiuſmodi obligatione liberas eas eſſe, eáque de cauſa è ſuis monaſteriis prodire vetuit Theodolfus Epiſt. ad Presbyt. Aurelian. cap.46.

7. Verùm mirum quantum lapſu temporis & peruerſis quorundam moribus, atque Epiſcoporum, aliorúmque Superiorum facilitate vel ſupinitate laxata eſt, vbique ſeuerior iſta diſciplina graui piorum omnium offenſione & Religionis damno: idcirco Bonifacius VIII. *conſtitutione perpetuò & irrefragabiliter valitura.* Omnibus Monialibus egreſſum è ſuis monaſteriis inhibuit, *quacunque ratione, vel cauſa, niſi tanto & tali morbo euidenter laboret, vt cum aliis Monialibus abſque graui periculo, ſeu ſcandalo commorari nequeat.* c. perículoſo de ſtatu regulari. in 6. Quam eandem conſtitutionem, vel non vbique receptam, vt de Gallia teſtatur ibid. Ioan. And. vel alibi moribus contrariis paſſim antiquatam innouauit, confirmauitque Trident. ſeſſ.25. de Regula, c.5. Quod omnibus priuilegiis à quocumque & quacumque ratione & cauſa, ac cuiuſcunque intuitu obtentis derogatum eſſe vult, tum eo c.5. tum expreſſioribus & ſignificantioribus verbis cap.25. quam enim habet eo loco reuocatio ſpecifica priuilegiorum, cadit in omnia præcedentia capita & ſingulas earum partes, quarum iſta de clauſula vna ex præcipuis eſt, atque hac de cauſa. Tridentini ſanctionem ſtrictiorem, rigidiorem, vniuerſaliorémque Bonifaciana conſtitutione exiſtimauit Suarez tract.8. de Relig. lib.1.cap.3. num.15. quia iſta nullam continet expreſſam eiuſmodi priuilegiorum reuocationem: & quamuis illa ex verborum, quibus Bonifacius vtitur, vniuerſalitate, amplitudine, grauitate, atque ex aliis circunſtantiis colligi fortaſſis poſſet; non ita tamen apertè, vt tergiuerſationi locus aliquis non relinquatur. Nam ex communi Doctorum ſenſu, ipſóque iure cap.1. de conſtit.in 6. Immemo-

rialibus

rialibus conſuetudinibus & ſpecialibus priuilegiis in ipſa præſertim fundatione monaſteriorum obtẽtis, non cenſetur derogari niſi per expreſſam derogationem, vti fuſiùs oſtendimus prima parte noſtri operis de ſcientia Canonica lib. 4. Idcirco ne qua dubitandi relinqueretur occaſio. Pius V. an. 1. ſui Pontificatus, Chriſti 1566. ſua conſtitutione, quæ incipit. *Circa paſtoralis.* Bonifacij & Tridentini leges confirmans immemorialibus conſuetudinibus & priuilegiis etiamſi ex inſtitutis vel fundationibus ipſarum Religionum teneantur, expreſſe derogauit: quod idem præſtitit in conſtitut. *Decori & honeſtati* an. 5. Pontificat. ſui, Chriſti 1569. Calend. Februarij. Vbi priuilegia in poſterum quoque obtinenda, & concedenda irritat, & nullius roboris, ac momenti fore decernit, & cauſas legitimas huius egreſſus exponit. Denique Gregor. XIII. an. Chriſti 1572. 3. Calend. Ianuarij, Pontif. ſui an. 1. conſtitut. *Deo ſacris* hæc omnia denuò confirmat. Quare certum eſt lege Eccleſiaſtica omnimodam & abſolutam clauſuram Monialibus iniunctam fuiſſe à Bonifacij VIII. à quo fuit primum ſancita eiuſmodi lex, temporibus, licet & ante Bonifacium aliqua eſſet clauſura, vel cuſtodia, vti loquuntur veteres Synodi, ſed omninò liberior, vti ex ipſarum decretis retulimus.

§. III.

Ingreſſus in monaſteria Monialium lege Eccleſiaſtica prohibetur.

8. VEnio ad alteram clauſuræ partem, nimirum ingreſſum externorum in monaſteria Monialium: quem etiam prohibitum eſſe, atque ea etiam ex parte omnimodam clauſuram imperatam fuiſſe contendo, quamuis circa hunc ingreſſum non ſemper fuerit idem diſciplinæ rigor. Nam initio permittebatur perſonis probatæ vitæ & laicis ad neceſſitates, & miniſtrationes monaſteriorum; non verò aliis perſonis: ſic enim ſanciuit Cæſarius in ſua regula, num. 36. quæ quia non paſſim extat, eamque Baronius an. Chriſti 508. num. 20. reperiri negat, & primus Bollandus ex M. S. codice edidit integram, correctam, & numeris, ac paragraphis diſtinctam in vita S. Cæſariæ 12. Ian. & quia in Galliis olim maximè viguit, eamque S. Radegundis amplexa eſt, quod teſtatur Gregor. Turon. lib. 9. Hiſt. cap. 49. & Venant. Fort. lib. 5. Carm. Carm. 2. ad Martinum Epiſcop. Galliciæ libenter quæ ex illa citabo ſubinde deſcribam; ſic igitur habet quoad ingreſſum in monaſteriũ, *Ante omnia ac propter cuſtodiendam famam veſtram in ſecreta parte monaſterij, & in oratoriis, exceptis Epiſcopis, prouiſore, & Presbytero, Diacono, & Subdiacono, & vno, vel duobus Lectoribus, quos & ætas, & vita commẽdat, qui aliquotiens Miſſas facere debeant, nullus introeat; cùm vero aut tecta retractanda ſunt, aut oſtia, vel feneſtra ſunt componenda, aut aliquid huiuſmodi reparandum, artifices tantum, & ſerui ad operandum, ſi neceſſitas exegerit cum prouiſore introeant; ſed nec ipſi ſine ſcientia aut permiſſione Matris, ipſe vero prouiſor in interiorem partẽ, niſi pro vtilitatibus, quas ſuprà comprehendimus nunquam introeat, & nunquam aut difficilè, ſine Abbatiſſa, aut alia honeſtiſſima teſte, vt ſanctæ ſorores*

B *ſecre*

ſecretorum vſum ſicut decet, & expedit habeant. Eadem paucioribus verbis ſua definitione comprehendit Concil. Epaunenſe cap.38. *Monaſteria puellarum non niſi probatæ vitæ, & prouectæ ætatis ad quaſcumque earum neceſſitates & miniſtrationes laici permittantur intrare. Ad faciendas verò Miſſas, qui ingreſſi fuerint, ſtatim exacto miniſterio regredi feſtinabunt. Aliàs autem nec Clericus, nec Monachus iuuenis, vllum ad puellarum congregationem habebit acceſſum, niſi hoc aut paterna, aut germana neceſſitudo probatur admittere.* Quam eamdem ſanctionem iiſdem planè verbis innouauit Concilium Arelatenſe 4. cap.7. ſub Leone III. & Magno Carolo coactum, ipſéque Leo in capitularibus à ſe editis & relatis tom.2. Concil. Gallican. an.Chriſti 804. idem ſancitit, nempe. *Vt nullus in monaſterio puellarum, vel ancillarum Dei intrare præſumat, nec Preſbyter, nec Diaconus, vel Clericus, aut laicus, niſi tantùm Preſbyter ad Miſſam celebrandam tempore opportuno ingrediatur, ſalua neceſſitate monaſterij ſecundum Canonicam inſtitutionem, & iuxta quod Epiſcopus ipſius parrochiæ ibidem ordinauerit; Preſbyter autem Miſſa celebrata ſtatim exeat.* Similia habet Concil. Turonen.3. eodem imperante, vti ſuperiùs monuimus Carolo cap.29. & Concilium Cabilonenſe citatum ſuperiùs c. 61. Prohibet enim Sanctimoniales in propriis manſionibus cum vllis viris ſiue Clericis, ſiue laicis, ſiue conſanguineis, ſiue extraneis comedere, aut bibere, ſed ſolum *in auditorio*, vbi etiam cum viris colloqui poſſunt coram teſtibus; & cap.63. *Nullus Vaſſus Abbatiſſæ, nec miniſter aliquis, nec Clericus, vel laicus, clauſtra ancillarum Dei ingrediatur, niſi forte quando neceſſitas operandi incumbit.* Matiſconen. 1. cap. 2. nulli ſiue Epiſcopo, Presbytero, Diacono, Clerico, aut ſæculari in monaſteriis puellarum habitare, aut collocutiones ſecretas habere permittit, niſi ſit probatæ vitæ, & ætatis prouectæ, & vtilitas aut reparatio monaſterij, aut quæpiam alia neceſſitas id poſtulet: imò ne quidem intra *Salutatorium*, aut oratorium ingredi concedit, idque maximè prohibitum eſſe vult Iudæis. Denique nulla occaſione & prætextu negotiorum intra monaſterium colloqui ſecretius cum ancillis Deo dicatis, aut familiaritatem, vel moras ibidem habere.

Ex quibus omnibus quænam fuerit circa acceſſum ad monaſteria Monialium obſeruatio, maximè in Gallia, in qua hæc omnia Concilia coacta ſunt, facilè colliges. Nam imprimis ita vndique ſepta & clauſa erant monaſteria, vt nullus communis aditus pateret externis, ne quidem ad ipſam Eccleſiam aut oratorium, vel ſalutatorium, vt loquebatur Concilium Matiſconenſe, vbi quidam legunt ſacrarium, ſed malè: nam etiam ſacrarium ſalutatorium dicebatur, eo quod in eo Epiſcopus ante miſſarum celebrationem ſederet, & fidelium exciperet ſalutationes, qui aut eius ſe commendabant orationibus, aut aliquod negotium ipſi communicabant, quod colliges ex Gregorio lib.4. Regiſt. Epiſt. 54. ad Maiorianum Epiſcopum Rauenaten. de vſu pallij ſcribente. *Quo* (pallio) *non aliter te vti memineris, niſi in propriæ tuæ ciuitatis, dimiſſis iam filiis, Eccleſia, procedens à ſalutatorio ad ſacra Miſſarũ ſolemnia celebranda; peractis verò Miſſis idem in ſaluta* 9.

ſalutatorio rurſum curabis deponere. Hoc autem ſalutatorium eſſe quoque ipſum ſecretarium liquet ex ipſomet Gregorio eodem lib. Epiſt. 11. Vbi Ioannem Rauenatenſem increpans, quod pallio extra Miſſarum ſolemnia contra veterem morem Metropolitanorum in litaniis vteretur, ſic ait: *In ſecretario verò ſecundum morem priſtinum ſuſceptis ac dimiſſis Eccleſiæ filijs induere veſtra fraternitas pallium debeat, atque ad Miſſarum ſolemnia ita proficiſci,* & lib. 2. Epiſt. 51. ad eundem Ioannem eadem de re ſcribens: *Scripſit nobis pallio te non niſi poſt dimiſſos de ſecretario filios Eccleſiæ, & Miſſarum tempore atque in Litanijs vti ſolemnibus.* Et inferiùs: *de ſecretario autem, quod fraternitas tua reſediſſe cum pallio, & filios Eccleſiæ ſuſcepiſſe & fecit & excuſauit.* Vides igitur ſecretarium, in quo ante Miſſam ſumebat pallium Epiſcopus, & poſt Miſſas deponebat, dictum quoque fuiſſe ſalutatorium, quod in eo Epiſcopus filios Eccleſiæ ſuſciperet, atque adeò ab illis ſalutaretur, quibus dimiſſis pallio ſe induebat, atque ad Miſſam celebrandam procedebat, dictum quoque fuit ab ea ſuſceptione filiorum Eccleſiæ, ſiue fidelium receptorium à Sidonio Apollinari lib. 5. Epiſt. 1. *Et nunciatum eſt progredi Epiſcopum de receptorio,* ad faciendam videlicet Miſſam, vt ibid. deſcribitur, dicebatur quoque ſecretarium, vt vides à Gregorio, eo quod in eo ſacra vaſa & indumenta ſeruarentur. Vnde Concilium Agathenſe cap. 66. *Quoniam non oportet inſacratos miniſtros licentiam habere in ſecretarium, quod Græci Diaconicon vocant, ingredi & cõtingere vaſa Dominica.* Quod autem dixit Concilium Agathenſe, vocari à Græcis διακονικὸν habes in Concilio Laodicenſi can. 21. vbi idem Subdiacono prohibetur. Erant vero duo ſecretaria, ſeu diaconia, quorum meminit Paulinus Epiſt. 12. vbi vocat Conchas, vnum à dextra parte abſidis, alterum à ſiniſtra. In primum poſt Communionem deferebantur à Diacono reliquiæ Euchariſtiæ, vti habet Clemens lib. 8. Conſtit. cap. 13. ſub finem, & in illud ingredi prohibetur Subdiaconus, & multo magis *inſacrati miniſtri*, atque vaſa Dominica tangere à Canone Laodiceno, quod de quibuſcumque vaſis ſacris accipiendum non eſt, vti ſapienter aduertit Vaſq. 3. p. diſp. 238. num. 62. ſed de vaſe in quo ſeruabatur, & continebatur Euchariſtia; illud enim tangere non poterat Subdiaconus, aut Euchariſtiam deferre in ſecretarium, aut inde promere, quod licebat Diaconis, rationem reddit Sylueſt. in Synodo Romana, vt refertur can. nullus acolythorum, diſt. 24. quia Subdiaconus non eſt, *miniſter Sacerdotis*, qui videlicet eius miniſterium ſupplere poſſit, ſed *aſſiſtens*, quod ipſum debeat comitari, & ab illo partem quæ ſibi contigerit accipere. *Nullus*, inquit, *Acolythorum, vel Subdiaconorum rem conſecratam à Preſbytero alijs porrigat, (quia aliud eſt miniſter, aliud aſſiſtens) niſi tantum ſupportet, quod ei Sacerdos impoſuerit ſuo ore benedicendum.* Per rem autem conſecratam à Presbytero intelligitur Euchariſtia, quam non ferebat Subdiaconus, ſed ſolum Calicem & panem conſecrandum porrigebat. Apud Iuonem quidem part. 2. Decret. cap. 43. & Burchar. lib. 5. cap. 34. Ita refertur hic Canon qui in Vaticanis exemplaribus Gratiani omittitur, & in Synodo Romana cap. 9. vnde de-

ſumptus eſt, non legitur *nullus Subdiaconorum*,ſed *Acolythorum,& Lectorum*. Aliud ſecretarium erat locus orationi deſtinatus, & ſumendis veſtibus Pontificiis ; & hoc ſalutatorium dicebatur , vti hactenus vidimus , quia in illo ſalutabatur Pontifex à fidelibus , quos facilè admittebat , & ſuſcipiebat. Iſtæ porrò ſalutationes & ſuſceptiones fidelium in ſecretario , quod idcirco ſalutatorium dicebatur,non ita propriæ erant Epiſcoporum , vt etiam Presbyteris non exhiberentur : Sic enim habet Seuerus Sulpitius lib.2. Dialog. c.2. *Cùm quidam in alio ſecretario Presbyteri ſederent vel ſalutationibus vacantes , vel audiendis negotijs occupati.* Ex quo loco facilè capies ſenſum Concilij Matiſconenſis , dum prohibet quemquam & maximè Iudæos ingredi in *ſalutatorium , aut oratorium ſanctimonialium* , ne videlicet quiſquam prætextu ſalutandi Presbyterum ad Miſſarum ſolemnia ſe præparantem eò adreperet , atque ita ſpecie pietatis in monaſterium ingrederetur : intra enim eius ſepta tum Eccleſia , tum ipſum ſecretarium claudebatur , vt amplius explicabimus ſequenti capite. Non nego tamen ſalutatorium aliquando nominari locum , in quo licebat cum Monialibus colloqui, quod dicimus locutorium in Gallia , de quo inferiùs agemus.nam S.Cæſarius in Recap. Regul. ſic eam vocem vſurpat. *Quæ ad conuerſionem venerit in ſalutatorio , ei frequentiùs Regula relegatur.* Quamquam & ſalutatorium in his verbis pro ſecretario etiam ſumi poſſet , in quo à Presbytero illis , quæ conuerſionem meditarentur , Regula legeretur. Sed quidquid ſtatuas ea de re. Certum eſt in verbis Concilij Matiſconenſis ſalutatorium non ſumi pro locutorio , ſed ſecretario.

Secundò nulli licebat monaſte- 10.
rium ingredi abſque licentia , eáque prohibitio vel ſolis viris , vel illis maximè facta erat,vt conſtat ex allatis Synodis.

Tertiò , ea licentia non concedebatur paſſim omnibus , ſed ſolum prouectæ ætatis , & probatæ vitæ ac virtutis , ſiue laici ſiue clerici,ſiue etiam Epiſcopi forent. Nam iunioribus ne quidem ad colloquendum licebat accedere , *niſi paterna aut fraterna neceſſitudo id permitteret*, vti loquitur Synodus Epaunenſis,qua de re fuſiùs cap.4.diſputabimus.

Quartò ad obtinendam hanc licentiam requirebatur præter prouectam ætatem & probatam virtutem vtilitas , aut neceſſitas monaſterij: quia negotia propter quæ permittebatur ingreſſus , aliter geri commodè non poterant ab ipſis Monialibus, atque adeò alicuius alterius opem poſtulabant : ideóque vaſſi & alij miniſtri ſiue clerici , ſiue laici admittebantur , vbi neceſſitas operandi incumbebat , vt ait Concilium Cabilonenſe ; alioquin nullo quocumque prætextu , aut occaſione licebat , ne ipſum quidem ſalutatorium & oratorium ingredi & cum ancillis Dei colloqui ex Matiſconenſi Synodo allata.

Quintò , quia ingreſſus eiuſmodi neceſſitas ex Miſſarum celebratione petebatur , quandoquidem templum intra ipſius monaſterij clauſtra continebatur , vti monuimus ; idcirco ne facilius huius piæ neceſſitatis occaſione peccaretur , plurima ſanxerunt Patres , primò vt ab Epiſcopo certa hora deſignaretur , qua Miſſa, aliáque diuina officia celebrarentur, & tunc ſolum Clerici ingrederentur.

tur monaſteriū. Ita Leo III. nuper adductus. Secūdò, vt nulla alia de cauſa ingrederentur, & ſtatim exacto miniſterio exirent, neque ad confabulationes hærerent, aut per monaſterium digrederentur. Epaunenſe c. 38. Arelat. 4. cap. 2. Turonenſe 3. ſub Carolo cap. 29. Cabilonenſe 2. eodem imperante cap. 60. & Pariſienſe ſub Ludouico & Lothario lib. 1. cap. 46. Tertiò ipſum etiam acceſſum ad monaſterium ad colloquia miſcenda aliis temporibus prohibuit Matiſconenſe 1. cap. 2. Quia verò nonnulla aliquando neceſſitas hunc rigorem temperari volebat, deſignarunt ſubinde Synodi certam horam & locum, vt nimirum à prima hora ad veſpertinam, & in ſolo auditorio coram teſtibus eiuſmodi ſermones miſcerentur. Ita Cabilonenſe citat. cap. 55. 56. & 61. Imò ſi conſanguineam videre volebat Monachus, id breuibus & paucis verbis præſente Præpoſita facere debebat. Ita Nicænum 2. cap. 20. Vbi etiam prohibuit fieri monaſteria duplicia virorum & puellarum; imò longiùs inuicem abeſſe iuſſit Agathenſe c. 28. Quod ſi mitterentur Monialibus neceſſaria ad vitam, illa ſuſcipienda erant à Præpoſita cum aliqua anu extra ianuam, vt edicit Nicænum 2. cit. Denique ne quidem licentiam accedendi ad veſtibulum Sanctimonialium fieri permittit Monachis Concil. Hiſpalenſe 2. cap. 2. Vbi & plura alia edicit circa eiuſmodi colloquia, de quibus cap. 9. fuſiùs agemus.

11. Nondum tamen his omnibus ſanctionibus ſatis cautum videbatur honeſtati & ſecuritati Monialium, & iam pleræque ex adductis legibus contraria conſuetudine antiquatæ fuerant magna piorum omnium offenſione: quare poſteriores Pontifices non modo eas innouarunt, ſed & alias ſeueriores multò, provt temporum calamitas poſtulabat, adiecerunt Gregor. IX. & Eugen. IV. excommunicationem ipſo facto incurrendam inflixit illis, qui Monaſteria S. Claræ ingrederentur. Bonifacius verò VIII. in conſtitutione *periculoſo* ſuperiùs adducta, iſta ſtatuit. *Nulli aliquatenus inhoneſtæ perſonæ, nec etiam honeſtæ niſi rationabilis & manifeſta cauſa exiſtat, ac de illius, ad quem pertinuerit ſpeciali licentia ingreſſus vel acceſſus pateat ad ipſas,* Moniales videlicet. Hæc tamen Bonifacij conſtitutio vbique in vſum inducta non fuit, aut ſaltem non diutiùs obſeruata. Cui malo vt Tridentinum prouideret, illam Innouauit & ampliauit, atque adiectis pœnis confirmauit ſeſſ. 25. de Regula. cap. 5. *Ingredi autem*, inquit, *intra ſepta monaſterij nemini liceat, cuiuſcunque generis, aut conditionis, ſexus vel ætatis fuerit, ſine Epiſcopi, vel Superioris licentia in ſcriptis obtenta ſub excommunicationis pœna.* Vtramque deinde hanc ſanctionem Bonifacij & Tridentini ſua authoritate ſtabiliuit Pius V. in decretali *circa paſtoralis* ſuperiùs adducta: quæ, cum expreſsè conſtitutionem Bonifacianam & Tridentinam confirmare ſe dicat Pius, tam de ingreſſu, quàm de egreſſu intelligenda eſt, licet de hoc poſteriori expreſſiùs loquatur. Apertiùs verò id præſtitit Gregorius XIII. qui conſtitutione *Vbi gratiæ*, omnes licentias & facultates ingrediendi monaſteria à quocumque & quibuſcumque perſonis conceſſas irritauit, earúmque vſu ipſis interdixit ſub excommunicatione ipſi Romano Pontifici reſeruata: qua

eadem pœna, aliiſque afficit Superiores Monaſteriorum, qui illarum licentiarum prætextu aliquos intra monaſteria admittunt. Denique Paulus V. 10. Iulij an. 1612. Extrauagantem, quæ incipit: *Monialium ſtatui* ſimiles licentias denuò reuocauit.

Ex hoc itaque & ſuperiori §. conſtat illa altera pars noſtræ propoſitionis, quam probandam ſuſceperamus, lege nimirum Eccleſiaſtica clauſuram Monialium tam quoad egreſſum ipſarum è monaſterio, quàm quoad ingreſſum externorum in illud imperatam fuiſſe, quamuis non fuerit ſeruatus perpetuò idem rigor, qui à poſterioribus Pontificibus & Synodis ſeruari præcipitur.

§. IV.

SECVNDA PROPOSITIO.

Potuit Eccleſia Clauſuram Monialium ſuis legibus ſancire.

Expoſitio, & confirmatio propoſitionis.

12. HÆc propoſitio, in qua agimus de iure & poteſtate Eccleſiæ in imperanda clauſura Monialium, negari nequit à Catholicis, ſi accipiatur, vt ſonat: cum enim habeamus pontificias & ſynodales conſtitutiones ea de re, vel damnanda eſt Eccleſia, quæ poteſtatem condendi eiuſmodi leges ſibi arrogauerit; vel fatendum eſt, eam id ius habere, atque adeò ſanctiones illas validas eſſe, ſi nihil aliud, quam poteſtatem legiſlatoris attendamus. Tota igitur difficultas eſt in aſſignanda veluti radice huius poteſtatis in Eccleſia, maximè circa Moniales, quæ profeſſæ ſunt in Religione, in qua non ſeruabatur clauſura.

Dico nihilominus ex duplici capite competere hanc poteſtatem Eccleſiæ, ſiue Pontifici, qui illam vniuerſam regit: primò ex iuriſdictione & poteſtate, quam habet Eccleſia definiendi quæ ad ſtatus perfectionis & ſacros pertinent, ſiue ipſorum ſubſtantiam ſpectes, ſiue quæ ad illos conferunt: quod videmus in continentia ſacris Ordinibus ſola lege Eccleſiaſtica, non naturali, aut diuina, vti aliàs docuimus fuſiùs contra Turrian. annexa. Sicut igitur potuit Eccleſia prohibere, ne quis ſacros Ordines ſuſciperet, niſi ſe votis continentiæ, implicitè ſaltem, obligaret: ita etiam ſtatuere, ne quæ fœminæ profiteantur in Religione, niſi ad clauſuram ſeruandam ſeſe obligent, etiam, ſi ita lubeat voto implicito, aut explicito: quod tamen minimè neceſſe eſt ad eiuſmodi contrahendam obligationem, cum ſufficiat hanc obligationem vel imperari, vel poni tanquam conditionem profeſſionis. Vt enim demus exemplum in hac eadem materia; definiuit Eccleſia, in quo cóſiſteret voti ſolemnitas, & quidnam ad profeſſionem requireretur, poſuítque conditiones, ſiue impedimenta quædam irritantia illam, quidni & poſſit hanc conditionem clauſuræ, vel ad validitatem profeſſionis, vel ad eius ſtatus decentiam & vtilitatem iubere, maximè quia cum in profeſſione, omnique voto ſubſtantiali Religionis licet ſimplex ſit, neceſſaria exiſtat traditio vouentis & mancipantis ſe Religioni, cuius requiritur reciproca acceptatio, vti fuſiùs diximus 2. part. noſtræ ſcientiæ Canonicæ: poteſt Eccle

Eccleſia non acceptare hæc vota, & hanc traditionem, quam facit Monialis, niſi cum ea conditione, ne exeat è ſuo monaſterio. Quis enim coget Eccleſiam ſine ea conditione illam acceptare, ſi nolit, & non aliter acceptandam eſſe grauibus de cauſis iudicat, ſicut & prohibere, ne quæ mulier in ſua domo priuata profiteatur, vti quondam fiebat, ſed ſolum in monaſterio, atque ne ex illo exeat: quorum omnium illa eſt vnica ratio: quia per profeſſionem Religioſam virgo conſtituitur in publico & ſolemni ſtatu Eccleſiæ, & fit membrum ſtatus eccleſiaſtici, cuius inſtitutio & regimen peculiari ratione pendet à Prælatorum cura; qui idcirco & ante aſſumptum illum ſtatum & poſt illum aſſumptum, poſſunt imperare, quæ conducere iudicabunt ad modum in eo viuendi; & qui ante aſſumptum ſimilem aliquem ſtatum liber erat ab eiuſmodi præceptis, nunc aſſumpto ſtatu ea detrectare nequit, & iuriſdictioni Eccleſiæ, quoad illa omninò obnoxius eſt: quia qui aſſumit aliquem ſtatum; eo ipſo ſe obligat ad ea, quæ illi ſtatui neceſſaria, aut decentia erunt; eorum verò determinatio neque ex ſola natura rei ſatis colligitur, neque ſemper eadem eſt, & immutabilis; ſed pro variis rerum momentis ſubinde diuerſa; non debet etiam cuiuſque arbitrio permitti niſi omnia perpetuò perturbari velimus. Pendere itaque debet omnis ea determinatio ab illo, qui ratione ſuæ iuriſdictionis illi ſtatui præeſt, vt quæ ad obſeruationem talis ſtatus neceſſaria eſſe iudicabit, præcipere poſſit, tum iis, qui illum aſſument, tum illis, qui iam in eo conſtituti immobiliter ſunt: alioquin omnes leges & ſanctiones Canonicæ de Clericis, eorúmque moribus, ac honeſtate; de variis gradibus, ordinibus, præbendis, beneficiis, dignitatibus, & cæteræ omnes non obligarent Clericos, alióſque eiuſmodi exiſtentes in aliquo ſtatu, quando feruntur; ſed ſolum eos, qui in poſterum in eiuſmodi ſtatum adlegendi forent, quod falſiſſimum eſt. Cum igitur per votum ſubſtantiale Religionis virgo conſtituatur in publico & ſolemni Eccleſiæ ſtatu, ad cuius conſeruationem plurimum confert clauſura, poterit Eccleſia ex vi iuriſdictionis, quam habet in illum ſtatum, quæ ad illum conducere exiſtimabit, imperare, atque adeò prohibere, ne eiuſmodi Religioſa vota alibi fiant, quàm in monaſterio, & ne ex illo Virgines profeſſæ egrediantur, niſi cum licentia certis ex cauſis & alia, quæ ad clauſuram pertinere dicemus; neque inde ſequitur poſſe etiam prohibere Eccleſiam, ne Virgo domi ſuæ votum caſtitatis emittat: quia cum illud ſit ſimplex duntaxat, & non ſubſtantiale Religionis, neque in aliquo ſtatu Eccleſiæ publico per ſe conſtituat, ratione illius nemo fit obnoxius nouo titulo, aut reſpectu, iuriſdictioni Eccleſiæ. Cum igitur hæc iuriſdictio in varios ſtatus Eccleſiæ reſideat in Prælatis, quorum curæ ſubiiciuntur varij illi ſtatus & maximè in Pontifice, cui totius Eccleſiæ & ſtatuum omnium Eccleſiaſticorum, præſertim Religioſi cura & regimen commiſſum eſt, poterit ea, quæ conferent ad illum ſtatum iubere & prohibere, in quibus clauſura Monialium ſine dubio continetur.

Alterum caput, ex quo oritur in Pontifice poteſtas imperandi clauſuram monialibus, petitur ex poteſtate dominatiua, quam habet in 13.

Religioſos

Religioſos ratione voti obedientiæ. Suppono verò, quod fuſiùs in noſtra ſcientia Canonica probatum fuit, Pontificem eſſe immediatè ſuperiorem Religionum & habere in illas dominatiuam poteſtatem, quam obedientiæ votum tribuit Superiori, de qua alibi. Licèt itaque Superiori, ratione huius poteſtatis præcipere quidquid in Regula continetur ſiue explicitè, ſiue implicitè, ſiue directè, ſiue indirectè, & quocumque modo, vt inquit S.Thomas, ad eam reducitur. Ita Bonauentura in 2. diſtinct. vlt. quæſt. vlt. S. Thom. ibid. quæſt. 3. & quæſt. 10, art. 10. & 2. 2. quæſt. 104. art.3. & quodlibet.10. art.10. Caietan.2.2.quæſt.88. art. 7. dub. vlt. Sanchez lib.6. in Decalog. cap.2.num.9.& Doctores omnes tum Theologi, tum Canoniſtæ alibi allegandi, qui idcirco vulgo docent omnia, quæ ſunt ſecundum Regulam ſiue implicitè, ſiue explicitè præcipi poſſe à ſuperiore, ac proinde quæ neceſſaria ſunt ad vota & modum viuendi cuiuſque Religionis ſeruandum: quia illa cenſentur eſſe ſecundum Regulam, implicitè ſaltem & ad illam reduci, vt ait Cordub. in Regul. S. Franciſci cap.10.quæſt.2. Sylueſter verbo Relig.6. quæſt.6. Leſſius lib.2. c.41. dub. 9. num. 77. Antonin. 3. part. tit.16. cap. 1. §. 9. verſ. ſecundo modo, & alij communiter. Quando verò dicunt non poſſe præcipi aliquid iam profeſſis, quod ipſi non promiſerunt: quod ſumm. ex Bernardo lib. de diſpenſat. & præcepto: *Nihil me Prælatus prohibeat horum, quæ promiſi, nec plus exigat, quàm promiſi.* Loquuntur de his, quæ ſunt omninò ſuprà Regulam, neque ad illam vllo modo reducuntur: illa enim ne quidem à Pontifice præcipi poterunt Religioſo vi duntaxat obedientiæ ab illo profeſſæ. Quæ omnia, aliáque inde conſequentia diſputata ſunt à nobis ſecunda parte noſtri operis de ſcientia Canonica, vbi de voto obedientiæ Religioſæ ageremus. Iam verò clauſuram Monialium non eſſe omnino ſuprà Regulam, neque opus ſupererogationis, vti contendebat Oldrad. conſil.90. non multum improbante Felino. in cap. ad noſtram de Appellat. num.6. conſtat ex eius vtilitate & neceſſitate ad ſeruandam Regulam & vota ſubſtantialia Monialium, quæ tanta viſa eſt quibuſdam, vt exiſtimarent illam eſſe præceptam iure naturali ſuppoſita obligatione talis ſtatus, & votis à Monialibus emiſſis. Horum rationes affert Nauarr. Comment. 4. de Regularibus num. 40. & ſequenti: quæ licet hanc obligationem iuris naturalis non euincant, vti fatetur ipſe Nauarr. & nos prima propoſitione probauimus; oſtendunt tamen quantum conferat clauſura ad obſeruantiam Religioſi ſtatus Monialium, & quàm conſentaneè ipſarum profeſſioni imperetur; ac proinde dici non poſſe, cùm illa iubetur ab Eccleſia, aliquid omnino ſuprà Regulam præcipi, ſed quod illa ipſa Regula exigit.

§. V.

TERTIA PROPOSITIO.

Sapienter Eccleſia clauſuram Monialibus imperauit.

Confirmatio Propoſitionis.

HOc ipſum demonſtrant rationes, 14.
quibus Pontifices in conſtitutionibus

ſtitutionibus adductos ſe eſſe aiunt ad clauſuram imperandam: quas ad tria præcipua capita reuoco.

Primum eſt periculum violandæ caſtitatis, quod Bonifacius in ſua decretali ſic explicat. *Periculoſo & deteſtabili quarumdam Monialium ſtatui, quæ honeſtatis laxatis habenis & monachali modeſtia, ſexúſque verecundia impudenter abiectis extra ſua monaſteria nonnumquam per habitacula perſonarum ſæcularium diſcurrunt ſalubriter prouidere cupientes.* Illud idem periculum indicat Pius V. in ſuis Extrauag. ſuperiùs allatis, eáque fuit mens omnium Patrum, qui virginum, imò & aliarum fœminarum familiaritaté cum viris, præſertim Clericis tam grauiter damnarunt, ſiue fœminas ipſas, ſiue viros hortarentur. Conſule Cæſarium Arelatenſ. in Epiſt. ad quoſdam Germanos. Tertullian. lib. de Veland. Virginib. cap. *Tam ſancti viri eſt*, inquit, *ſuffundi, ſi virginem viderit, quàm ſanctæ virginis, ſi à viro viſa eſt.* Baſil. lib. de Virgin. Mulier vero voluptatis illicium eſt, cuius hanc rationem reddit S. Leand. lib. de inſtitut. Virgin. *diſpar ſexus in vnum locatus eo titillatur inſtinctu, quo naſcitur.* Et S. Antioch. hom. 17. vti oleum nutrit flammam, ſic facem libidinis mulieris conuerſatio: Imò & Theocrit. Idylio 8. arboribus tempeſtas metuendum malum, aquis cœnum, auibus laqueus, feris retia, viro autem teneræ virginis amor. Inde Virginum ſacrarum inſtitutores tam frequentes ſunt in prohibenda ipſis virorum & perſonarum ſæcularium familiaritate, atque commendanda ſolitudine ſaltem domeſtica. Baſil. Hieronym. Ambroſ. aliique multi ſunt hac in parte: Quàm ſapienter verò ita virgines inſtituerint, docent frequentes lapſus quarumdam, & vt loquitur Dionyſius Carthuſian. in Dialog. de reformat. Monial. art. 3. *Tumentes vteri, & argumenta currentia ſuper terram.* Vide illum art. 2. & eo ferè toto opere. Quæ crimina in alia etiam grauiora infœlices præcipitant ad turpitudinem celandam: quæ omnia deflet Hieronym. Epiſt. 22. ad Euſtoch. *Piget dicere quot quotidie virgines ruant, quantas de ſuo gremio mater perdat Eccleſia: ſuper quæ ſydera inimicus ſuperbus ponat thronum ſuum: quot petras excauet, & habitet coluber tortuoſus in foraminibus eorum. Videas pleraſque viduas antequam nuptas, infœlicem conſcientiam mentita tantum veſte protegere, quas niſi tumor vteri, & infantium prodiderit vagitus, ſanctas & caſtas ſe eſſe gloriantur: & erecta ceruice & ludentibus pedibus incedunt: aliæ verò ſterilitatem prabibunt, & necdum ſati hominis homicidium faciunt: Nonnullæ cum ſe ſenſerint concepiſſe de ſcelere, abortij venena meditantur, & frequenter etiam ipſæ commortuæ trium criminum rea ad inferos perducuntur; homicidæ ſui, Chriſti adulteræ, necdum nati filij parricidæ.* Huc quoque pertinent, quæ de cohabitatione mulierum & clericorum frequentes Synodi ſtatuerunt, quæ aliáque ſimilia ſingillatim perſequi longioris fuerit operæ, neque admodum neceſſariæ, cum eruditum lectorem vix latere poſſint, & ſuus commodior alibi locus fortaſſis futurus ſit.

Secundum caput huius præcepti petitur ex piorum offenſione, prauis æmulorum ſuſpicionibus, atque adeò infamia, quæ toti Religioni creatur. Hanc cauſam affert Bonifacius, cum eam vagandi licentiam dicit eſſe *in* 15.

Religionis opprobrium & ſcandalum plurimorum. Pius V. ait *ponere in Regularis honeſtatis gloria maculam.* Et in conſtitut. *Decori. Periculo & ſcandalo plenam rem eſſe, ac regulari obſeruantiæ vehementer aduerſari.* Deinde agens de variis prætextibus, quibus ſuum è monaſteriis egreſſum excuſabant Moniales. *Quo veluti colore*, inquit, *eximium honeſtatis & pudicitiæ decus ad diſcrimen committunt.* Hæc eadem ratio vitandæ ſuſpicionis & ſcandali affertur à S. Cæſario in ſua Regula,& à Synodis. dum familiaritatem virginum cum viris ſiue laicis, ſiue clericis, ſiue Monachis damnant & prohibent. Nicæn.2.cap.18.& 20. Trull. cap.47. Aquiſgr.c.144. & alia. Et ſanè quantam labem & maculam inferat Eccleſiæ vel incontinentia Clericorum & Regularium vtriuſque ſexus, vel eius ſuſpicio ex prauis & leuibus eorumdem moribus orta, deflent Patres, Ambroſ. de Virgin.lapſ. Chryſoſtom.ad Theodor.lapſ.Hieron.Epiſtol.ad Sabinian.Ildegard Cenoman. Epiſcopus Epiſt.79. aliíque, & ipſi hoſtes Eccleſiæ ſæpiſſimè obiiciunt.

16. Tertia denique huius clauſuræ cauſa affertur à Bonifacio, vt *Moniales à publicis & mūdanis aſpectibus ſeparatæ omninò ſeruire Deo valeant liberius, & laſciuiendi opportunitate ſublata eidem corda ſua & corpora in omni ſanctimonia diligentius cuſtodire.* Gregor.XIII. in Bulla *Vbi gratia*, per quam reuocat licentias omnes ingrediendi monaſteria Monialium. *Proinde Sāctimonialium quieti & tranquillitati conſulere, ac omnia, quæ illas à ſpiritualium rerum cogitatione & exercitio auocant, impedimēta tollere periculáque & ſcandala ab eis remouere cupientes.* Eadem habet Paulus V. in ſua conſtitutione an. 1612. per quam eiuſmodi quoque licentias irritat. *Monialium ſtatui, quæ ſecularia deſideria abnegantes Dei obſequio ſeſe addixerunt, paſtorali ſolicitudine prouidere cupientes, ad ea remouenda, quæ religioſam earum quietem & regularem obſeruantiam perturbare dignoſcuntur, curam noſtram libenter intendimus.*

Quantum enim iſtud commercium cum ſæcularibus à mētis quiete,diuinis ſenſibus & religioſis exercitiis auocet, docent paſſim Patres, dum de ſeceſſu, & abrenunciatione, atque vita aſcetica diſputant. Probátque ipſa experientia. Quid enim agit cum ſæculo, qui illi ſolemni profeſſione renunciauit? Hinc commendatio vitæ ſolitariæ, atque fuga ſæculi, de qua Ambroſ. Eucher. aliique tractatus ediderunt, & ſeceſſum nobilium virginum tantis præconiis extulerunt, vt Melaniæ Romanę iunioris apud Suri.in eius vita, Germanæ cuiuſdam virginis apud Cæſar. lib.4. cap.9. Paulæ Romanæ Hieronym. Epiſt. 48. de S. Macrina Gregorij Nyſſeni ſorore apud ipſum Epiſt. ad Olympium Monachum, & aliis traditur. His perſuaſa quondam B. Hildegardis Virgo & Abbatiſſa monaſterij in monte.S.Roberti apud Naam fluuium prope Bingam in Germania, quæ vixit circa annum 1150. cuius precibus D. Bernardus literis ſeſe commendauit, hanç clauſuram in ſuo Monaſterio ſeruari poſtulat ab Eugen. III. Epiſt. ad ipſum data. *Ego, ô Pater, in loco cælitùs mihi oſtenſo iuxta verba benedictionis tuæ ſecundum Regulam S. Benedicti ſub clauſura eiuſdem loci cum ſororibus meis maneo, & hoc me tam viuente quàm defuncta obſeruari deſidero.*

Hæc

Hæc igitur omnia iure perſuaſerunt Pontificibus, & Synodis clauſuram Monialibus apprimis neceſſariam eſſe ad Religioſam vitam, quam profeſſæ ſunt, traducendam, ac proinde ſapienter omnino & ſecundum Regulam illam imperandam eſſe.

§. VI.

Conſectaria ex doctrina tradita.

CONSECTARIVM I.

Cuius ſit indicere clauſuram Monialibus?

17. RESpondeo non modò Pontificem; ſed etiam Epiſcopos, alióſque Prælatos & ſuperiores poſſe imperare clauſuram Monialibus ſibi ſubditis. Hæc aſſertio ſequitur ex doctrina tradita: cum enim clauſura, vti fuit oſtenſum, ſit ſecundum Regulam Monialium, & in illa implicitè, aut ſaltem reductitiè contineatur, poſſintque ſuperiores omnia, quæ ad Regulam quomodocumque reducuntur, vti loquebatur S. Thomas, imperare: ſequitur ſuperiores ſiue Epiſcopi ſint, ſiue alij inferiores Prælati, poſſe illam Monialibus & monaſteriis ſibi ſubditis imperare, quàm conſequentiam admittit Suarez & Ferdinand. à Caſtro locis initio allatis; neque vllus omnino negare iure poteſt. Quare non ex facultate tantum ſibi facta à Bonifacio, aliiſque Pontificibus, de qua ſtatim, id poſſunt, ſed id habent ex natiua ſua poteſtate, & ſecluſa omni conſtitutione Pontificia, id omnino poſſunt, poterántque ante Bonifacij conſtitutionem, & Tridentini, ac Pontificum decreta.

CONSECTARIVM II.

Quam poteſtatem contulerint Epiſcopis conſtitutiones Pontificiæ, & Tridentini circa clauſuram Monialium.

EX diſputatis quoque manifeſtè ſequitur, an Bonifacij, cæterorúmque deinceps Pontificum ſanctiones, ipſiúſque adeò Tridentini maiorem aliquam poteſtatem fecerint ſuperioribus circa Monialium clauſuram. Nam certum eſt primò ſuperiores Regulares, alióſve omnes, exceptis Epiſcopis, nullam planè nouam poteſtatem accepiſſe obligandi ad clauſuram Moniales; id enim priùs, vti oſtendimus, poterant. Sed ipſimet Prelati iuſſi ſunt vti illa ſua poteſtate, & vagandi licentiam non ferre; atque in omnibus monaſteriis ſibi ſubiectis conuenientem clauſuram quamprimùm procurare: ita enim diſtinctè in virtute ſanctæ obedientiæ ſub obteſtatione diuini iudicij, & maledictionis æternæ illis præcipit ac mandat Bonifacius, ac deinde Tridentinum; Pius V. & alij Pontifices conſtitutionem Bonifacianam innouantes: atque vt id faciliùs exequantur, dant facultatem cogendi rebelles per cenſuras eccleſiaſticas omni appellatione poſtpoſita, inuocato, ſi opus fuerit, brachio ſæculari. 18.

Secundò quoad Epiſcopos difficultas non leuis eſt: nam Bonifacius dat illis poteſtatem extraordinariam in monaſteria Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiecta quoad clauſuram cuſtodiendam, & inducendam. Tridentinum verò ſeſſ. 25. de Regularibus videtur eam poteſtatem Epiſcopis factam extendere ad omnia monaſteria: apertè enim ait eos autho- 19.

ritate ordinaria in monaſteriis ſibi ſubiectis clauſuram curare debere; in aliis verò authoritate Sedis apoſtolicæ, à qua nimirum delegantur ad hoc munus: ſic enim habet: *Vt in omnibus monaſterijs ſibi ſubiectis ordinaria; in alijs verò Sedis apoſtolicæ autheritate clauſuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter reſtitui: & vbi inuiolata eſt, conſeruari maximè procurent.* Neque diſtinguit Concilium, an ea monaſteria ſubiiciantur immediatè Sedi apoſtolicæ, aut aliis ſuperioribus; ſed omnia, quæ non ſubduntur Epiſcopis, indefinitè & abſolutè comprehendit, in iiſque omnibus vult Epiſcopos clauſuram procurare, poteſtate ſpeciali ſibi à Sede apoſtolica facta, ſicut in monaſteriis ſibi ſubiectis id facere tenentur ordinaria poteſtate. Atque vt omne dubium tolleret Pius V. in ſua conſtitutione *circa Paſtoralis*, diſertè comprehendit omnia monaſteria exempta. *In his verò*, inquit, *quæ ad Romanam mediatè, vel immediatè ſpectant Eccleſiam, Sedis apoſtolicæ authoritate vnà cum ſuperioribus eorumdem monaſteriorum clauſuram, vt præmittitur, quamprimùm potuerint, ſeruari procurent.* Quibus verbis omnia monaſteria exempta apertè ſubiicit Epiſcopis quoad clauſuram. Itaque omnino ſenſerunt Barboſa in Collectan. ad illud cap. Tridentini & de poteſtate Epiſcoporum allegata 102. n.7. & 8. 3. dicta in praxi verſ. Monialis Ferdinand. à Caſtro punct.9. cit.n.7. Gallet.in Margarit.caſuum conſcientiæ,verſ. clauſura, & alij, idque deciſum ſæpiùs fuiſſe à S. Congregatione Tridentini referunt Barboſa & alij, ab ipſo adducti. Negant tamen hanc poteſtatem Epiſcopis Sanchez lib.6. in Decalog. cap. 15. n.11.Bonac.de clauſura, q.1.punct.6. n.1. Nauar. comm.4.de Regul. n.60. Llamas in methodo curationum in appẽdice quam ponit ſub fin.§.5.Neque abeſſe videtur Tambur. diſp.24. de iure Abbatiſſar. quæſ.9.n.5. Quia Trident. declarat duntaxat & interpretatur Bonifacianam conſtitutionem in qua diſertè ea poteſtas non tribuitur Epiſcopis niſi in monaſteria ſibi ſubiecta, aut immediatè Sedi apoſtolicæ ſubdita. Reliquorum verò curam hac in parte commendat Abbatibus, & aliis Prælatis eorum monaſteriorum. Cùm igitur illam conſtitutionem confirmet Tridentinum, neque ſe illi derogare ſignificet vllo modo, quis dicat illud authoritatem,quam fecerat Bonifacius Prælatis monaſteriorum, in Epiſcopos tranſtuliſſe, maximè cum ex doctrina communi 1. parte ſcientiæ noſtræ Canonicæ ſtabilita cum Sanchez lib.7. de matrim. diſp.46. n.21. conſtitutio interpretatiua alterius intelligenda ſit, iuxta eam, quam declarat, quamuis ſtrictiùs, rigidiúſque loqui videatur; quare eaſdem omnino & exceptiones, & interpretationes patitur; ipſúmque Tridentinum cit. ſeſſ.25. de ſtatu Regular. cap.9. Sanctimonialium monaſteria immediatè ſanctæ Sedi apoſtolicæ ſubiecta ab Epiſcopis tanquam dictæ Sedis delegatis gubernari mandat; quæ verò *a regularibus reguntur: ſub eorum cura & cuſtodia relinqui*: neque clauſuram excipit: immò illo ipſo cap.5. in quo de clauſura agit, vult monaſteria extra mœnia conſtituta, *intra vrbes, vel oppida frequentia reduci*, ab Epiſcopis & aliis ſuperioribus; nempe vt quilibet ſibi ſubiecta reducat. Neque contrarium voluit Pius V. qui expreſsè ſignificat ſe indicere clauſuram *iuxta formam*

formam dicta conſtitutionis, Periculoſo, in ſacro Concil. Trid. approbatam & innouatam, quam ſua etiam authoritate *approbat & innouat in omnibus & per omnia, ac illam diſtrictè obſeruari mandat :* quod reuera non faceret, ſi eam quoad authoritatem indicendæ clauſuræ immutaret, illíque derogaret. Cum igitur Pius edicit, mandátque Epiſcopis, *quatenus* in monaſteriis Monialium ſibi ordinario iure ſubiectis, ſua; in his verò, quæ ad Romanam mediatè, vel immediatè ſpectant Eccleſiam, Sedis apoſtolicæ authoritate vnà cum Superioribus eorumdem monaſteriorum clauſuram ſeruari procurent cum diſtributione accommoda, intelligendus eſt, vt nimirum Epiſcopi id procurent in monaſteriis immediatè Romano Pontifici ſubiectis, in aliis verò id faciant eorumdem Superiores.

15. In hac difficultate mihi videtur imprimis hanc poteſtatem minimè competere Epiſcopis circa monaſteria, neque ſibi, neque Sedi apoſtolicæ immediatè ſubiecta, attenta ſola conſtitutione Bonifacij & Tridentini decreto : Bonifacius enim diſertè cõtrarium ſignificat: & Tridentinum nihil omninò habet, vnde colligatur aliud concedi Epiſcopis, quàm quod Bonifacius conceſſerat.

Exiſtimo ſecundò ſanctionem Pij V. nouam aliquam Epiſcopis circa monaſteria exempta, neque tamen Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiecta poteſtatem tribuiſſe quoad clauſuram ; non tamen plenam & omnimodam, nempe vt vnà cum eorumdem monaſteriorum ſuperioribus clauſuram ſeruari procurent Apoſtolicæ Sedis authoritate : quare non tollit Superiorum immediatorum, ſiue Regularium, ſiue non Regularium authoritatem, neque illi, quam Bonifacius & Tridentinum contulerant derogat, ſed potiùs, vti aduertit Ferdinand. à Caſtro Palao, fauet: ſicuti enim nihil perit Ordinariis, neque detrahitur iuriſdictioni, quam habent abſoluendi à peccatis & cenſuris, quamuis ſimilis aliqua poteſtas facta ſit per delegationem Apoſtolicam quibuſdam Regularibus; ſimili ratione manet ſua integra poteſtas ſuperioribus monaſteriorum exẽptorum circa clauſuram ; quamuis eadem quoque poteſtas facta fuerit Epiſcopis per extraordinariam delegationem. Deinde, per illam particulam, *Vnà cum eorumdem monaſteriorum Superioribus*, limitat hanc Epiſcoporum poteſtatem Pius, oſtenditque eſſe diuerſæ rationis à poteſtate Superiorum immediatorum, qui poſſunt ipſi ſua authoritate non interpellato, ſiue requiſito Epiſcopo, quæ ad clauſuram pertinebunt, ſicut & alia omnia ad diſciplinam Religioſam ſtatuere, cum Epiſcopi id minimè poſſint, niſi vnà cum Superioribus, aut niſi manifeſta ſit violatio clauſuræ : tunc enim niſi admoniti Superiores prouideant, ea cura pertinebit ad Epiſcopum tanquam apoſtolicæ Sedis legatum; quod non modò in manifeſta clauſuræ violatione exiſtimarim poſſe; Sed etiam quoties dubium erit de eius obſeruatione. Poterit enim Epiſcopus vnà cum ſuperiore in eum finem monaſterium viſitare, atque ſi ipſe noluerit, ſolus Epiſcopus viſitabit: quia Pius non reſtrinxit hanc facultatem, quam facit Epiſcopis ad manifeſtã clauſuræ violationem, vti malè exiſtimauit Miranda tract. de ſtatu Monial. quæſt. 2. art. 14. conc. 3. Sed generalem dedit facultatem pro clauſula procuranda : quod volunt ſine dubio deciſiones Congregat. re-

latæ à Barboſa. Ideóque Naldus in ſumm. verſ. clauſura, num.2. exiſtimat Epiſcopum non poſſe impediri à ſuperiore Regulari, quin viſitet Cœnobia Monialium ratione clauſuræ, quoties id neceſſarium eſſe iudicauerit, quæ fuit quoque mens Barboſæ relati & Victorelli tract. de origine & clauſura Monial. §. *an Epiſcopis Superioris licentia eſt.*

16. Conſulenda nihilominus erit praxis & vſus, Vtrum Pij V. Bulla ea ratione intellecta & in mores inducta fuerit, an non. Si enim Regulares ſemper ſuum illud ius exemptionis etiam circa clauſuram retinuerunt, non poterunt Epiſcopi vi huius conſtitutionis, cuius mens non ita perſpicua eſt, & varias pati poteſt expoſitiones, ſibi hanc facultatem, niſi in manifeſta clauſuræ violatione vti ſentiebat Miranda, tribuere. Sanè Pius in ſua conſtitutione *Decori*, mandat omnibus Epiſcopis, & aliis locorum ordinariis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub obteſtatione diuini Iudicij, & interminatione maledictionis æternæ, vt quotannis ſuas literas publicari faciant: & quæ in iis, atque decreto Concilij Tridentini præcipiuntur, obſeruent, & obſeruari procurent per cenſuras Eccleſiaſticas, aliáſque pœnas authoritate Apoſtolica ſibi delegata, omni appellatione poſtpoſita, rebelles puniendo. Poſſunt igitur Epiſcopi cogere etiam Superiores regulares, alióſve monaſteriorum exemptorum ad tuendam clauſuram, atque ſi violata ſit, illam reſtituere. Neque opinor aliud voluit idem Pontifex, dum Epiſcopis vnà cum ſuperioribus eiuſmodi monaſteriorum clauſuram procurare mandat. Quod verò attinet ad publicationem decreti de clauſura, quam fieri iubet quotannis, id neque vſu receptum eſt neque poſt eiuſdem Pij V. conſtitutionem, *Circa paſtoralis* & Gregorij XIII. *Deo ſacris* vbi ſolam publicationem præcipit, obligat, ſufficietque vna publicatio, vti exiſtimant Sanch. cap.15. lib.6. in Decalog. num.23. & Ferdinand. à Caſtro Palao tract.16. diſput.4. punct.9. n.8. Bonac. quæſt.1. de clauſura punct.6. numer. 3. quamuis dubitet Nauar. comm.4. de Regul. num.54.

Consectarivm III.

Ad quid teneantur Principes circa clauſuram Monialium.

Tridentinum ſeſſ.25. cap.5. hortatur Chriſtianos Principes, vt præbeant auxilium Epiſcopis, aliiſque ſuperioribus ad clauſuram Monialium ſeruandam neceſſarium: & omnibus Magiſtratibus ſæcularibus, vt illud reipſa præbeant ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda iniungit. Pius V. in ſua conſtitutione *Circa paſtoralis.* ſimili modo Principes, Dominos, ac Magiſtratus temporales obteſtatur per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti. Ex quibus habes Principes ſæculares attento quidem Tridentini decreto, & Pij conſtitutione minimè peccaturos, ſi clauſuram Monialium minimè promoueant, & auxilium ad id neceſſarium Epiſcopis poſtulantibus recuſent: quia reuera neque Tridentin. neque Pius illos obligat ad id, cùm non præcipiant, ſed rogent. Ita Sanch. cap.15. citat. num.22. Bonacina punct.6. cit. ex Nauar. comm. 4. de Regul. n.46. Peïryn. in conſtit. Pij V. §.10. n.10. Obſeruátque Gloſſa in Clement. 1. 17.

de

de teſtib. verſ. exhortamur Papam cum principibus curialiter loqui. Et quæ, licet hæc exhortatio videatur conſilium, eſt tamen reuerentia, cui neceſſariò parendum eſt. Quod additamentum Gloſſæ iure merito Nauarr. improbat comm.4. cit.cum exhortatio minimè contineat præceptum. Itaque ſi aliunde non obligentur Principes ad illud, ad quod ipſos hortatur Pontifex, non peccant illud omittendo. Peccabunt tamen ſi aut clauſuram Monialium, quam ſuperiores ſeruare volunt, impediant ſua authoritate, aut ſi vrgente neceſſitate áuxilium illud Epiſcopis, aliiſque recuſent: quia ſunt Canonum protectores.

Alia verò longè ratio eſt Magiſtratuum: illi enim ſub excommunicationis pœna à Tridentino lata tenentur auxilium hanc in rem præſtare Epiſcopo illud implorãti. Quomodo verò, & qua ratione hoc auxilium in his & aliis ſimilibus caſibus præbendum ſit à Magiſtratu ſæculari, Iudici aut Prælato Eccleſiaſtico fuſiùs diſputamus 5. part. noſtræ ſcientiæ canonicæ, quæ eſt de iudiciis. Quàm verò cumulatè hæc omnia præſtiterint Reges Chriſtianiſſimi, patet ex ſanctione Henrici III. an.1579. in Comitiis Bleſenſib. art.31. vbi omnes Epiſcopos, vt clauſuram Monialium vbique reſtituant, hortatur, illáſque cenſuris eccleſiaſticis cogant, omni appellatione poſtpoſita, omnibus magiſtratibus, vt omni ope Epiſcopos iuuent, edicit. Et quidquid Bonifacius ſua conſtitutione, aut Tridentinum ſuo decreto ſancitit, ſuo ipſe edicto omnino imperat.

Consectarium IV.

An conſuetudo poſſit derogare clauſuræ.

Reſpondeo conſuetudinem poſſe derogare clauſuræ, & eius obſeruationi ſiue quoad egreſſum, ſiue quoad ingreſſum, aut modum & rationem diuerſam clauſuræ, ſiue iamdiu continuarit, & ante pontificias conſtitutiones, ac Tridentini decreta inducta fuerit ſiue poſt illa; ſiue ea decreta recepta aliquando fuerint, vſúque deinde contrario abrogata, ſiue nunquam recepta, & in mores inducta fuerint, vti de pluribus Germaniæ locis teſtatur Layman. lib.4. tract.5. cap. 12. num.3. Ita ſentiunt idem Layman. ibid. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 15. num.4. Azor. 1. part. Inſtit. Moral. lib.13. cap.8. q.1. Ferdinand. à Caſtro Palao punct.9. num.4. Suar. tract.8.de Relig. cap.8. num.12. lib. 1. & alij contra Llamas in methodo curation. in appendice in §.2. ſequitur ex noſtra propoſitione, in qua oſtendimus clauſuram ſola lege eccleſiaſtica inductam fuiſſe, non naturali, aut diuino iure; atque legi poſitiuæ derogari conſuetudine, & illam niſi recepta ſit, minimè obligare certiſſimum eſt. Quod verò obiicit Llamas clauſuram implicitè in voto contineri, eo quod ad caſtitatem ſeruandam ſit neceſſaria, ſuperiùs reiectum fuit: nam neque in voto continetur ex natura rei, & ſi in eo implicaretur, id ex lege ſolum eccleſiaſtica haberet, neque omnia quæ quia ſecundùm Regulam ſunt, ac proinde imperari poſſunt à ſuperiore, & ſeruari à ſubdito ratione voti obedientiæ dicuntur, obligant ex iure diuino; alioquin nihil vnquam poſſet conſuetudo 18.

do contra præcepta & leges ſuperiorum, quia obligarent ex iure diuino, cui conſuetudo nihil prorſus vnquam detrahit, vt diximus prima parte operis de ſcientia canonica. Obſeruat autem Suar. loco cit. potuiſſe intra eamdem prouinciam in vna Religione, & non in alia, immò in vno monaſterio eiuſdem ordinis & non in alio abrogari legem clauſuræ; quia cum ſint diuerſæ communitates, vna poteſt contra legem præſcribere, & non alia: Si tamen per poſteriores leges temperetur rigor clauſuræ, qui alicubi ſeruabatur, poterunt omnia monaſteria vti ea moderatione legis: quare quæ hodie nondum ſeruant clauſuram, ſunt tutæ in conſcientia, modò paratæ ſint, vbi illa à legitimo ſuperiore imperabitur, poterítque eadem in ſuis monaſteriis ad id inſtructis ſeruari, obſequi legi eccleſiaſticæ.

Consectarium V.

An vbi conſuetudine derogatum eſt clauſuræ, aut decreta & leges de ipſa receptæ non ſunt, aut iam antiquatæ, clauſura induci poſſit.

39. Azor. quæſt. 1. nuper citata poſtularet nouam conſtitutionem Pontificiam; qua cogerentur Moniales clauſuram ſubire: mihi diſtinguendum eſt. Nam vel quæritur an vi conſtitutionum Pontificiarum & ex Tridentini Decreto poſſit in eiuſmodi monaſteriis induci clauſura; an verò propria authoritate ſuperiorum. Primum fieri non poterit; cum enim conſuetudine antiquata eſt aliqua lex, nemo ad illam ſeruandam cogi poteſt, niſi ab ipſomet legiſlatore, qui ſuam legem aut innouat, aut iterum edicit: quod idem dicendum eſt, quando recepta non fuit: ille enim ſolus poterit ad legem illam ſeruandam obligare, qui poterit imperare eius acceptationem, quod ſanè nequit inferior reſpectu legis Superioris. Sic nequit Epiſcopus in Gallia, aut Germania Tridentini Decretum circa diſciplinam eccleſiaſticam, quod legibus & vſu Regni receptum non eſt, ſua authoritate publicare, ad eiúſque obſeruationem obligare. Quare ad clauſuram indicendam locis, in quibus vel conſuetudo contraria illi detraxit, aut Tridentinum, bullæque Pontificiæ de ipſa edictæ receptæ non ſunt, nouam conſtitutionem Pontificiam ſapienter poſtulabat Azor; quæ antiquas illas ſanctiones aut innouaret, aut ſeruari præciperet. Poſſent nihilominus ſuperiores ſua authoritate, non à bullis olim editis de clauſura, illam imperare eadem ratione, qua præcipere poſſunt, quæ ad ſeruandam regulam, vota, & modum viuendi religioſum neceſſaria ſunt, túncque poſſent vrgere obſeruationem bullarum Pontificiarum, ſicut & aliarum legum, & ad id obligarentur Moniales, non ex vi Bullæ, ſed præcepti Superioris: vbi tamen in vſum deinde fuiſſent reuocatæ bullæ, reuera vim ſuam recuperare poſſent. Sicut enim moribus contrariis, & non acceptatione ceſſant obligare: ita ipſo vſu ſine dubio incipiunt obligare. Non poſſent tamen hoc caſu Epiſcopi indicere clauſuram niſi ſibi ſubiectis monaſteriis, non in aliis exemplis, & Sedi apoſtolicæ ſubiectis, in quibus habent tantùm authoritatem extraordinariam & delegatam vi bullarum,

rum, & Tridentini decreto: quæ cum non vigeant illis locis, vt ſupponimus, reuera ſicut non obligant Moniales, ita neque dant authoritatem Epiſcopis ipſas cogendi ad eam clauſuram ea ratione, qua poteſt Prælatus Regulam collapſam reſtituere. Qua de re Sanch. lib. 6. in Decalog. cap.2. Peïryn. de ſubdito Religioſo quæſt.1. §.3. & alij ſuo loco adducti.

Consectarivm VI.

An quæ voueant clauſuram, magis ad illam obligentur, quàm cæteræ Moniales.

20. SVpponendum eſt non cogi Sanctimoniales, vt aliquod clauſuræ votum emittant: quia nullibi hoc imperatur, aut declaratur, neque ſub ea conditione præceptum clauſuræ impoſitum eſt à lege Eccleſiaſtica, aut ita explicatum & intellectum. Quare obligatio clauſuræ aliter omninò ſe habet, quam continentia Clericorum; quæ ex lege Eccleſiaſtica, vti diximus aliàs, ita eſt annexa ſacris Ordinibus, vt voto ſaltem implicito in ſuſceptione ſacrorum Ordinum contineatur. Ita Suar. cap.8. cit. num.23.

Nihilominus aliquæ Sanctimoniales, vt S. Claræ & quædam aliæ votum clauſuræ expreſsè emittunt, de quibus loquitur noſtrum Conſectarium, dum quærit, an contrahant maiorem obligationem. Reſpondeo cum eodem Suare obligationem extenſiuam non eſſe maiorem, cum præceptum clauſuræ, quo aliæ tenentur, comprehendat omnes perſonas, tempus omne, ſiue omnes occaſiones exeundi, requirátque eaſdem cauſas, atque adeo ad illa omnia extendatur, quæ voto clauſuræ comprehendi poterunt. Eſt tamen maior obligatio intenſiua, atque adeò grauior, eiúſque violatione non peccatur ſolùm contra legem Eccleſiaſticam, ſed contra Religionem, committitúrque ſacrilegium. Deinde multò difficilior eſt eius diſpenſatio, & ab altiori authoritate dependet, aut ſaltem maiorem cauſam exigit, vti vides.

Cap. II.

Quinam ſint Clauſuræ limites.

HÆc quæſtio omninò neceſſaria eſt, & cæteris, quæ de egreſſu aut ingreſſu in monaſteria diſputabimus, præmittenda, vti conſtare certò poſſit, quandonam reipſa violetur clauſura egreſſu, aut ingreſſu.

§. I.

Antiqua Monaſteriorum ſtructura.

VT verò faciliùs conſtet quænam antiqua fuerit, quæque hodierna ſit diſciplina hac in parte, libet paucis totam antiquorum monaſteriorum ſtructuram, variáſque eius partes tum internas tum externas explicare: inde enim quantum à noſtra forma diſſideant, videbis: & quænam in ipſis fuerit clauſura, perſpicies, atque multis Synodorum decretis lucem affundes.

1. Quodlibet igitur Monaſterium, ſiue Cœnobium, hæc enim nomina in præſentiarum ex recepto vſu confundo, quamuis reuera ſynonyma non ſint, vt inferiùs oſtendam, ſuam aream muro aliquo vndique ſeptam habuit, in qua clauſtra, habitationes, cubicula, officinæ interiores, hortus, & omnia denique loca, in quibus tum Monachi, tum Canonici, tum Sanctimoniales ordinariò verſabantur continebantur; claudebatúrque totum monaſterium tum ianua interiori, per quam in ipſum monaſterium penetrabatur: tum exteriori, per quam pateret aditus ſæcularibus ad externa quædam cubicula & colloquiis deſtinata: quod ſeptum non modò in puellarum, ſed etiam virorum, vt dixi, monaſteriis tam ſanctè fuit obſeruatum, vt clauſtrum pro monaſterio paſſim fuerit vſurpatum, vti in præfatione oſtendimus: Et de Sanctimonialium quidem Cœnobiis Concilium Foro-Iulienſe ſub Adriano I. Canone 12. ſic habet: *Vt monaſteria puellarum, quæ ſub diſciplina Regulæ degunt, obſtrictiùs munitis clauſtris nulli pateant.* Eugen. III. in Concil. Rhem. cap. 4. agens de Sanctimonialibus Canonicis Cabilon. 2. cap. 61. & 62. iubet, vt negotia non fiant intra monaſterium, ſed ad portam illius agantur, & cap. 64. vt portaria eligatur ætatis maturæ & vitæ probabilis. Idem ſupponunt omnia Concilia, quæ aut admitti viros intra monaſterium, aut Sanctimoniales extra illud prohibent egredi.

2. Monaſteria quoque virorum ſimili ratione clauſa fuiſſe liquet, vnde Leo IV. in Synodo Romana cap. 23. prohibet: *Ne Monachi à Monaſteriorum clauſura abſque Abbatis licentia egredi præſumant.* Et Caſſian. collat. 24. cap. 4. ſatis oſtendit in Ægypto illos, qui non incolebant ſolitudines, clauſtris fuiſſe cohibitos. Iſidor. Hiſpalenſis, qui obiit an. 636. cap. 1. Regul. Monach. quam ab eo ſcriptam teſtatur Braulio Cæſaraugustan. ſic habet: *Imprimis, fratres chariſſimi, monaſterium veſtrum miram conclauis diligentiam habeat, vt firmitatem cuſtodiæ munimenta clauſtrorum exhibeant: Monaſterij autem munitio tantum ianuam extrinſecùs habeat, vnúmque poſticum, per quem eatur ad hortum, & hortulus ſanè intra monaſterium ſit incluſus, quatenus dum intus Monachi operantur, nulla occaſione exteriùs euagentur.* Et Ruffinus teſtatur Iſidori monaſterium nominatiſſimum apud Thebaidam ampliſſimis ſpatiis circumſeptum, muróque circumdatum fuiſſe, & omnia quæcumque neceſſaria vſibus erant, ſufficienter imò & abundanter prouiſa, ob hoc, vt nulli Monachorum habitantium intrinſecùs neceſſitas vlla fieret exeundi foras. Quam eandem ob cauſam ita conſtrui omnia, tum puellarum, tum virorum monaſteria iubet Concilium Moguntinum ſub Carol. Magno cap. 20. & Capitul. lib. 5. cap. 78. *Vt ſint in apto & congruo loco poſita, vbi commodum, ac neceſſarium poſſit acquiri.* Deinde, *vt omnia neceſſaria infra monaſterium exerceantur, vt non ſit neceſſitas Monachis vel Clericis vagandi foras.* Vt miſſi Regij cũ Epiſcopis, *Per diuerſa loca prouideant, ſicut monaſteriorum ædificationes aptæ ſint & congruenter ſanctæ profeſſioni compoſitæ: vel ſi clauſtrum firmum habeant, in quo poſſint ſaluari animæ in eis commorantium ſub diſciplina Canonica vel Regulari; Epiſcopi quod aliter factum fuerit, emendari curent, vt condi-*

gnus

gnam profeſſioni eorum cuſtodiam habeant Canonici, vel Monachi, atque Nonnanes. Vbi cuſtodia clauſura eſt. Aquiſgran. Concil. 1. cap. 117. *Quamuis Præpoſitorum ſit, vt ſubditorum mentes ſanctarum Scripturarum lectionibus aſſiduè muniant,* &c. *Neceſſe eſt tamen, vt clauſtra, in quibus clero ſibi commiſſo canonicè viuendum eſt, firmis vndique circumdent munitionibus, vt nullis omninò intrandi, aut exeundi, niſi per portam pateat aditus.* Et cap. 144. clauſtra Canonicorum diligenter cuſtodire præcipit. Concil. verò 2. item Aquiſgran. ſub eodem Ludouico Pio imperante coactum. part. 3. cap. 15. de omnibus monaſteriis claudendis ſic edicit: *In cuſtodiis Canonicorum, quamque Monachorum, necnon Sanctimonialium ſummopere ſtudendum cenſuimus, vt in omnibus locis clauſtra eis prouideantur Religioni eorum conguentia, ſed & habitacula domorum, in quibus Religio Deum ſequi volentibus perfici, atque augeri poſſit, atque nutriri.* Vt verò aliquid ex antiquiſſima inſtitutione repetamus Pachom. Baſilio antiquior Monialium, atque etiam Monachorum Tabennenſium Monaſteria muro vndique circumſepta fuiſſe euidenter oſtendit, cum in ſua Regula art. 47. ſic edicit. *Nullus neque ambulandi in monaſterio, neque extra murum monaſterij procedendi habeat facultatem, niſi interrogauerit Præpoſitum, & ille conceſſerit.* Ab hac, opinor, incluſione Petrus Damian. opuſc. 52. c. 2. Clauſtrum monaſterij dicit eſſe Viuariũ animarum, captabulum cæleſtium pecorum, & auiarium volucrum. Eóque trahit illud Pſalm. 8. pecora campi & piſces maris. Et Oſeæ 4. *In beſtias agri, & in volucres cæli, ſed & piſces maris cõgregabuntur.* Quæ omnia fuſiùs exponit. Initio dixerat clauſtrum eſſe bituminatæ arcæ Noeheæ latibulum.

His igitur clauſtris, & veluti munitionibus iam olim cingebãtur monaſteria Canonicorum, Monachorum, & puellarum, in quibus diſtinguere licebat duplicem partem, vnam interiorem; alteram exteriorem. Interior continebat *Dormitoria, refectoria, cellaria, & cæteras habitationes vſibus fratrum in vna ſocietate viuentium neceſſarias,* vt loquitur Aquiſgran. cap. 117. Quæ omnia interiùs, ſiue intra ſepta monaſterij claudebantur, erátque, vt etiam hodie ferè eſt, quadrilatera interioris, huius, vt ita loquamur, monaſterij, fabrica, complectens oratorium, ſiue templum, refectorium, dormitorium & clauſtrum, quorum meminit Innocent. III. cap. cum ad monaſterium de ſtatu Monach. vbi in tribus prioribus locis ſilentium continuum obſeruari: In clauſtro verò certis horis & locis ſecundum conſuetudinem monaſterij mandat. Quadratam hanc ſtructuram aliter alij partiuntur, atque in his vetus Poëta cuius verſus in laudem vitæ monaſticæ ex codice M. S. Melanij Redonenſis refert Iacob. Sirmond. in notis ad Goffrid. Vindocm. lib. 4. Epiſt. 1. 3.

Quid quod ſic habitant, vt ſit ſacer ipſe domorum
Et ſitus, & numerus, ſufficiénſque ſibi.
Quadratam ſpeciem ſtructura domeſtica præfert,
Atria bis binis inclita porticibus.
Quæ tribus incluſa domibus, quas corporis vſus
Poſtulat; & quarta, quæ domus eſt Domini.

Diſcurſum Monachis, vitam dant & ſtationem,
Qua velut in caulis contineantur oues.
Quarum prima domus ſeruat polúmque cibúmque
Ex quibus hos reficit iuncta ſecunda domus.
Tertia membra fouet vexata labore diurno:
Quarta Dei laudes aſſiduè reſonat.

Quia verò hæc omnia cingebantur vndique & claudebantur ſeptis, vel muris; idcirco comparat Monachos formicis, quæ communem vitam ducunt, & iiſdem ſub laribus horrea parua locant: & Apibus: Exagonis cellis quæ mella liquantia ducunt,

Quæ diſciplinam, quæ iura domeſtica ſeruant,
Quáſque ſimul reficit ingenioſa domus.

Alij alias partes quatuor illis veluti principibus annectunt, de quibus hæc pauca accipe.

§. II.

Oratorium Monaſterij quale eſſet.

4. PRima igitur pars monaſterij Oratorium fuit, id eſt, Eccleſia ſiue domus Dei; ſic enim nominatur in Concil. Gangrenſi can. 5. οἶκ☉ Θεῦ & κυριακὸν, Dominicum apud Athanaſ. in vita S. Antonij. Cur verò domus Dei Oratorium dicatur? Rationem petit VValfrid. Stribo. lib. de exordiis & increment. rerum eccleſiaſt. cap. 10. *à deprecationibus ibi faciendis, & à locutione doctrinæ.* Oratio enim tum poſtulationem, tum doctrinam ſiue docendi actionem ſignificat. *Inde eſt, quòd primi Ordines in Eccleſia vtuntur orarijs quæ ad ipſos pertinet docendi officium, & publici declamatores, ac ſapientes dictionum compoſitores oratores vocantur.* Verùm cur VValfridus orarium retulerit ad docendi officium, non ſatis capio. Eſt quidem orarium idem atque ſtola ex Synodi octauæ art. 10. atque ex Fortunato, qui in vita S. Marcelli Pariſienſis Epiſcopi, ait ipſum ſuo orario ingentem draconem cepiſſe: *Miſſóque*, inquit, *in collum ſerpentis orario, triumphum ſuum ante oculos ciuium extrahebat.* Illo vtebantur Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi ex Concil. 4. Toletano cap. 27. non verò Subdiaconus: id enim illi prohibetur à Concil. Laodicen. cap. 22. Verùm non à docendo, ſed ab orando & ſupplicando dictum putauit Bleſenſ. ſerm. 41. *Orarium*, inquit, *dicitur, quia propter offenſas populi tui cum humili genuflexione Domino debes ſupplicare, tuis precibus indignationem placare.* Concil. Braccarenſe 3. cap. 3. præcipit interminata excommunicatione Sacerdoti, vt ad Miſſarum ſolemnia accedens, ſiue ſit ipſe ſacrificium oblaturus, ſiue Sacramentum corporis & ſanguinis Domini ſumpturus, *Orario vtroque humero circumſeptus accedat.* Vbi vides nihil de docendi officio per orarium ſignificato agi, longéque aliam myſticam ſignificationem orarij, ibidem adducit Concilium, *Nempe ornamentum virtutum, quo inter proſpera & aduerſa circumſeptus appareat: Deinde vt illo ceruicem & vtrumque humerum premens ſignum in ſuo pectore preparet Crucis.* Balſamon in Concil. Laodicen. can. 22. citatum, ait orarium eſſe ferè Diaconorum tantùm, in quo, vt iam vidimus, fallitur. Iis porrò attributum dicit, quia cum

aſſiſtant

aſſiſtant celebrantibus ſanctarum orationum myſteria obſeruant, ſicut & Presbyterorum prolationes, & ſignificant per orarium quando fieri debeat pronunciatio, ſeu prolatio petitionum, tum cathecumenorum tum cæterorum atque adeò dictum ὡράριον ἀπὸ τοῦ ὡρῶ, quod eſt obſeruo: quod ipſe ſanè malè obſeruat: eſt enim orarium Romana vox, vt ait Suidas, & author veteris ethymologici, erátque textile oblongum ad faciem & os tergendum, vnde deriuatum eſt; quod etiam Gloſſæ Baſilicorum habent. Verùm quidquid modò ſtatuas de nominis ethymo, vides illud nihil ad docendi officium pertinere, quod contendebat VValfrid. quamquam non negarim illud geſtari ſolitum fuiſſe à Concionatoribus inter docendum populum: ita enim Alcuin. cap. 39. Raban. & Beda teſtātur. Inde tamen non fit eo ſignificari docendi officium: quare non ab orario deductum fuit Oratorium, eo quod in illo ſacri Oratores declamarent, & populum docerent, vt malè dixit VValfrid. ſed à diuinis precibus: quod apertè tradunt Auguſtin. Epiſt. 121. & Benedic. cap. 52. ſuæ Regulæ, & in ea loca Hugo à S. Victore & Turrecremata commentantur, & Chriſtus ipſe Matthæus 19. & Luc. 21. domum ſuam domum orationis vocandam prædicit: vnde & Græcis dicitur εὐκτήριον à Photio in nomocan. tit. 2. & εὐκτήριος οἶκος in Concil. Laodiceno cap. 6. & Trullan. 59. Quamuis autem maiores Eccleſiæ dicerentur aliquando oratoria. Nam Eccleſiam ſanctæ Crucis, in qua Hilarius Papa fecit confeſſionem, & lignum Dominicum poſuit cum cruce aurea, cum gemmis, quæ penſabant pondus librarum viginti, Oratorium vocat Anaſtaſius; frequentiùs tamen minora ſacella, ſiue in vrbe, ſiue per vicos & pagos conſtructa nominabant oratoria, vt ſæpiùs habes in Anaſtaſio 6. Synodo cap. 31. prohibet ſine conſenſu Epiſcopi baptizare in oratoriis, quæ intra domos ſunt. Concil. Agathenſ. cap. 21. audiri & celebrari Miſſas in ſolemnioribus feſtiuitatibus in oratoriis, quæ ſunt in agris; & in Concil. Cabilon. 1. cap. 14. quæruntur Patres, quod oratatoria per villas conſtructa & facultates illis collatas ipſi *potentes, quorum villæ erant, Epiſcopis contradicerent*: & nec ipſos Clericos, qui ad ipſa oratoria deſeruiunt ab Archidiacono coërceri permitterent: quare ſanxit Synodus, vt hæc omnia forent in poteſtate Epiſcopi. In his oratoriis ferè recondebantur Martyrum reliquiæ, vt in Turon. lib. 2. Hiſt. cap. 6. habes de oratorio Metenſi, in quo S. Stephani pignora ſacra erant, vbi eiuſmodi oratoria amplioris erant molis, Martyria dicebantur. S. Martialis oratorium ante ſuum ſepulchrum conſtituit, vt ait Aurelianus eius diſcipulus in eius vita. Sed ne diligentiùs diſcrimen oratorij, & Eccleſiæ perſequar hoc loco, Oratorium propriè Monachorum fuit: nam & S. Benedictus, aliique conditores Regularum illud ferè ſolùm vſurpant, & S. Greg. lib. 1. Epiſt. 54. *Feſtiuitatibus Sanctorum deſiderabiliter inſiſtentes præſentis præceptionis noſtræ paginam ad experientiam tuam neceſſe duximus dirigendam, indicantes ei Oratorium B. Mariæ, quod nuper in cella fratrum ædificatum eſt, vbi Marinianus Abbas præeſſe cognoſcitur.* Hinc etiam factum, vt aliquando oratorium pro monaſterio vſurpetur, cap. monaſterium 16. quæſt. 7. Vbi Euge-

nius II. & Leo IV. in Synodo Romana cap.21. vult monaſterium, vel oratorium manere in poteſtate conditoris tanquam patroni, vt illud Presbytero, cui voluerit cum conſenſu Epiſcopi commendare poſſit: Et Gloſſa ibid. monaſterium interpretatur Eccleſiam. Huius acceptionis ratio ea mihi videtur, quod ſacella monaſteriorum orationi duntaxat & ſacrificio deſtinarentur. Vnde Auguſtin. Epiſt. 121. *In oratorio præter orandi & pſallendi cultum penitus nihil agatur.* Et Benedict. cap.52. *Oratorium id ſit, quod dicitur, nec ibi aliud quicquam condatur.* Quæ eadem habet Synod. Turonenſ. vt ex illa recitat Iuo.3. part. cap.71. neque alia de cauſa ædificata ſunt monaſteria, quàm ad Deo laudes perſoluendas, quod ex eorum fundationibus conſtat. Ita dicitur in vita Gregor. II. de monaſteriis ab illo innouatis circa Baſilicam S. Pauli & de inſtitutione monaſterij poſt abſidem ſanctæ Dei Genitricis ad præſepe, de reſtaurato quoque monaſterio S. Andreæ, de monaſterio ſanctæ Agathæ Martyris ex prædiis propriis, & in propriis ædibus defuncta matre ſua Honeſta ædificato. Gregor. etiam III. monaſterium circa titulum SS. Martyrum Stephani, Laurentij, & Chryſogoni erexit, & illud exemit poteſtate Presbyteri eiuſdem tituli *ad perſoluendas Deo laudes diurnis & nocturnis temporibus ordinatas ſecundum inſtar Officiorũ B. Petri Apoſtoli.* Eccleſiæ verò, quæ Clericorum erant, tum docendo populo, tum adminiſtrandis Sacramentis plebi vſui erant, quibus tunc miniſteriis abſtinere debebant Monachi ex Concil. Pariſienſi ſub Ludouico & Lothario lib.1. cap.46. Calliſt.II. in Concil. Rauen. cap.27. Gregor. VII. in Synodo Roman. cap.6. & aliis, & ſi quando deinde ea exercuerunt, id fuit tantum in Eccleſiis & altaribus ſibi donatis, atque in locis, in quibus non aliæ fere erant Eccleſiæ, quàm ipſorum Monachorum. Cum igitur propria ipſorum ſacella ſoli orationi, pſalmodiæ nimirum & ſacrificio inſeruirent, iure merito oratoria nominabantur; Clericorum verò templa, Eccleſiæ, aut baſilicæ, aut dominica dicebantur.

Hinc factum, vt in Oratoriis, ſiue capellis Monachorum de quibus titulum habes in iure, non liceret campanas publicè pulſare ad conuocandum populum, vti Epiſcopo Abul. reſcribit Cæleſtin. III. de Templariis & Hoſpitalariis, cap. *patentibus*, de priuilegiis, eóſque per cenſuram Eccleſiaſticam coërceri mandat, appellatione remota. Ioan. XXII. Extrauag. *quia cunctos.* de Offic. cuſtod. ordines mendicantes vna campana vult eſſe contentos ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia.

Et ſanè, vt iam initio monui, hæc oratoria erant intra ipſum monaſterium, quod de Monialium Oratoriis certiſſimum eſt ex cap. ſuperiori: idcirco enim ſolis Presbyteris & Clericis ad Miſſarum ſolemnia & diuina officia monaſterium puellarum intrare permittitur, & exactis diuinis officiis ſtatim exire iubentur, neque per monaſterium vagari, aut ibidem ad ſecreta colloquia aliquandiu remanere, vti loco citat. retulimus, ex Concil. Epaunenſ. c.38. Turon.3. cap.29. Cabilon.2. cap.60. Pariſienſ. ſub Ludouico & Lothario lib. 1. cap.46. vt quid enim iſta facultas ingrediendi monaſterium ad Miſſas celebrandas, ſi Oratorium, ſiue Eccleſia extra monaſterium erat. Id 5.

etiam

etiam docet antiquorum monaſteriorum extructio, idque nos diligenter obſeruauimus in peruetuſto & nobili Arctacellienſi monaſterio in prouincia Phocenſi, in quo Eccleſia omnino interior eſt, & ad veſtibulum eſt ſacellum pro externis.

6. Hinc factum opinor, vt eiuſmodi monaſtica oratoria non tot inſtruerentur partibus, quot cæteræ Eccleſiæ, in quibus erat ex partitione Græcorum ἅγιον βῆμα ſanctum tabernaculum, in quod gradibus ſcandebatur, erántque duo altaria ἱλαστήριον, nempe, quod edicebatur ſacra mens, id eſt, Sancta Sanctorum, locus Dei, requies, propitiatorium, magni ſacrificij officina, Chriſti monimentum & eius gloriæ tabernaculum; alterum erat minus altare, in quo Sacerdos ſacra parabat, dicebatúrque πρόθεσις; quaſi propoſitio, quia in eo panis conſecrandus ponitur. Secunda pars eſt ἱερατεῖον, nos chorum dicimus, locum Clero & Cantoribus deputatum, vbi tabulatum duo habens oſtia, & vela vtrinque oppanſa. Tertia pars ἄμβων pulpitum, vbi recitabantur Euangelium, & Epiſtolæ, & verba fiebant ad populum. Quarta pars ναὸς templum, ſeu nauis Eccleſiæ, in qua populus orabat. Quinta erat πρόναον veſtibulum, in quo erat baptiſterium, in eóque erant pœnitentes.

Ex his quinque partibus habebant monaſtica puellarum oratoria duas tantùm priores nempe ἅγιον βῆμα, & ἱερατεῖον ſanctum tabarnaculum, & chorum, in quo ipſæ canerent diuinas laudes: neque enim indigebant ambone, ex quo legeretur ad populum, aut naui, in qua populus oraret, aut veſtibulo, ſiue προναῷ, in quo aut baptiſterium, aut pœnitentes forent, cum nulli in illud oratorium ſubirent præter Presbyterum, & neceſſarios illi Clericos: neque neceſſaria erant alia oſtiola choro, aut vela, niſi fortè quia famulæ & ancillæ, quæ intra monaſterium degebant, ex chori ipſius veſtibulo, aut clathris, vel oſtio ſacris intereſſent. Locus verò excipiendis Monialium confeſſionibus, erat coram ſancto altari coram teſtibus. Id colligo ex Synodo Pariſienſi ſub Ludouico & Lothario lib. 1. cap.46. poſtquam enim egit de ingreſſu Sacerdotum ad Miſſas celebrandas in monaſteriis puellarum ſic habet: *Porrò ſi Sacerdotibus Sanctimoniales peccata ſua confiteri voluerint, id non niſi in Eccleſia coram ſancto altari, adſtantibus haud procul teſtibus faciant*; addit infirmarum confeſſiones potuiſſe audiri in quacumque domo illarum, teſtibus etiam non procul aſtantibus.

Quod attinet ad oratoria Monachorum, illa etiam fuiſſe quondam intra monaſterium mihi perſuadeo, ex eo quod neque illis, aut populum docere, aut pœnitentiam imponere peccatoribus liceret, vti illo cap.46. Concil. Pariſienſis citati manifeſtè traditur, & alibi docebimus in noſtro opere de ſcientia Canonica. Vnde nihil erat, cur omnibus patentia oratoria haberent, idque videtur in antiquis ædificiis obſeruari; in quibus ſacra ædes interior eſt. 7.
Quia tamen ſenſim permiſſum fuit plebi ad orationem conuenire in ædibus Monachorum, habuere & illam ſuam nauem continendo populo, eràntque tunc duæ portæ, vna interior ex parte clauſtri, per quam Monachi intrabant in ſanctum tabernaculum & chorum; & alia exterior, per quam patebat plebi ingreſſus in nauim Eccleſiæ. Idcirco

Gregor. VII. in Synodo Romana cap.17. edicit, vt cum in caſtellis & villis Presbyteri ceſſabant à diuino officio propter excommunicatos, ſi inibi fuerint monaſteria, Monachi portas Eccleſiæ omnes claudant, niſi vnam ex parte clauſtri, per quam ipſi intrent. Nec ſigna ſonent, ne fortè aliquis excommunicatus ſe inſerat.

Canonicorum denique Eccleſiæ exteriores erant monaſterio cum ad illas omnibus pateret aditus, ipſis etiam fœminis, quas tamen ſubire clauſtra & monaſteria Canonicorum nefas erat. Ita habes in Concil. Aquiſgran. cap.144. & cap.145. prohibet ne Canonici Eccleſiam pompaticè ingrediantur: & 131. & 134. idem reperitur.

Hodie porrò Sanctimoniales habent quidem Eccleſiam exteriorem patentem externis; illæ verò interiorem chorum, ſiue ἱερατεῖον, in quo ipſæ & canant, & diuina officia celebrent, & Miſſarum ſolemnia, quæ in exteriori Eccleſia fiunt, audiant, vt non ſit opus Sacerdotem ea de cauſa monaſterium intrare.

8. Erat iunctum oratorio ſalutatorium, de quo nuper diximus ex Concil. Matiſcon. Turon. lib.2. Hiſtor. cap.21. ſatis ſignificat iunctum Eccleſiæ fuiſſe, & ex illo ad altare licuiſſe procedere, cum ait de Eparchio, qui Namario in Aruernorum Epiſcopatu ſucceſſerat, *Cui in eo quod modo ſalutatorium, dicitur manſio erat, atque ad gratias Deo agendas tempore nocturno reddendas ad altarium Eccleſiæ conſurgebat.* Theodoret. lib.5. Hiſt. cap.13. ait Theodoſium non auſum ingredi templum ad Ambroſium Pontificem acceſſiſſe, qui in ſalutatorio ſedebat ἐν τῷ ἀσπαστικῷ οἴκῳ σὺν καθῆσθαι, eúmque ingrediendi veniam rogaſſe, quod idem dixit Paul. Diacon. lib. 13. non erat igitur ſalutatorium intra Eccleſiam. neque idem cum ſecretario, quod ante cancellos altaris fuiſſe, inibíque habitam Chalcedonenſem Synodum contendit Baronius, aliíque ex Liberato in breuiario cap.13. & aliis, ſed ſecretarij vox plures habuit ſignificationes, vt ex dictis nuper conſtat. Salutatorium porrò dictum etiam fuit metatorium, quam etiam vocem Latinam retinuit Cedren. & Euchologium μιτατώριον, & διακονικὸν, vnde Patriarcha ibat in ſanctum altare εἰς τὸ ἅγιον θυσιαστήριον, Cedrenus ad dexteram partem collocat, qua de re ſuperiùs nos diximus. Fuit intra monaſterium puellarum & veluti oratorij pars. Quandoquidem ex Concil. Matiſcon. cit. viri æquè in illud atque in Oratorium virginum intrare prohiberentur.

§. III.

Quid eſſet clauſtrum: quid eius vſus.

Altera pars præcipua monaſterij, quæ etiam circa Eccleſiam interiorem, ſiue oratorium collocabatur; erat clauſtrum, cuius frequens mentio habetur in Synodorum decretis de Regularium diſciplina editis, in variis ſtatutis, & Regulis ipſorum Religioſorum, aliiſque antiquis documentis: nam & in vita Guillelmi Geelonenſis, qui vixit imperante Magno Carolo, dicitur illum menſum fuiſſe oratorium, clauſtri ſpatium, domum infirmorum, &c. Concil. Turon.3. cap. 24. *Abbates ſollicitè ſuis prouideant Canonicis, vt habeant clauſtra, & dormitoria.* 9.

mitoria. Treſleian.cap.3. ſimilia ſanciuit. Et ſanè clauſtrum à reliqua habitatione diſtinctum fuiſſe liquet ex Concil. Aquiſgran.ſub Ludouico Pio part. 2. cap. 15. vbi in cuſtodiis congregationum tum Monachorum, tum Sanctimonialium ſtudendum eſſe cenſet, vt in omnibus locis clauſtra eis præuideantur Religioni eorum conuenientia,& habitacula domorum &c. Clauſtrum verò inſeruiebat imprimis lectioni communi, cui omnes adeſſe tenebantur. Nam Concil.Meld.cap.53. vbi de Dormitorio, Refectorio & domo infirmorum egit,addit: *Tam ſani, quàm infirmi canonicè veſtiantur, atque in clauſtris horis congruis degant, & ſub cuſtodia canonica lectionibus, & cæteris diuinæ inſtitutionis inſiſtant officiis.* Tradit deinde vnde ſuppeditari poſſint ſumptus ad hæc ædificia. Mogunt. verò ſub Carolo Magno cap.9. iubet vt Canonici Clerici ſimul manducent, & ſimul dormiant, & in ſuo clauſtro maneant, & ſingulis diebus primo mane ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur, tum item lectionem ad menſam fieri iubet. Ea porrò lectio fiebat tertia peracta & Miſſa celebrata: *Tunc enim ſedentes in clauſtro vacabant lectioni*, vt habet concordia S.Dunſtani cap.5. vbi tamen c.2. obſeruat hyeme propter nimios imbres, aut frigus non in clauſtro,ſed in alio quopiam conclaui factam fuiſſe. Eandem lectionem commendat Epitome Ludouici Imperatoris in Regulam S.Benedicti. *Certis horis*, inquit, *lectioni pleniter vacent, & ſi fieri poteſt, in vno clauſtro ſedeant.* S.VVolfengus dum Clericos ſuos ad meliorem formam reducere vellet, euicit tandem, *Vt quod prius non fecerant, communis menſa & dormitorio vterentur, in clauſtro ſederent, & lectioni incumberent.* Antequam verò clauſtri vſus inductus eſſet, habebant Monachi cellulas iuxta Eccleſiam, in quibus vacarent lectioni, quæque diſtinctæ omninò erant à dormitorio,in quo ſimul omnes dormiebant. Iſidorus Hiſpalenſis cap.1. Regulæ Monach. *Cellulas fratribus iuxta Eccleſiam conſtitui mandat, vt poſſint properare quantociùs ad officium.* Atque has cellulas diſtinctas ab habitaculis & dormitorio fuiſſe diſces ex cap.13. *Fratres quoque omnes, ſi poſſibile eſt, in vno conclaui commorari decet: quòd ſi difficile fuerit, octo, vel decem, quibus vnus eſt præponendus Decanus.* Beda lib.4. hiſt. Anglic. cap.25. agens de incendio monaſterij Coludiani queritur domunculas, quæ ad orandum,vel legendum factæ erant, in comeſſationum, potationum & cæterarum illecebrarum cubicula conuerſas fuiſſe.

Exiſtimo in eodem clauſtro factam fuiſſe collationem, quæ ex Iſidoro cap.7.Regulæ ter in hebdomada poſt celebrationem Tertiæ dato ſigno inſtituebatur; quod mihi perſuadeo ex materia eiuſmodi collationum, quæ erat aut morum inſtructio, aut erratorum emendatio, aut negotia Cœnobij, aut vbi iſta deerant, lectio præceptorum Regularium. Deinde, quia idem cap.8.ait de quæſtionibus, quæ leguntur, nec fortè intelliguntur, interrogandum eſſe in collatione, aut poſt veſperam *Abbatem inquirendum, qui ita vnis exponet, vt cæteri audiant.* 10.

Tertiò in clauſtrum conueniebant, vt inibi mandata Superiorum exciperent. Ita enim Mogunt. cap.9. *Et audiant quod eis imperetur*, niſi velit id minimè diſtinctum fuiſſe à

collatione, quæ & inſtructionem & emendationem morum, atque cætera negotia, ipſaque præcepta regularia continebat, vti diximus ex Iſidoro:quę omnia complexa eſt Synodus Mogunt.illo verbo: *Audiant quod eis imperetur:* Eóque refero quod Bleſenſis ſerm. 25. in clauſtri latere occidentali collocat ſcholam in eo, quod contingit Eccleſiam,lectionem moralem in Orientali, correctionem:ſcholam de qua inferius, vocat quæſtiones, quæ fiebant circa lectionem & doctrinam, quam tradebat ſenior aliquis: correctionem etiam vitiorum factam docet ibidem Iſidorus.

Quartò in clauſtrum etiam conueniebant confabulandi cauſa certis horis, reliquo tempore ſilentium ſeruabatur, vt habet Lanfranc. in conſtitutionibus §. 3. & Petrus Venerabilis ſtatuto 20. & ſtatuto 23. vult nullum externum ſubire clauſtrum, aut reliquas domos regulares, niſi aut cauſa operis, aut ea fiat gratia honeſtis quibuſdam viris videndi cauſa.

§. IV.

Dormitorium.

11. TErtia pars interioris monaſterij dormitorium commune eſt, de quo vbique mentio fit: extra illud enim nemini licebat dormire *abſque cauſa ineuitabili*; vt de Canonicis ſtatuit Concil. Aquiſgran. cap. 134. Iſidorus cap. 13. Regulæ Benedict.in ſua Regula. Iuſtinian. in Nouell. 4. 133. & Authent. 4. & de Sanctimonialib. Cæſar.in Regulæ num.9.*Omnes diuiſis lectulis in vna maneant cellula* Concil. Cabilon.2. cap.59. & Mogunt. ſub Rabano cap.16. *Excepta, quam infirmitas tenet.* Beda lib.4. hiſtor. Anglic. cap.25. de dormitorio ſororum agit. Singuli verò in ſingulis lectis quieſcebant ex Aquiſgran. Synodo cap.136. Iſidoro cap.13.Regulæ, & cap.17.inter grauia peccata id recenſet. S.Fructuoſus Braccarenſis Epiſcopus cap.5. Regulæ Cæſar. loco citat. Regul. S. Eugendus in actis vitæ eius dicitur deſtructis manſionum ædiculis, vno cunctos Xenodochio quieſcere feciſſe. Magiſter, quem nullo alio nomine allegat Benedict. Anian. in Concordia,& quem Trithem.exiſtimat eſſe Vigilium Diaconum & Abbatem. cap.11. Regulæ idem habet, & alij omnes Regularum conditores. Quare Synodus Turonenſ. 2. cap.14. ſic edicit: *Nullus Sacerdotum ac Monachorum colligere alium in lecto ſuo præſumat, nec liceat Monachis cellulas habere communes, vbi aut bini maneant, aut peculiares vbi ſingulares reponi poſſint.* Sic enim lege & emendo quod in vulgari editione mendosè legitur, *Aut ſingulares peculiares reponi poſſint. Sed ſchola communi labore conſtruatur, vbi omnes iaceant, aut Abbate, aut Præpoſito gubernante.* Alij legunt *imminente.* Eandem ſcholæ vocem vſurpauit eadem ſignificatione c.3. ſuæ Regulæ Tetradius: *In vna ſchola omnes maneant.* Cæſar. in Regulæ n. 4. vbi dixit annuam probationem neceſſariam eſſe ei qui conuerti voluerit,ſubdit. *De ipſo tamen habitu mutando, vel lecto in ſchola habendo ſit in poteſtate Prioris.* Quod verò de Abbate imminente, aut gubernante tradit Synod. Turonenſ. id ex veteri diſciplina facit: Nam & Abbatem in medio dormire, aut ſi multitudo non ſinit omnes eodem cubiculo contineri, illis Decanos aut ſe-

ntores præponi vult Benedictus. S. Iſidorus cap. 1. & 13. Regulæ, Magiſter cap. 29. vult in atrio, vel triclinio lecta in ordine in circuitu ordinari, & in medio Abbatem lectulum ſuum habere. Et denique Concil. Francofor. cap. 4. ſub Carolo Magno, Fructuoſus cap. 3. Regulæ vult Abbatem circumire ſilenter lecta ſingulorum. Lucerna porrò in dormitorio tota nocte accendebatur ex Aquiſgran. cap. 136. Benedict. Fructuoſo, Iſidoro & aliis. Magiſt. cap. 29. aliquando propter inopiam olei & monaſterij paupertatem vbi ſe omnes in lecto collocauerint, extingui permittit. *In quo atrio*, inquit, *pendeat cicendelus, qui cottidie à cellario factus ab hebdomadarijs ad ſeram accendatur, vt videant diuerſi quomodo ſe collocent: & poſtquam ſe omnes collocauerint, à ſupradictis tuteiur, ſi fortè indigentia olei in monaſterio ſentiatur.* Eſt verò cicindelus, cicendela, cincidela, vel cicindelis, lampas vitrea ex gloſſariis ab ſcarabeo, vel muſca, quæ noctu volans lucet. Eam vocem vſurpauit etiam Turon. lib. 4. Hiſt. cap. 31. agens de variis prodigiis, quibus lues inguinaria, quæ magnam partem Galliarum, Lugdunenſem maximè agrum afflixit, ait in Eccleſia Aruernia corydalum auem omnia luminaria extinxiſſe, & dum in ſacrarium ſub velo tranſiret, & cincidelas extinguere vellet, occiſam fuiſſe ab oſtiariis. Iſidor. lib. 20. ethymol. cap. 10. ait cincidelam lucernæ eſſe ipſius *lucinium*, & à licinio deriuari lucernam: licinium enim, non lychnum legendum eſſe contendit Roſvveid. in notis ad Martyrol. Baron. Fulbert. Carnot. Epiſt. 68. *Organa vatum & ardentes cincendelas Virginum* dixit. Tutare verò lampadem pro extinguere barbara vox eſt huic authori non infrequens: nam ea vtitur etiam cap. 19. Et ab antiquo ordine Romano in cap. de officiis in cœna Domini ſæpiùs vſurpata. De modo porrò decumbendi Monachorum alius erit diſſerendi locus; noſtro inſtituto ſufficit de ipſo dormitorio, quod intra ſepta monaſterij, & imperuium externis eſſe contendebamus, hæc pauca attigiſſe. Immò ne quidem externi Monachi, licet intra monaſterium reciperentur, in commune dormitorium admittebantur, ſed in aliud prope oratorium ipſi deſtinatum. Nam in. addit. 1. ad Capitular. quæ continet ſtatuta ab Abbatibus communi Concilio Aquiſgrani. in domo palatij, quæ Lateranis nominatur, coactis an. Chriſti 817. Ludouici IV. 6. Idus Iulij quæque Leo Oſtienſis lib. 1. Hiſtor. Caſſin. cap. 18. perinde ac Regulam S. Benedicti obſeruanda dixit: ſic cap. 58. habetur, vt *dormitorium iuxta oratorium conſtituatur, vbi ſuperuenientes Monachi dormiunt.*

§. V.

Refectorium.

QVarta pars ædificij interioris erat domus Refectionis, ſiue Refectorium: vtraque enim voce paſſim vtuntur veteres. Eſt verò locus, in quo communi menſæ Canonici, Monachi & Sanctimoniales accumbebant: quamuis enim reficere, & refectio æquè de ſomno atque de cibo dicatur. Vnde apud Caſſian. lib. 3. cap. 8. *reficere corpora ſomno, refectio noctis*; & cap. 4. Refectio corporum vſurpatur. Nihilominus ex communiori vſu Refectio abſolutè 12.

lutè ſumpta pro cibo ſumitur; de Canonicis Aquiſgran. Synod. c.145. *In Refectorio pariter reficiantur.* Et cap.122. definit quæ ſunt obſonia,& qua menſura danda Canonicis; tum cap. ſequenti 123. addit. *In Refectorio quotidie vnà reficiantur, niſi fortè quem neceſſitas abeſſe compulerit: & hoc non ſine licentia Magiſtri fiat.* Meldenſ. cap.53. *Vt Canonici in ciuitate, vel monaſterijs, ſicut conſtitutum eſt, in dormitorio dormiant, & in Refectorio comedant*: de menſa communi Monachorum res eſt vulgatiſſima. Caſſian. lib. 4. conſtitutionum cap.16. S. Fructuoſus Epiſcopus cap.8. Regulæ. S. Iſidor. c.9. cap. verò 17. numerat inter grauia peccata abeſſe à communi menſa: & qui furtiuè extra eam comederit, excommunicationi ſubiicit: *qui tardiùs venerit, vel ieiunus abeat, vel agat pœnitentiam*, S. etiam Benedictus de hac tarditate pluribus agit. De Sanctimonialibus æquè etiam perſpicuum eſt. Cæſar. in ipſarum Regula num.41. Et ne quidem ab ea menſa debebat abeſſe Abbas, aut Abbatiſſa, iiſdémque refici cibis citra languoris neceſſitatem, vt ait Iſidor. cap.9. S. Aurelian. cap. 49. Regulæ, quam ſcripſit, tum Monialibus, tum Monachis, & magnam partem deſumpſit ex Regula S. Cæſarij, cui in Epiſcopatu Arelatenſi poſt Auzanium ſucceſſerat, cuique ſuas vices Virgilius in Gallia legarat, & Concilio quinto Aurelianenſi ſubſcripſit ann. Chriſti 549. Childeberto Rege imperante, quémque mendosè nominat Aurellum Smaragdus: *Abbas*, inquit, *niſi inæqualitate faciente extra congregationem non reficiat*. Quód S. Cæſar. num.4. Regulæ, tum de Abbatiſſa præcipit iiſdem verbis, excipítque ſolam inæqualitatem, id eſt, infirmitatem impellentem, id eſt, vrgentem occupationem, quod etiam conſulit Orario in Epiſtola ad ipſum. Laudatur S. Eugendus Abbas apud Surium, *quòd nec menſulam ſuam, nec victum vnquam exceptauit à fratribus.* Difficultas autem eſt in Regula S. Benedicti, an Abbas in Refectorio communi comedere debeat: qua de re fuſiùs eius interpretes diſputant, mihi diutiùs in hac re immorari non licet: obſeruo duntaxat quod modò facit ad noſtrum inſtitutum de monaſterio interiori, ad quod non patebat aditus externis, non licuiſſe excipere laicos in Refectorio: ſic enim in addit. 1. ad Capitular. quæ vt monui, eſt conſtitutio Abbatum in Concilio Aquiſgran. cap.32. habet, *vt laicus cauſa manducandi, aut bibendi in Refectorium non ducatur.* Quod idem habetur in Concilio Treſleian. cap. 3. vbi ex Turonenſi ad recitat. Cæſar-Auguſtan. Concil. 3. cap. 3. prohibet, ne quis ſæcularium etiam *ex permiſſo Abbatis infra clauſtra monaſteriorum hoſpitandi, vel commorandi habeat receptaculum.* Excipit duntaxat vita probos, egenos, aut paupertate depreſſos, quos beneuola voluntate ſuſcipere in monaſteriis, ibique eleemoſynis alere permittit. Iſidor. cap.9. Regulæ; nequidem laicos miniſtros menſis Monachorum intereſſe permittit. *Nec enim*, inquit, *poterit menſæ illis communis eſſe locus, quibus eſt diuerſum propoſitum.* Neque diſſentit conſtitutio Abbatum, ſub Ludouico in Concil. Aquiſgran. quæ eſt additio 1. ad Capitular. cap. 2. Quæ iubet hoſpites in Refectorio excipi: *Vel Abbas*, inquit, *vel quiſpiam fratrū ad portam monaſterij cum hoſpitibus non reficiantur: in Refectorio autem*

autem omnem eis humanitatem manducandi, ac bibendi exhibeat; ipſe tamen ea cibi, potúſque menſura contentus ſit, quàm reliqui fratres accipiunt: ſi verò propter hoſpitem voluerit ad ſolitam menſuram fratribus, ſibique augere aliquid, in ſua maneat poteſtate. In Regula S. Benedicti eſt etiam menſa Abbatis cum hoſpitibus. Verum hi ferè hoſpites fratres & Religioſi, erant aliorum monaſteriorum. Deinde quamuis daremus aliquid circa hoſpites fuiſſe variatum: conſtabit tamen non ſine delectu intra monaſterium, & maximè commune Refectorium illos fuiſſe admiſſos, atque alios ad portam monaſterij fuiſſe exceptos, ſed ne eo prætextu ſemper Abbas extra Refectorium, & perpetuo ad portam cum hoſpitibus conuiuaretur, non ſine ſuorum offenſione, cautum eſt, vt communi menſa exciperentur hoſpites: ſic enim & infrequentiùs & cum maiori cautione admittebantur, ſanè quamuis ita reciperentur hoſpites; nemini tamen licebat abſque venia cum ipſis colloqui, etiamſi Religioſi, atque eiuſdem Ordinis forent ex cap. 53. Regulæ S. Benedicti & ex antiqua ſanè diſciplina Baſilij, & Ægyptiorum apud Caſſian. lib. 4. cap. 16. ne quidem cum illo, qui eiuſdem cellæ habitator non erat, licebat colloqui. Benedictinam porrò conſtitutionem S. Iſidor. cap. 17. Fructuoſus Braccarenſ. cap. 8. Regul. & alij probant, & iam olim Macar. cap. 8. ſuæ Regulæ, vti refertur in concord. cap. 60. §. 2. Quod verò pertinet ad Sanctimoniales expreſſa eſt conſtitutio Concil. Cabilonenſ. 2. cap. 61. non debere Sanctimoniales in propriis manſionibus cum aliquibus maſculis Clericis, ſiue laicis, conſanguineis ſiue extraneis comedere, ſiue bibere; ſed ſi quando id agendum eſt, in auditorio id agatur. Cæſarius verò num. 39. Regulæ iubet viros nunquam in conuiuium adhiberi à Monialibus, fœminas tamen quaſdam in certis caſibus admitti permittit. Conuiuium etiam his perſonis hoc eſt, Epiſcopis, Abbatibus, Monachis, Clericis, ſæcularibus viris, mulieribus in habitu ſæculari; nec Abbatiſſæ parentibus, nec alicuius Sanctimonialis; nunquam nec in monaſterio, nec extra monaſterium præparetis: ſed nec Epiſcopis huius ciuitatis, nec prouiſori quidem ipſius monaſterij, conuiuium fiat. De ciuitate verò nec religioſæ fœminæ, niſi fortè ſint magnæ conuerſationis, & quæ monaſterium ſatis honorent, & hoc rariſſimè fiat. Si qua tamen de alia ciuitate ad requirendam filiam ſuam, aut ad viſitandum monaſterium venerit, ſi Religioſa eſt, & Abbatiſſæ viſum fuerit, debet ad conuiuium vocari; reliquæ penitus nunquam: quia ſanctæ Virgines, & Deo deuotæ, magis Chriſto vacantes pro vniuerſo populo debent orare, quam corporalia conuiuia præparare.

§. VI.

Alia monaſterij interioris partes.

PRæter præcipuas iſtas interioris monaſterij partes erant & aliæ, nempe domus infirmorum, vt loquuntur acta S. Guil. Gillonenſis, & Concil. Meldenſe cap. 53. Infirmitorium nominat Innocent. cap. *cum monaſterium* de ſtatu Regular. manſionem infirmorum, ac ſenium. Aquiſgran. cap. 142. quam intra clauſtra Canonicorum fieri vult. 13.

14. Erant prætereà diuerſæ cellæ, manſiones, aut habitacula quorum fit frequens mentio in Synodis, vt in Concil. 2. Cabilon. cap. 61. S. Iſidor. cap. 1. Regula de cellulis iuxta Eccleſiam conſtituendis. S. Fructuoſus cap. 6. Regulæ de cellulis Præfectorum & Iuniorum. S. Benedictum habuiſſe ſuam cellulam manifeſte colligitur ex lib. 2. Dialog. S. Benedict. cap. 11. & cap. 23. Erant verò cubicula quædam anguſta, in quibus veluti occludebantur Monachi certis horis, etiamſi, vt dixi, in eodem dormitorio quieſcerent. Nam cella dicitur à celando ex Varron. lib. 4. de lingua Latina, vbi etiam obſeruat in templis locum, vbi ſedes Dei erat, nominatum fuiſſe cellam, & Græcos πρόδρομον, dicere locum ante cellam Dei. Et lib. 5. qui in fanis Sabinis, è cella Dei loquuntur; Moſcophulas in ſchedis ait communiter nominari ab Atticis δωμάτιον. S. Paulin. Natal. 10. S. Fœlicis.

Inter quæ & modicis variatur gratia cellis.

Agit de variis cubiculis, aut Oratoriis, quæ in Eccleſia cancellis perſtructa ſunt: quin & cubicula interiora Imperatorum, ac deſpotarum cellæ dicebantur; atque celliſtæ miniſtri interioris illius conclauis, de quibus agit Phranzeſ. lib. 1. Chronic. cap. 1. vbi ait cellulatas Imperatoris, ad ſepulchrum eius vſque ad prima ſacra funeralia perſeuerare, & ſæpius apud Codin. vt. cap. 5. num. 45. de Barangis, qui ad fores conclauis Imperatoris agerent, εἰς τε τὰς θύρας τοῦ κελλίου τοῦ βασιλέως: ab his verò cellis, quas Lerinenſes Monachi habitabant, dicti ſunt cellulani à Sidonio lib. 9. Epiſt. 3. Senatum Lerinenſium cellulanorum apud Ennod. lib. 1. Epiſtol. 5. *Concellaneus fiat alterius.* Syncellitas dixit Caſſian. collat. 2. capt. 2. Tyri. lib. 14. cap. 12. concellos, nihilque frequentiùs occurrit apud eundem Caſſianum, alióſque, qui res aſceticas proſecuti ſunt de loco, qui à diuerſis cellis cellia dicebatur apud Pallad. cap. 69. dicemus diſquiſit. 3. Nam ipſi Græci Baſilius, Dorotheus, Palladius, aliíque vtuntur voce κέλλη & κέλλιον, imò aliquando pro monaſterio ipſo ſumitur Gregor. lib. 6. Epiſtol. 10. ad Agnellum Epiſcopum Ariminenſem de Præpoſito eligendo agens, vult eiuſmodi eſſe, qui circa cellæ ordinationem, fratrúmque cuſtodiam ſolers inueniatur. Et lib. 1. Epiſt. 54. agit de Oratorio ædificato in cella fratrum, quibus præerat Abbas Marinian. maximè verò ſumitur pro paruis quibuſdam monaſteriis, quæ erant veluti maiorum appendices, & Prioratus quoque, vel Præpoſituræ dicebantur. Sic Lupus Abbas Ferrari. Epiſtol. 11. cellam S. Iodoci datam fuiſſe Alcuino à Magno Carolo, & conſtitutio Abbat. in addit. 1. ad Capitular. cap. 44. permittit Abbatibus habere cellas, in quibus ſint Monachi, vel Canonici; ſed ne ſint pauciores, quam ſex. Cellulas porrò, quas habebant tum Canonici, tum Monachi & Sanctimoniales, ſiue manſiones, ſiue habitacula dicantur fuiſſe intra monaſterij ſepta ex hactenus adductis perſpicuum fit. Aquiſgran. 2. ſub Ludouico part. 3. cap. 15. iubet in cuſtodiis congregationum Canonicorum, Monachorum & Sanctimonialium, præuideri clauſtra Religioni eorum congruẽtia, ſed & habitacula domorum. Sanctimoniales S. Cæſarij num. 51. Regulæ, peculiares cellas habere prohibentur. Et num. 9. quæ ſenes, & infirmæ ſunt eis taliter conuenit obtemperari

temperari, vel ordinari, vt non ſingulæ ſingulas cellas habeant, ſed in vna recipiantur omnes, vbi & maneant.

Erant denique intra Monaſterij ſepta variæ officinæ diuerſis vſibus neceſſariæ, ne ſemper extra monaſterium exeundum eſſet, vt cellarium, de quo frequens mentio in antiquis Regulis, & quam vocem, Latinam licet, vſurpat Baſil. in Regulis breuioribus interrogat. 147. κελλάειον, eſtque ex Iſidor. lib. 15. origin. cap. 5. locus, in quo colliguntur miniſteria menſarum de Cellario in iiſdem Regulis. Erat & Bibliotheca, cuius cura ad cuſtodem ſacrarij pertinebat ex Iſidoro cap. 8. Regulæ: aliæque apothecæ, quas modo luſtrare non vacat.

§. VII.

Exterius Monaſterium.

15. VEnio ad exteriorem monaſterij partem, hoc eſt, ædificia quædam monaſterio, ad illius vſum coniuncta, extra tamen illius ſepta ſiue clauſtra, quæ non erant peruia iis, qui hæc exteriora ædificia ingrediebantur ex veteri ſanè more. Nam & S. Antonius habitabat in interiori, ſiue ſuperiori monte, quem ideò Athanaſ. cap. 53. vitæ eius vocat interius Archiſterium, præcipuam videlicet habitationem, ſiue ſtationem, ad quam pauci omnino admittebantur; ipſe verò Antonius ad inferiorem, aut exteriorem montem, vt audiret aduentantes, cum illiſque quantum charitas poſtulabat, ageret, deſcendebat vt habes cap. 44. cap. 33. cap. 51. & cap. 56. Immò in exteriore illo monte erat monaſterium fratrum, qui rariùs ad ſuperiorem montem adibant. Nominatiſſimus etiam Iſidorus, de quo Sozom. lib. 6. cap. 13. lib. 8. cap. 12. & 13. Socrat. lib. 6. cap. 9. Nicephor. lib. 8. cap. 34. Caſſiodor. lib. 8. tripartit. Hiſtor. cap. 8. & Ruffin. lib. 2. de vit. Patrum cap. 17. non ſine magnis præconiis meminere, vnde licet illum Hieron. inter Monachos Origeniſtas recenſeat Epiſt. ad Cteſiphontem; reſipuiſſe tamen, vt & quoſdam alios non leuis coniectura eſt. Hic, inquam, in illo ſuo celebri monaſterio apud Thebaidam, quod muro cinxerat, & ex quo nulli ſemel ingreſſo, licebat egredi: *Hoſpitalem habebat adhærentem cellulam*, in qua aduentantes omni humanitate exciperet; quinimmò ipſi etiam Stylitæ, de quibus aliquid dicemus diſquiſit. 3. columnam ſuam muro quodam & ſepto cingebant, quo aduentantibus maximè mulieribus prohiberetur aditus omnis, niſi liberet ſtylitæ excipere; & adiuncta ædificia, immò & Baſilicas, atque etiam quandoque monaſteria excipiendæ multitudini habebant, vt facilè colliges ex actis magni Simeonis, qui primus hoc vitæ genus ſectatus eſt, ab Antonio eius diſcipulo conſcriptis cap. 5. 9. & 10. Et ex vita Danielis Stylitæ à Metaphraſte edita, & & ex c. 129. prati ſpiritualis de quodam Stylita in Petræio, cuius nomen tacetur.

In monaſteriis itaque, immò & in cellulis ſeparatis, atque etiam in ipſis columnis, quas aliqui conſcenderant, vt à terris ſe altius ſubducerent, & à turbis ſummouerent, fuere exteriora quædam ædificia ad varios vſus, ex quibus tamen ad interiores exedras vndique ſeptis non pateret aditus, niſi media ianua, qua totum monaſterium, aut mandra, vel quo-

cumque alio nomine diceretur, omnibus exteriùs occludebatur; ad quam *Ianitor vir grauis, ac vita probabilis* ſederet, vt ait de monaſterio Canonicorum Concil. Aquiſgran. cap. 143. cuius & officium ibi deſcribit. De Ianitore quoque monaſterij S. Iſidori meminit Ruffin. loco citato, quem & ſeniorem & grauem, & de primis electum eſſe dicit, cuius munus erat ea lege aduenientes excipere, vt ingreſſi nunquam amplius egrederentur. Quod ſi nollent, illos omni humanitate in contigua monaſterio cellula fouebat. Sanctimonialium Portariam, *ætate maturam, quæ & teſtimonium habeat bonum, & vita probabilis ſit*, eligi iubet Concil. Cabilon. 2. cap. 64.

§. VIII.

Variæ partes exteriores monaſterij, & primò quidem cella Nouitiorum.

16. IN hac igitur exteriori parte monaſterij continebantur variæ exedræ. In eáque imprimis collocanda eſſe videtur domus, ſiue cella Nouitiorum: ita enim illam appellant acta S. Guillelmi Gellonenſis & S. Hermelandi Abbatis, S. Benedicti, cap. 53. Regulæ. *Vbi meditabatur Nouitius, comedebat & dormiebat.* In exteriori verò parte monaſterij colloco. Ita enim Fructuoſus Braccarenſis Epiſcopus cap. 21. ſuæ Regulæ ait: *Neque interna fratrum diuerſoria accedet, ſed delegata in exteriori curte cella perfruetur.* Et S. Ferreolus cap. 5. Regulæ. *Vicinam tamen monaſterio cellulam, dum prænotatum tempus obſeruat, accipiat.* Itaque ſinguli Nouitij ſuas cellulas in exteriori parte monaſterij habebant: neque videtur aliud ſtatuiſſe S. Benedictus, cum & illis cellam ſeparatam aſſignat; & cum probati fuerint eo modo, quem illo cap. 58. præſcribit, in congregationem admitti iubet, monerique ſibi deinceps nefas eſſe egredi de monaſterio. Idem quoque apud Sanctimoniales fuiſſe obſeruatum colligere mihi videor ex Beda lib. 4. Hiſtor. Anglor. cap. 23. vbi agit de monaſterio S. Hildæ: *Erat enim hac ipſa hora cum alijs nonnullis Chriſti ancillis in extremis monaſterij locis ſeorſum poſita. Vbi nuper venientes ad conuerſionem ſorores ſolebant probari, donec regulariter inſtituta ad ſocietatem congregationis ſuſciperentur.* Solebant autem Prælati & Prælatæ in illam aliquando cellam, quamuis extra monaſterium poſitam, ſed illi contiguam, inſtituendi cauſa diuertere. Alij verò ſunt hodie mores, de quibus capite ſequenti nonnulla dicemus.

§. IX.

Cella hoſpitum.

IN eodem monaſterio externo cellam hoſpitum extitiſſe facilè mihi perſuaſerim; tum quia ſi non licuit Nouitiis ad interiora penetrare, multò minus id licuerit hoſpitibus, quorum tamen duo genera diſtinguenda ſunt: alij enim Monachi, aut Clerici viſitandi cauſa, vel itineris occaſione ad aliquod monaſterium diuertebant, illóſque intra monaſterium ipſum ſuſcipere mos erat, & eodem excipere refectorio in menſa Abbatis: aut, ſi id minus commodum foret, in alio quopiam loco. Sanè eiuſmodi peregrinis fratribus deſtinatum fuiſſe dormitorium prope oratorium referebamus, ex cap. 58. add. 1. 17.

addit. 1. ad Capitular. & Clericos, aut Monachos maiori honore ſuſcipiendos eſſe monet Pachom. art. 28. ſuæ Regulæ. S. Iſidor. cap. 22. Illi in Refectorium ducebantur, & vt ſancit Magiſter c. 77. Regulæ *omes cibos & pocula mixta ſignabant vel primos in ſua menſa meros, & benedictionem petentibus ipſi ſuo reſponſo tradebant, & denique illis dabatur locus complendi*: Quod poſtremum iubet etiam Macar. vúltque, *illis ſolis licere complere*, hoc eſt, terminare orationem: ita enim eam vocem vſurpant Gregor. lib. 3. Dialog. cap. 17. & Rupert. lib. 1. de diuin. offic. cap. 19. colligere ſiue complere, ſiue concludere orationem dignioris & eminentioris erat, vt teſtatur VValfrid. Strab. lib. de reb. Eccleſ. cap. 22. & in vita S. Maximi Reienſis Epiſcopi, Dynamius Patrici narrat auditos eſſe beatiſſimos Apoſtolos Petrum & Andream ad complendam cum Maximo orationem alternis honoribus ſe præuenientes, & tandem Maximum compulſum compleuiſſe officium. Excipiebantur igitur, tum Monachi hoſpites, tum Clerici aliquando communi menſa, & oratione, atque adeò in interius monaſterium, non verò paſſim laici: id enim aliquando viris principibus beneficij loco conceſſum fuit, qui & vulgaribus fratrum cibis, olere, & piſce vtebantur, vt de Innocentio Pontifice à ſancto Bernardo, & de Leone à Ioanne Gualberto exceptis conſtat: de Anglorum Rege S. Colmanni monaſterium Lindisfarnenſe viſitante & ſæpiùs cum fratribus accumbente teſtatur Beda lib. 3. hiſtor. Anglor. cap. 26. de Fernando Caſtellano, dum inuiſeret monaſterium S. Facundi. Roderic. lib. 6. de rebus Hiſpan. cap. 14. & de Conrado Rege Romanorum in monaſterio ſancti Galli in die SS. Innocentium communibus, vilibúſque cibis cum fratribus comedente tradit vita ſancti Notkeri cap. 16. apud Henricum Caniſi. tom. 6. antiq. lect. alioquin laicis non licebat communi refectorio veſci, vti nuper ex conſtitutione Abbat. addit. 1. ad Capitular. referebamus. Sed de his aliàs, hoc vnũ modo contendo, hoſpitum cellam ſaltem laicorum fuiſſe in exteriori monaſterio, immò & aliquando ipſorum etiam Clericorum, vt in monaſterio S. Iſidori, de quo nuper, in quod Ruffinus, intrare nequiuit. Pachom. art. 28. quamuis velit Clericos & Monachos maiori honore ſuſcipi, omnes, tamen ad locum Xenodochij deduci mandat: ſi tamen collectæ tempore venire voluerint ad conuentum fratrum, & eiuſdem fidei fuerint, Ianitor, vel miniſter Xenodochij, nunciabit Patri monaſterij, & ſic deducentur. Ex quibus vides Xenodochium fuiſſe ſeparatum à reliquo conuentu, habuiſſéque ſuum etiam Ianitorē. In Regula S. Macarij habetur hoſpitale quantum colligitur ex eius verbis ſeparatum. S. Columbanus non intromittebat hoſpites ſæculares in interiora monaſterij, vti habent eius acta. S. Maurus Theodebertum Regem conuiuio excepit in domo hoſpitum. Magiſt. cap. 79. vt refertur in concordia Regul. c. 60. §. 11. Cellam quidem peregrinorum conſtituit in monaſterio, ſed *ſemotè* illiſque duos cuſtodes apponit, qui in eadem cella ſibi faciant lectos, & illos ſemper comitentur: clauſuram habere & clauim, aliáque multa ad cautelam adhiberi iubet. Cæſarauguſt. Concil 3. cap. 3. vti ſuperiùs referebamus, nullam ſæcularibus infra

clauſtra monaſteriorum hoſpitandi, vel commorandi receptaculum eſſe vult, niſi quibuſdam egenis & probis. Sed de pauperibus modò dicam. Addit verò Concil. *Cæterum ſi ſecretius aut ſequeſtratum à monaſterio aliquod constructum pro ſuperuenientibus domicilium patuerit, ibi eos ſuſcipere Abbates, vel Monachos oportebit.*

§. X.

Domus Pauperum.

18. Tertiò huic hoſpitum excipiendorum domicilio adiungó pauperum receptaculum & hoſpitale, vt loquitur Concil. Aquiſgran. cap. 141. Quod vult à Prælatis Patrum exemplo colligendis pauperibus præparari, illique ex rebus Eccleſiæ ad neceſſarios ſumptus deputari præter decimas, quæ de villis Eccleſiæ ibidem conferuntur, ipſóſque Canonicos tam de frugibus, quam de omnibus eleemoſynarum oblationibus in vſus pauperum decimas libentiſſimè ipſi hoſpitali tribuere illique præfici boni teſtimonij fratrem, qui curam gerat; Clericos ſaltem tempore Quadrageſimæ pedes pauperum in hoſpitali lauare. *Quapropter*, inquit, *expedit vt in conuenienti loco hoſpitale ſit pauperum, vbi perfacilis ad illud veniendi conuentus fieri poſſit fratrum.* Reliquiæ porrò menſarum ad egenos deferebantur. *Quod menſa redundauerit*, inquit Iſidor. cap. 9. Reg. *omni cura ſeruatum egentibus diſpenſetur.*

19. Quartò locus erat extra clauſtra, in quo ſi quod officium charitatis exhibendum erat fœminis, maximè ſi menſa excipiendæ eſſent, exhibebatur. Aquiſgran. Concil. cap. 144. innouat antiqua Patrũ decreta, quibus inhibebatur fœminis clauſtra Canonicorum intrare, & multò minus in illis aut prandere, aut quieſcere, tum addit: *Si quid verò charitatis officio illis attribuendum eſt, extra clauſtra conſtituatur locus, in quo id accipiant:* Quæ diſciplina ſanè multò ſeuerior in Monachis eſſe debuit. Similis quidam locus erat pro viris excipiendis in monaſterio externo fœminarum, quod auditorium dicebatur, de quo ſtatim dicam.

§. XI.

De Schola.

Qvintò in hac quoque exteriori parte monaſterij erant ſcholæ, in quibus maximè inſtituebantur Clerici, quas idcirco canonicas vocauit Ekkard. lib. de caſibus monaſterij S. Galli cap. 1. vbi & de interioribus quoque ſcholis, in quibus ipſi Monachi & infantes oblati, qui ferè nobilium erant, inſtituebantur. 20.
Traduntur, inquit, *poſt tempus Marcello ſcholæ clauſtri cum Notkero, poſtea cognomine Balbulo, & cæteris Monachici habitus pueris: Exteriores verò, id eſt, canonicæ Iſoni cum Salomone & eius comparibus.* Sanè ille Salomon tunc temporis clericus tantum erat, vt indicat paulò ſuperiùs Ekkard. & cap. 3. *Quod Ratpertus in ſcholis, hoc ipſe in clauſtro præter verbera omni charitatis egit cenſura.* Et cap. 6. *Erant diſciplinæ loci, vt ſemper & tunc ſeueræ non modo in clauſtro, ſed & in ſchola exterius.* Et cap. 10. *Cum apud S. Gallum ambas ſcholas teneret, nemo præter puſiones .. quidquam alteri niſi latinè auſus eſt proloqui.* Vbi vides tum interiores clauſtri ſcholas, tum

exteriores extra clauſtrum, de quibus diſertè præcipit Theodulphus Epiſcopus Aurelian. Epiſtola ſua Synodica ad Clerum ſuum, quam refert Baron. ad an. 835. cap. 19. *Si quis ex Preſbyteris voluerit nepotem ſuum, aut alium conſanguineum ad ſcholam mittere, in ſchola S. Crucis, aut in monaſterio S. Ananiani, aut ſancti Benedicti, aut S. Liphardi, aut in cæteris iis cœnobijs, quæ nobis ad regendum conceſſa ſunt: ei licentiam concedimus.* De ſcholis Fuldenſibus habes ex Bronnero cap. 9. lib. 1. annal. Fuldenſ. Vide quoque acta S. Vdalrici Auguſtani Epiſcopi. Sanè VVilielmus ille celeberrimus, qui ex Italia à S. Maiolo Cluniacum deductus, & ab illo deinde Diuionenſi S. Benigni monaſterio primò Præfectus alia permulta quoque antiquæ diſciplinæ reſtituit nempe Virziacenſe, S. Petri ad Fontem Beſnæ; S. Ioannis Recomacnſis, S. Michaëlis, Tornodorenſis, Melundenſe in agro Tornodorenſi, Vlpianum, ſeu Fructuarienſe, quod in agro paterno Eporedræ de nouo conſtituit, Fiſcanenſe, quod olim fuerat Virginum ſacrarum, & deinde à Ricardo primo, Normaniæ Duce Clericis tributum, Monachis tandem & VVilielmo dedit Ricardus ſecundus pulſis Clericis, Metenſe, S. Arnulphi, Gemmeticenſe: S. Audoëni, Rothomagenſe: S. Michaëlis, in periculo maris: Tullenſe S. Apri: Pariſienſe S. Germani: Melodunenſe S. Pharonis, Gorzienſe, quod à Theodorico Metenſi Epiſcopo accepit, vt à Chronico S. Benigni, & Radulpho Glabro in eius vita, quam ex M. S. Diuionenſi primus vulgauit P. Petrus Rouerius è noſtra Societate in ſuo Reomao, proditur: hic, inquam, VVilielmus, vt teſtatur Glaber c. 11. cum videret tota Gallia *Plebeis maximè ſcientiam pſallendi ac legendi deficere, & annullari Clericos, inſtituit ſcholas ſacri miniſterij, quibus pro Dei amore aſſidui inſtarent fratres huius officij docti, vbi ſiquidem gratis largiretur cunctis doctrinæ beneficium ad cœnobia ſibi commiſſa confluentibus, nullúſque, qui ad hæc vellet accedere, prohiberetur, quin potius tam ſeruis quàm liberis, diuitibus, cum egenis vniforme charitatis impenderetur documentum.* Tam fœlici ſanè ſucceſſu, vt & ignorantiam amandarit, & ſimul plures ad monaſticum inſtitutum inuitarit. Ipſe ſanè VVilielmus Vercellis & apud Ticinum Grammaticam didicerat, atque inibi, *aſſiduus diuini officij cuſtos ac ſcholæ capitalis* extiterat, & ei denique tandem *ſecretarij cura, & adminiſtratio totiúſque ſuppellectilis ſanctuarij ac demum domi, foriſque conſiliorum definitio commiſſa fuerit.* cap. verò 21. quanta eſſet dicendi, pſallendíque facultate fuſiùs oſtendit.

Cæterùm *capitalis ſcholæ*, idem eſt qui prior ſcholæ, qui nempe toti choro, aut cantoribus præeſt, quem etiam in Gallia Narbonenſi vocant *Capiſcol*, alibi verò Præcentorem, ſiue Cantorem, aut Magiſtrum chori. Nam ex ordine Romano cap. de proceſſione ad Miſſam, chorus in quatuor ordines diuidebatur. Qui toti præerat, dicebatur Prior, ſiue Capitalis: ſecundus ſcholæ dextrum, tertius ſiniſtrum chorum regebat: quartus verò ſcholæ, de quo frequens mentio in eodem Romano ordine *nunciabat Pontifici de cantoribus aſtans ante faciem Pontificis, & nutum eius ad pſallendum expectans.* Græci Priorem ſiue capitalem, de quo agimus πρωτοψάλτην vocant: 21.

vocant: In aula tamen Imperatoris δομέστικοι ψαλτῶν: & apud Cedin. in Eccleſia Conſtantinopolitana erat Protopſaltes, & domeſtici duo primi & ſecundi chori. Habes igitur tota ferè Gallia inſtitutas à VVilielmo iſto monaſticas ſcholas: ſed audi edictum Magni Caroli. Qua de cauſa Lupus Ferrarienſis, Epiſt.1. ad Emardum pluribus commendat, vt ipſe nominat, Imperatorem famoſiſſimum. Is igitur lib.1.capitul.c.72. imperat, *vt ſcholæ legentium puerorum fiant, vbi Pſalmos, notas, cantus, compotum, Grammaticam per ſingula monaſteria, vel Epiſcopia diſcant.* Idem imperioſè commendatur Epiſcopis in addit.2. capitular. cap.5. vt quilibet Rector ſuos ſcholaſticos Concilio prouinciali præſentare debeat, vt de eius ſolerti ſtudio conſtet, & illi aliis Eccleſiis innoteſcant. Cui præcepto vt ſatisfacerent Epiſcopi Pariſiis, coacti in Epiſtola Synodica ad Ludouicum, & Lotharium Imperat. & in capitibus illi ſubiectis poſtulant cap.12. *Vt morem paternum ſequentes ſaltem in tribus congruentiſſimis Imperij ſui locis ſcholas publicas aperiri iubeant, vt labor,*inquiunt,*patris veſtri & veſter per iniuriam,quod abſit, labefactando non pereat.* Et in Concil. Valentin. cap.18.tractatur de ſcholis tam *diuinæ quam humanæ literaturæ, necnon & eccleſiaſticæ cantilenæ iuxta exemplum prædeceſſorum*: queruntúrque PP. ex huius ſtudij longa intermiſſione plurima mala in Eccleſiam deriuaſſe. Verùm ante hæc omnia Cabilon.2. an. Chriſti 813. ſanciuerat c.3. vt Caroli edictum, de quo paulò ſuperiùs meminimus de ſcholis, per ſingula monaſteria, & Epiſcopia cònſtituendis omnino ab Epiſcopis ſeruaretur, taléſque eſſent illæ ſcholæ,vt in iis, & *literaria ſolertia diſciplinæ & ſacræ Scripturæ*, documenta *diſcerentur*, & eiuſmodi euaderent Doctores, *qui & ſal terræ, & plebium condimentum* exiſterent, *Antichriſto reſiſterent*; & de quibus *in laude Eccleſiæ diceretur: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Vbi & de externis, & de interioribus ſcholis ſimul agunt: De externis verò ipſe Carolus teſte Cranzio in priuilegio Eccleſiæ Oſnaburgenſi conceſſo *ordinauit in eodem loco Græcas,& Latinas ſcholas in perpetuum manere.* Indéque factum eſt, vt in omnibus ferè maioribus Eccleſiis Gallicanis beneficium deputaretur Rectori ſcholarum, qui gratis doceret,quod teſtatur Alexand.III.in ſua Decretali ad Rhemenſ. Archiepiſcopum, qui ſe idem ſanciuiſſe in Concil. Lateranenſi ait. Vide totum titul. de Magiſtris in omnibus collectionibus, Theodulphus Aurelian. in cit. Epiſt. cap.20. iubet Presbyteros, id eſt,parochos per villas & vicos ſcholas habere, in quibus fidelium paruulos ſuſcipiant, & ſumma charitate literas gratuitò doceant.

Præter has verò ſcholas in monaſteriis, tum Monachorum, tum Canonicorum, ſiue in Epiſcopiis, quibus fidelium pueri gratuitò, vt vidimus, inſtituebantur: erant & aliæ, in quibus qui Clericali, aut monachali officio deſtinabantur, à ſibi Præpoſito erudiebantur vſque ad decimumſeptimum annum, vt habet Toletan.2. cap.1. Tunc enim rogabantur publicè, an caſtitatem ſeruaturi eſſent: & demum anno vigeſimo ad Subdiaconatum promouebantur. Toletan.4. cap.23. conſtituit, vt ſi qui in Clero puberes, aut adoleſcentes exiſtunt, omnes in vno conclaui atrij commorentur,in diſciplinis 22.

plinis eccleſiaſticis agant deputati probatiſſimo ſeniori, quem & Magiſtrum diſciplinæ, & teſtem vitæ habeant: qui autem his præceptis *reſultauerint*, monaſteriis deputentur, vt vagantes animi & ſuperbi ſeueriori Regula diſtringantur. Quæ eadem repetunt iiſdem verbis aliáque addunt Epiſcopi Gallicani in Concil. Aquiſgran. cap. 135. vbi & de cura Magiſtri huius agunt. Concil. Roman. ſub Eugenio II. & Leone IV. cap. 7. neceſſarium eſſe cenſet, vt iuxta Eccleſiam clauſtra conſtituántur, in quibus Clerici diſciplinis Eccleſiaſticis vacent: imò Concil. 2. Vaſenſe, ſiue Vaſionenſe cap. 1. iubet Presbyteros in parrochiis conſtitutos ex laudabili conſuetudine Italiæ iuniores Lectores in domo ſua ſuſcipere, & illos in lege Domini erudire, & ſibi dignos ſucceſſores prouidere. Concil. vero Emeritanum c. 18. mandat iiſdem Presbyteris, *vt Clericos ſibi de ſua familia faciant, eóſque ita nutriant, vt officium ſuum dignè peragant*. Quod officium ibidem deſcribit. Vides igitur vbique inſtitutas eſſe Clericorum ſcholas, quas interiores nominabam: quia in ipſis monaſteriis Canonicorum, aut domibus Presbyterorum habebantur, in illiſque nutriebantur, educabantúrque eiuſmodi diſcipuli. De ſcholis verò interioribus Monachorum iam diximus ex Ekkardo, de illiſque omninò agere videtur Concilium 2. Turonenſ. cap. 14. *Schola labore communi conſtruatur, vbi omnes iaceant, aut Abbate, aut Prapoſito gubernante, vt dum duo, vel tres viciſſim legant, & excubent, alij conſolentur.* Quæ verba ſuperiùs adduximus agentes de dormitorio, de quo videtur loqui Concilium ex ipſa contextus ſerie, neque vox ſcholæ repugnabit: ſignificat enim quodlibet conclaue in quo ſimul Monachi aliquid exercent, aut etiam dormiunt. Nam & Cæſar. num. 4. Regulæ: *De ipſo tamen tamen habitu mutando, vel lecto in ſchola habendo ſit in poteſtate prioris*, niſi fortaſſis quis legat: vel lectione in ſchola habenda. Verum quidquid ſit de Cæſario, cum Turonenſis agat de communi ſchola, in qua omnes iaceant, in eáque dum alij legunt, alij conſolantur, de ſchola propriè dicta agere videtur. Neque enim vllibi obſeruauimus in dormitorio factam fuiſſe lectionem ab excubantibus aliquot: ridiculè enim fieret dormientibus, qui etiam ineptè dicerentur *Conſolari* ex illa lectione; vox verò iacere pro manere vſurpatur, ſicut & vox ſtandi, cum dicitur quis ſtare domi, non ſignificatur tantùm ipſum ſtantem & non ſedentem, aut iacentem in illa manere: deinde facile erit dicere Turonenſe agere de communi ſchola, in qua & omnes dormiant de nocte, & ſimul de die lectionem audiant.

In his porrò ſcholis interioribus 23.
non docebantur duntaxat ſcientias, aut cantum Monachi, ſed omnia, quæ ad vitam aſceticam pertinent, in eáque exercebantur, vnde & ipſa monaſteria dicebantur Palæſtræ & ſcholæ: ſic Theodoret. in vita Simeonis Stylitæ, *cum primum magni, diuinique viri*, inquit, *Ammianus & Euſebius gymnaſticam palæſtram inſtituerant*, & infra *Euſebonas & Abibio Euſebij diſcipuli ſcholam hanc conſtruxerant*. Nam ſchola ſumebatur pro diſciplina quacunque: inde enim palatium dictum eſſe ſcholam affirmant Epiſcopi prouinciæ Rhemenſis in admonitione ad Ludouicum Germaniæ Regem c. 12.

qua monent ipſum de domo & aula regia componenda. *Et ideò domus Regis ſchola dicitur, id eſt, diſciplina: quia non tantum ſcholaſtici, id eſt, diſciplinati, & benè correcti ſunt, ſicut alij, ſed potiùs ipſa ſchola, quæ interpretatur diſciplina, id eſt, correctio dicitur, quæ alios habitu, inceſſu, verbo & actu, atque totius bonitatis continentia corrigat.* Qua de cauſa potiori iure monaſterium ſchola dici poterit. Quòd ſi ſcholam pro diſciplinarum inſtitutione capiamus, ideóque quod Reges olim tum literarum, tum militari ſcientia fulgegerent, aulam ipſorum ſcholam dixere veteres ex Erico Monacho in Epiſtol. quam præfixit libris carminum de vita S. Germani ad Carolum Caluum. *Ita vt meritò vocetur ſchola palatium, cuius apex non minus ſcholaribus, quàm militaribus conſuluit quotidie diſciplinis.* Ab eadem diſciplinarum, ſcientiarúmque profeſſione ſcholam quoque monaſterium dicemus: cuius nominis ea quoque ratio reddi poſſet, quòd ſchola ſignificet locum meditationi, aut exercitationi idoneũ. Vnde Agathias ſcholarum militariũ ethymon deduxit, οἱ εἰς τὸ διημερεύειν τὲ διανυκτερεύειν ἐν τῇ αὐλῇ ἀποκέκριντο οὓς δὴ σχολαρίους ἀποκαλοῦσιν. Qui vt dies, noctéſque in aula degant, decernuntur, quos etiam ſcholaſticos vocant. Quidni & ab ea meditatione, & exercitatione ſcholam dixerint monaſterium.

Sed redeo ad ſcholas exteriores & interiores, ex qua diſtinctione conciliabis cum iis, quæ hactenus adduximus ex antiquis monumentis prohibitionem de habendis ſcholis in monaſterio factam à Cæſario numer. 39. Regulæ *nobilium filij ſiue ignobilium ad nutriendum, aut ad docendum penitus non accipiantur,* & à Ludouico Imperatore, ſiue potius ab Abbatibus eius iuſſu Aquiſgran. coactis edita conſtitutione, quæ refertur in addit. 1. ad Capitular. cap. 45. vt ſchola in monaſterio non habeatur, niſi eorum, qui oblati ſunt: loquuntur enim de ſcholis internis monaſterio, ad quas vetant admitti alios, quàm pueros monaſterio oblatos, ſiue Monachali officio deſtinatos, vti loquebatur Concil. Toletan. 2. ſuperiùs allatum. Hos verò Cæſarius vult iam exceſſiſſe annum ſeptimum, ne nutriendi ſint tanquam infantuli; non agunt verò de ſcholis externis, quas & deinde reliqui Regularum Conditores Cæſario, aut ſuppares, aut etiam poſteriores commendarunt, quaſque Magnus Carolus Ludouici parens edicto ſuo haberi per ſingula monaſteria & Epiſcopia iuſſerat, vti retulimus: fuit & ille veterum mos vt ſcholas templis adiungerent; nam Plato lib. 12. de legibus ita edicit, vt eorum qui venirent muſas audituri diuerſoria templis proxima eſſent eorumque curam Sacerdotes, & æditui gererent. Auguſtoduni ſcholæ inter Apollinis, & Mineruæ conſtructæ erant: vt ibi inquit Eumenius, exercerentur Iuuentutis ingenia vbi tam propinqua eſſent numina amica doctrinæ, vbi ex proximo iuuaret mens diuina ſapientiam, & carminum Deus vocem, & verecundiam virgo perpetuò, & prouidentiam præſcius futurorum.

§. XII.

Domus Seruorum.

SExto loco in exteriori monaſterio erat ſeruorum domus. Quamuis enim variæ artes infra monaſterium 25.

rium exercerentur; vti id permittit S. Benedictus cap. 57. cap. verò 66. ita iubet monaſterium conſtrui, vt omnia neceſſaria, id eſt, aqua, molendinum, hortus, piſtrinum, vel artes diuerſæ infra monaſterium exerceantur, vt non ſit neceſſitas Monachis vagandi foras. Quod ipſum iuſſit Carolus Magnus lib. 5. Capitular. cap. 78. vti ſuperiùs retuliſſe me memini, & licet inuicem ſibi fratres miniſtrarent, & qui tum infirmis, tum coquis inſeruiebant ſeruitores, & ſeruientes vocentur à S. Benedicto & aliis paſſim. Nemini tamen dubium eſſe poteſt, quin turba tum operariorum, tum ſeruorum, ſiue mancipiorum, quibus abundabant monaſteria, extra ſepta cellularum, aut habitationis fratrum & Monachorum ſiue Clericorum eſſet, quod de Sanctimonialium aſceteriis multò etiam certius eſt. Cùm ne quidem monaſterium ſubire, & ingredi poſſent, niſi quando aliquid operis intra monaſterium neceſſariò ab illis faciendum erat. Sic enim ſtatuit Concil. 2. Cabilon. cap. 63. *Nullus Vaſſus Abbatiſſæ, nec miniſter*, &c. *clauſtra ancillarum Dei ingrediatur, niſi fortè quando neceſſitas operandi incumbit* De Vaſſi voce plura dabimus in noſtra ſcientia Canonica, hoc loco ſignificat quidem vaſſallum, ſed miniſtrantem extra monaſterium.

§. XIII.

De Auditorio Sanctimonialium.

26. SEptimo in monaſteriis Sanctimonialium fuit auditorium: Ita enim habet Concil. Cabilon. 2. c. 61. prohibet quippe Sanctimoniales in propriis manſionibus cumviris etiam Clericis, & conſanguineis comedere, aut bibere. *Sed ſi quando id agendum eſt*, inquit, *in auditorio agatur: & ubi auditorium deeſt, non fiat.* Addit deinde. *Et cum nullo maſculo eis colloquium habere liceat, niſi in auditorio, & ibi coram teſtibus.* Quod ipſum de colloquiis iterum ſanciuit Pariſienſ. ſub Lothario & Ludouico lib. 1. cap. 46. *Si colloquendum cum aliqua Sanctimonialium ratio poſtulat, id non alibi, niſi in conſtituto loco, id eſt, in auditorio ſub teſtimonio virorum Religioſorum, & Religioſarum fœminarum fiat.* Dicitur in regula S. Cæſarij, ſalutatorium, quod erat in externo monaſterio, num. 38. præſcribit qua ratione Abbatiſſa, excipere debeat ſalutantes in ſalutatorio. Obſeruandum eſt ne Abbatiſſa, ad ſalutantes in ſalutatorium ſine duabus, aut tribus ſororibus procedat; & ibidem iubetur, in ianua monaſterij opportunis horis ſalutantibus pateat.

Ex quibus vides auditorium, idem fuiſſe quod collocutorium, vti hodie vocant, quod non diuidebatur clathris & cratibus; ſed in quod conuenirent Sanctimoniales colloquendi, aut etiam comedendi cauſa cum viris, adhibitis ſemper teſtibus tum viris tum fœminis; fuit quoque locus, in quo varia negotia tractabantur, quem locum ad portam fuiſſe ſignificat Concil. Cabilon. 2. cap. 6. prohibet enim egredi Sanctimoniales è monaſterio; eas verò, quæ carent famulabus ad ſua negotia exercenda, vult *ad portam monaſterij peruenire, & ibi coram teſtibus ſua negotia exercere.* Et ſanè auditorium pro loco, in quo Princeps lites ſubditorum dirimebat, accepit ſermone 43. Petrus Bleſenſis: *Imperatoriæ*, inquit, *maieſtatis eſt tres partes ha-*

bere in palatio, cœnaculum, in quo ſuos reficit; auditorium, in quo lites dirimit; dormitorium, in quo dormiens requieſcit: qui locus dicitur etiam audientia: quia ſubditi inibi audiebantur à Principe, & ideò pro ipſa etiam facultate facta à Principe audiente vſurpatur, ſicut paſſim vocant ius locum ipſum, in quo illud dicitur. Turonen. lib. 7. Hiſtor. cap.47. *Præceptum eſſet vt Ariſtegaſilus, qui homicida erat, & interfectis pueris res ſine audientia diripuerat, cenſura legali condemnaretur.* Et lib.10. c.19. ait in conuentu Metenſi increpitum fuiſſe Regem Childebertum, quod Ægidium Rhemenſem Epiſcopum læſæ Maieſtatis, accuſatum à Sunnigiſilo, hominem abſque audientia ab vrbe rapi, & in cuſtodiam retrudi præcepiſſet: quæ totidem verbis repetit Flodoard. lib.2. Hiſtor. Rhemenſ.cap.2. Fulbert. Carnot. Epiſt.65. *Sicut etiam Venerabili Archiepiſcopo noſtro Leutherico, in audientia veſtra nos dixiſſe monuimus.* Epiſt. 39. Eadem ſignificatione vſurpat eam vocem. Hinc audientiam appellare, dixit Petrus Cellenſ. lib.1. Epiſt.6. Nam nomine conuentus S. Meuennij apud Maclouienſes, in Armoricis, ad Eugenium III. ſcribens pro Abbate à conuentu electo, & etiam confirmato authoritate Apoſtolica: & deinde ab Archiepiſcopo Turonenſi vexato: *Veſtram*, inquit, *audientiam appellauit*, hinc etiam *charta audientialis*, apud Marcul. lib.1. cap.28. quod per eam quis ad audientiam vocetur. Hinc denique *os audientiale*, apud Synod. Meldenſ. cap.77. à quo iubet abſtinere per dies octo feſtiuitatis Paſchæ. Auditorium igitur locus erat ad portam monaſterij, in quo Sanctimoniales ſua tractabant negotia, & audiebant ſecum agentes, qua ſimili phraſi vtuntur Septuaginta lib.2. Reg.cap.23. verſ.23. de Banaia filio Ioiadæ, fecítque eum Dauid Auricularium à ſecreto. Et lib.1. Paralip. num.25. poſuit eum Dauid ad auriculam ſuam. Quod etiam fert vox Hebræa.

§. IV.

Quidnam eſſet pulſatorium.

OCtauò reperio quoque in antiquis Sanctimonialium monaſteriis fuiſſe pulſatorium. Nam 27.
Epiſcopi totius fere Galliæ iuſſu Pipini Regis in palatio Vernis ad Concilium vocati anno 755. *aliquantiſper recuperare inſtituta canonica* cupientes, *donec liceret affulgente tranquillitate temporum ea melius, perfectius, integréque in antea conſeruare*, & votis Religioſiſſimi Regis ſatisfacere Cap. 56. de diſciplina regulari diſputant, atque vbi cap.6. de clauſura Sanctimonialium egere, prohibuerúntque Abbatiſſam exire è monaſterio, *niſi hoſtilitate cogente*, vel iuſſu regio in aulam ſemel in anno vocatam, & de licentia Epiſcopi, ne reliquæ etiam Monachæ exeant: & ſi quæ lapſa ſit, ibidem ex Epiſcopi conſilio pœnitentiam agat: ſi quid earum nomine apud Regem, aut Synodum agendum eſt, id miſſi monaſterij tractent; ſi quæ monaſteria paupertate cogente Ordinem Regularem ſeruare nequeant, prouideat Epiſcopus, & Regi ſignificet, vt ſuis eleemoſynis occurrat eiuſmodi neceſſitati. addunt. *Et ſi tales fœminæ velatæ ad præſens ibi congregatæ inueniuntur, quæ regulariter viuere non velint, nec ad hoc dignæ ſunt, vt cum illis alius* (forſan aliæ) *habitent, Epiſcopus, vel Abbatiſ-*

ſa prauideant locum aptum, vbi ſeparatim cum cuſtodia, in pulſatorio habitare debeant, vel operari manibus, quod ipſa Abbatiſſa eis iuſſerit, interim quod probatæ dignæ ſint, vt in congregatione recipiantur. Pulſatorij quoque meminit. lib.1.Capitular. cap.73. *Et vt ad monaſteria venientes ſecundum Regularem Ordinem in pulſatorio probentur, & ſic recipiantur.* Ex quibus vides pulſatorium locum eſſe, in quo degebant, qui probabantur variis experimentis, antequam in Congregationem admitterentur: Siue eſſe cellam Nouitiorum, quam monebamus nuper in exteriori monaſterio ſitam fuiſſe. Cum nimirum nihil adhuc commune haberent cum aliis Monachis, aut fratribus; non tamen licentiam, aut vagandi, aut exeundi habebant. Nam ibi erant, vt ait Concil. Vern. *cum cuſtodia*: quod ſapienter ſtatuit, vt Sanctimoniales, quæ ad ordinem illum & diſciplinam, quam inſtaurare cupiebant Patres, ſeruare nollent, in pulſatorium, ſiue in Nouitiatum denuò amandentur, in quo ne dignæ quidem ſint aliarum conſortio, ibique *ſub cuſtodia ſint*, diſciplina videlicet & cura ſibi præpoſitæ alicuius imperata ab Abbatiſſa faciant, & probentur, donec ſe dignas exhibuerint, quæ in congregationem ſuſcipiantur. Itaque pulſatorium eſt cella, vel locus probationis, quo excipiebantur, qui à ſæculo veniebant, & probabantur, vt fuſiùs habet S. Benedictus cap. 58. Regul. antequam in numerum fratrum allegerentur. Quòd idem in monaſteriis Sanctimonialium fiebat, vt vides: & ad quem etiam reiiciebantur, quæ in congregatione non ſeruabant Ordinem Regularem. Nam Concil. Verneinſe iubet fœminas velatas, quæ in congregatione regulariter viuere nolunt, neque proinde dignæ ſunt, quæ cum aliis habitent, in aliquo commodo loco pulſatorij contineantur ſub cuſtodia ſeparatæ ab aliis, donec probatæ fuerint, & iterum in congregatione ſuſcipiantur. Ex quibus colligis primò pulſatorium non fuiſſe vnum duntaxat conclaue, aut cellam, ſed plures complexum eſſe, cum in eo quærendus ſit locus aptus in quo habitent eæ fœminæ iam velatæ, quæ à congregatione propter violatum ordinem Regularem quodammodo eiiciuntur, & ſaltem ſeparantur, quas ego quoque ſeiunctas ab aliis omnibus etiam Nouitiis habitaſſe exiſtimarim, prudenter omninò, ne potiùs ſuis moribus Nouitias corrumperent, quàm illarum exemplo iuuarentur. Secundò vides hunc locum non ita extra ſepta monaſterij fuiſſe, vt omnibus liber aditus ad illum eſſet: quia ibi degebant illæ fœminæ *cum cuſtodia*: & deinde quia in illo non tantum Nouitiæ, ſed etiam velatæ, id eſt, iam profeſſæ habitabant, quæ ſanè non emendaſſent ſuos mores in eiuſmodi loco omnibus peruio, ſed maiorem licentiam habuiſſent, laxiorémque diſciplinam, quàm intra monaſterium. Vides tertiò duplicem vſum pulſatorij, primum quidem ad probandos tyrones, qui è ſæculo veniunt: ſecundum ad emendandos iam in congregationem admiſſos, qui in ea Regularem Ordinem minimè ſeruabant. Sanè veteres Monachi, quorum inſtituta deſcribit Caſſian. Nouitium etiam habitu Monachali donatum, nondum tamen *congregationi fratrum commiſcebant, ſed deputabant ſeniori, qui ſeorſum haud longè à veſtibulo monaſterij curam*

 haberet

haberet peregrinorum, &c. Ibique anno integro deſeruire debebat lib.4. cap.7. Cur verò locus iſte probationis pulſatorium diceretur, ex duplici coniectura aſſequi mihi videor. Pulſare enim ſignificat ardenter aliquid poſtulare. Chryſolog. ſerm.47. *Oratio pulſat, impetrat ieiunium, miſericordia accipit*, &c. *Hæc ſunt, quæ tenent cæli arcam, quæ ſecretum Dei iudicium pulſant.* Gregor. lib.9. Regiſtri. Epiſtol. 53. *Iterata vos pro magna noſtra mercede adhortatione pulſamus, vt congregari Synodum iubeatis.* Quia ergo Tyrones iſti ad monaſterij veſtibulum incenſis votis admitti flagitabant, & fores, ad quas excubabant, pulſabant, atque ſingulorum fratrum animos dum tranſirent: idcirco locus, quem toto eo tempore habitabant, pulſatorium dici potuit. De excubitu enim ad portam monaſterij habet Caſſian. lib.4. inſtitut. c.3. S. Pachom. art.26. Regulæ. Baſil. in Regul. fusè diſputat. cap.10. & Benedictus cap.38. Regulæ. In quem locum Turrecremata obſeruat Benedictum tres probationis gradus inſtituiſſe: primus eſt ad portam monaſterij, quatuor, aut quinque diebus: ſecundus eſt in cella hoſpitum duobus menſibus: Tertius in cella Nouitiorum decem mẽſibus. Secundò pulſare verbum forenſe eſt, & accuſare atque conuenire, & in iudicium vocare ſignificat. Tull. 3. Verrin. Pro Decuma cum pulſatus à Venerio eſſet, dedit H. S. ſedecim millia. l. de ætate 11. §.9. ff. de interrogationib. in iure faciend. *Qui interrogatus reſponderit, ſic tenetur quaſi ex cõtractu obligatus, pro quo pulſabatur.* Vide Hotonia in Lexico. Caſſiod. lib. variar. Epiſt.8. *Si nihil eſt, quod rationabiliter à pulſato poſſit opponi, poſtulatas res tutò ei facias ſine dilatione reſtitui.* Et lib. 2. legis Longobard. titul. 13. *Si intra quinque annos creditor pulſauerit, & debitor non habuerit, vnde ſoluat*, &c. Concil. Aurelian.5. c.7. edicens, vt ſerui ab Eccleſia, aliiſque Dominis manumiſſi in libertate permaneant, neque iterum à Dominis vindicari poſſint: *Huiuſmodi libertas ſi à quoquam pulſata fuerit, cum iuſtitia ab Eccleſia defendatur.* Quia igitur in iudicio vbi quis accuſatur, ſolet ſuam vitam probare: factum eſt, vt pulſare pro accuſatione & probatione vſurpetur: & Tyrones in monaſteriis dicantur pulſari, id eſt, probari. lib.1. capit.c.114. *De his, qui non fiunt ſecundum Regulam pulſati, vt deinceps emendentur, & pulſentur ſecundum Regulam*, id eſt, accuſentur; corrigantur, probentur. Clariùs verò cap. ſequent.115. *Vt infantulæ ætatis puellæ non velentur, antequam illæ eligere ſciant quid velint, & pulſentur ſalua canonica authoritate.* Locus igitur probationi illi, & pulſationi deſtinatus optimè pulſatorium dici potuit.

§. XV.

Quid Salutatorium.

NOnò denique apud eaſdem Sanctimoniales ſalutatorium erat. Dixi quidem ſuperius de ſalutatorio, quod vicinum eſſet Oratorio, & intra monaſterium contendebam ex Concilio Matiſconenſ. præter quod reperio & aliud, de quo agit Cæſar. in Recapitulatione Regulæ. *Quæcunque ad conuerſionem venerit in ſalutatorio ei frequentiùs Regula relegatur.* 28.

Ex quibus verbis videtur ſalutatorium

totum eſſe idem cum habitatione probationis, ſiue cella Nouitiorum, quam pulſatorium quoque dici ſuperius oſtendebamus: nam & in illo Regula legebatur iis, qui in congregationem admitti poſtulabant, vti habet etiam S. Benedictus cap. 58. Regulæ. Et ſanè ex antiquiſſima diſciplina iis, qui è ſæculo veniebant, omnia aſpera, quæ in Religione ſubeunda erant, explicabantur, vt ipſi ſuas vires & animum conſulerent, viderént que ſeriò, an eiuſmodi inſtitutum amplecti vellēt. Quidni verò habitatio illa probationis æquè ſalutatorium diceretur à veneratione, qua ſalutabant fratres omnes, dum ab illis ingreſſum in monaſterium tam ſummiſſis precibus poſtularent: ita & eorum aures pulſarent, & precibus quoque ac votis ipſos ſalutarent. Quo ſimili ſenſu dixit Terent. in Phorm. *At ego Deos penates, hinc ſalutatam domum diuortar:* & Martial. lib. 12. multis dum precibus Iouem ſalutat. Et Ouid. Metamorphoſ. 15. Lætóque Deum clamore ſalutant. Alij verò volunt ſalutatorium eſſe idem, quod auditorium, in quo ſalutes dicerentur à viſitantibus Sanctimoniales. Et ſanè cubilia ſalutatoria leguntur apud Plin. lib. 15. cap. 11. de malis enim cotoneis agens: *Omnia iam*, inquit, *& virorum ſalutatoriis cubiculis incluſa ſimulatris noctium conſciis impoſita.* In exteriori porrò monaſterij parte fuiſſe hanc cellam ſalutatoriam, & ab auditorio diſtinctam colligitur apertiſſimè ex Cæſario num. 65. Regulæ, vbi peccantem à congregatione eiici mandat, & in ſalutatoria cella pœnitentiam agere. Si fortè, quod Deus non patiatur fieri, aliqua de filiabus noſtris tam pertinax animo, quæ huius Regulæ Recapitulationem ſalubriter, & ſecundum inſtructionem SS. Patrum ſcriptam implere contemnat, à ſanctæ Congregationis veſtræ conuentu eam accenſæ zelo ſancti Spiritus remouere, & tamdiu in cella ſalutatoria ſit remota, quamdiu dignam pœnitentiam agens humiliter veniam petat, & donec ad Regulæ inſtituta ſe corrigat intus non regrediatur.

Ex his omnibus habes totam veterem monaſteriorum ſtructuram, quam cum hodierna facilè compones, & quid inter vtramque interſit, agnoſces. Habes 2. ſemper in illis monaſteriis aliquam fuiſſe clauſuram, neque in interius vti appellabam monaſterium aditum, niſi grauibus de cauſis patuiſſe. Habes. 3. quinam fuerint, quique hodie in diſciplina rigidiori clauſuræ limites exiſtant, quod poſtremum iſto capite quærebamus.

§. XVI.

Definiuntur Clauſuræ limites.

DIco igitur monaſterij interioris ianuam & ſeptum, quo claudantur Moniales & quo prohibentur externi ad illas accedere, eſſe clauſuræ limites, quos violare nefas ſit, & extra quos Sanctimoniali progredi non licet, neque intra illos, externos admittere. 29.

Hæc propoſitio ſola explicatione indiget, quæ etiam perſpicua remanet ex tradita Monaſteriorum ſtructura. Nequeunt enim Sanctimoniales in exterius monaſterium egredi, & ex ſuis ſeptis & ianua in domos & cubicula externa, quamuis exteriori monaſterio coniuncta, illiúſque partes, ſed externas, & ex-

tra ſeptum poſitas ſubire. Itaque vnanimi conſenſu Doctores tradunt, Suarez lib.1. tract. 8. de Religione cap.10. numer.6. Bonacin. diſput. de clauſur. quæſt. 1. part. 1. Roderic. tom.1. qq. Regul. quæſt.47. artic.1. Sanch. lib.6. in Decalog.c.15.num.6. Tamburin. de iure Abbatiſſ. diſp.18. quæſt. 1. Comitol. lib. 6. Reſponſ. moral. quæſt.3. Ferdinand. à Caſtro. tract.15.diſput.4. punct.9.num.5. Et denique ita definiuit Greg.XIII. in ſua conſtitutione, *De ſacris virginibus* an. 1572. 3. Kalend. Ianuar. vbi explicans varia loca, ad quæ non liceat Monialibus accedere, de quibus ſtatim, hanc rationem reddit. *Quæ loca cum ſaltem pro cauſis prædictis patere ſoleant ſæcularibus, extra clauſuram cenſeri debent, etiam quo tempore clauſa ſunt.* Vnde colligunt Doctores vniuerſalem hanc Regulam: Omnia loca, ad quæ liber acceſſus patet ſæcularibus, eſſe omninò extra clauſuram; illa verò à quibus communiter ſæculares prohibentur, eſſe intra clauſuram. Et ſanè cum clauſura inſtituta ſit, vt Sanctimoniales ab hominum turbis, & communi conſuetudine ſeparentur, eáque de cauſa & ſeptis, ſiue clauſtris & valuis muniantur, ſi in aliquem locum ſæcularibus patentem egredi poſſunt, & ſæculares in partem aliquam interioris monaſterij penetrare valent, fruſtra eſt omnis illa clauſura, inania ſunt ſepta, & ad ianuam excubiæ.

§. XVII.

Conſectaria ex doctrina tradita.

CONSECTARIVM I.

Nullus eſt locus communis, aut veluti medius, in quem ſine violatione clauſuræ conuenire poſſint Sanctimoniales & externi.

Eiuſmodi locum finxerunt aliqui apud Suar. tractat.8. de Relig. lib.1. cap.10. num. 7. qui ſcilicet ſit veluti intrinſecus vtrique extremo, clauſuræ ſcilicet & ſeptis monaſterij, & loco ipſi externo, itaque ſit partim extrinſecus, partim intrinſecus, neque intra clauſuram exiſtat, neque extra illam: ideóque neque externi illam violent eiuſmodi locum penetrando, neque Sanctimoniales ſua ſepta tranſgrediantur. Verum eiuſmodi locum reiicit Saarez ibid. Roderiq. tom. 1. qq. Regul. quæſt. 46. art.1. Sanch. lib. in Decalog.cap.16. num. 11. Quia vel intra clauſuram, vel extra illam eſt eiuſmodi locus: neque inter duo illa prædicata, quæ contradictionem inuoluunt, licet aliquid medium fingere: & Monialis cum in illum ſe confert, vel egreditur extra ſepta monaſterij, atque ita violat clauſuram; vel non egreditur: ergo in illum admitti nequit externus, quin monaſterij ſepta ingrediatur, & intra clauſuram ſit. Et ſanè eiuſmodi locus pugnat cum conſtitutione Bonifacij, cuius ſunt ea verba: *Nullique aliquatenus ingreſſus pateat ad eaſdem.* Quod falſum erit, ſi liceat in aliquem communem 30.

munem locum ingredi, ad quem ipſæ quoque Moniales communiter conuenire poſſint, & ſoleant. Concil. verò Trident. ait: *Ingredi intra ſepta monaſterij nemini liceat.* Ille verò locus eſt intra ſepta ſiue murum, quo ambitur monaſterium; aut extra illum. Quomodo enim finges eſſe medium? Denique habemus vniuerſalem Regulam ex Gregorio: locum, qui paſſim liber eſt ſæcularibus, extra clauſuram eſſe. Reiicienda eſt itaque Gloſſa vltima, in cap. cum ſanctam. de pœnit. diſt. 2. Eum, qui in porta eſt, eſſe partim intus, partim extra: quia porta eſt partim intra, partim extra. Nam vel porta eſt interior loco, vel exterior: & qui in porta ſtat, vel limen portæ tranſilit, atque ita eſt intra, vel extra illud eſt, vel in illo perpendiculariter, & reuera nondum eſt intra ſepta, & ſeptum ipſum eſt extra locum, quem ambit, vt patet. Et ineptè Gloſſa ideo virum ſtantem in porta Chriſto comparat: quia per humanitatem eſt viſibilis, & per diuinitatem inuiſibilis, cuius comparationis ratio ſapientibus parum omnino commoda videbitur. Sanè ſtans in oſtio cenſetur eſſe in domo, & incurrit pœnas ingredientis domum: Quod tradunt Barthol. lib. 1. §. hoc interdictum, ff. de cloacis. Balduin. rubr. ff. de ſolut. matrim. verſ. hic adde Alex. conſil. 137. num. 14. volum. 2. Iaſon. l. plerique num. 20. limit. 4. ff. de in ius vocando.

Hinc vides conſuetudinem illam excitandi aliqua cubicula intra ianuam interiorem monaſterij, in quibus fœminæ ſæculares cum ſanctimonialibus agant, damnandam omnino eſſe, & contra mentem Pontificum, ac Concilij: & eiuſmodi ingreſſu violari reipſa clauſuram. Alioquin æquè viris licitus eſſe deberet ille ingreſſus, ac fœminis, cum Tridentinum vtriſque prohibeat ſepta monaſterij ingredi.

Consectarium II.

Non licet Monialibus, aut exteriorem Eccleſiam adire, aut externam monaſterij ianuam, aut domos monaſterio contiguas.

HÆc omnia definiuit Greg. XIII. in ſua conſtitutione ſæpiùs allegata: *Deo ſacris: Declaramus,* inquit, *nullis Monialibus etiam tertiarijs licere habere oſtium, per quod ex monaſterio interiori introiri poſſit in ipſarum Monialium exteriorem Eccleſiã, in quam ſæcularibus ad Miſſas, & diuina officia patere ſolet acceſſus; ſed omnino muro obſtruendum. Nec itidem licere Monialibus etiam tertiarijs egredi à ianua monaſterij, quæ eſt pro clauſura monaſterij ipſius, etiam ad claudendam aliam vlteriorem ianuam, qua patere ſolet aditus ſæcularibus venientibus, vel ad rotam, vel ad crates, ſeu loca colloquijs deſtinata, quæ vulgò parlatoria vocantur: vel ad pulſandam ipſam ianuam clauſuræ.* 31.

Ex his vides ferri non poſſe quarumdam Sanctimonialium vſum, quæ cum paucis ab hinc annis inſtitutæ ſint; ac proinde legibus clauſuræ omnino teneantur, neque iure obtendere poſſint, aut in ſuis monaſteriis nunquam decretum Concilij, aut Patrum conſtitutiones promulgatas eſſe, aut conſuetudine illis derogatum fuiſſe: habent tamen oſtium, quo poſſint in exteriorem Eccleſiam ſubire ad ornandum altare, clauden-

das Eccleſiæ fores, & ſibi ipſis blandiuntur, quod id temporis clauſa ſit Eccleſia. Huic enim excuſationi occurrit Gregor. addit enim verba ſuperiori §.16. relata: *Quæ loca cum ſaltem pro cauſis prædictis patere ſoleant ſæcularibus, extra clauſuram cenſeri debent, etiam quo tempore clauſa ſunt*. Et ſanè ſi ad clauſam Eccleſiam liceret Monialibus egredi, non iuberet Gregor. illud oſtium muro obſtrui: id enim profectò iubet, ne vllo vnquam tempore illo vti liceat: neque minus peccant illæ, quæ per chori cancellos in Eccleſiam ad concinnandum altare ſubeunt, vti patet. Quod verò antiquitus in Eccleſiam venirent Sanctimoniales, & modò in veteribus monaſteriis in illa diuina celebrent officia, atque Miſſas audiant, non fauet illis, quas modo reiicimus. Nam Eccleſia ſiue Oratorium erat quondam intimum monaſterio, vti oſtendimus, neque vt in illud ſubirent Moniales è monaſterij ſeptis egrediebantur; ſed Sacerdos in illud vti diximus, ingrediebatur: nunc verò Eccleſia, de qua agimus, exterior eſt monaſterio, & omnibus ſæcularibus liberè patet, in antiquis monaſteriis, ſi Eccleſia ſemper maneat intima monaſterio, ſeruandus erit antiquus mos, & non permittendus illius ingreſſus liber externis, ſed ſoli Sacerdoti; aut pars aliqua erit conformanda pro Monialibus, & à reliqua Eccleſia ſeparanda, ex qua non liceat Monialibus in aliam partem, quæ erit veluti exterior, egredi.

32. Hinc fit, vt Abbatiſſa etiam ianuis Eccleſiæ clauſis, aut exterioris partis monaſterij, non poſſit ſine violatione clauſuræ Eccleſiam exteriorem, aliáque ædificia monaſterij viſitare, vt aut cum latomis agat, aut diſpiciat an ruinam minitentur, an reficienda ſint & quomodo: quia reuera exit è clauſura, neque illam cauſam egreſſus ſufficientem iudicant Doctores, cum æquè, immò & meliùs per alios agi poſſit de eiuſmodi ædificiis, illorúmque reparatione, neque ea de cauſa poſſunt ſuperiores illi licentiam exeundi impartire, vt facilè conſtabit ex dicendis cap. ſeq. Modò noſtrum conſectarium tradit Sanch.cap.15.lib.6.cit. n.52. Tamburin. de iure Abbatiſſar. diſp.19.quæſt.4.ad caſum 14. Potiori verò iure damnanda eſt per varias vrbis Eccleſias & monaſteria circumcurſatio, vt ſibi templi & monaſterij formam ſumant: neque ea ſolum de cauſa debere aut poſſe egreſſum è monaſterio permitti conceſſerim vnquam, cum ne in propriam quidem Eccleſiam penetrare permiſerit Gregorius; immò id tam ſeuerè prohibuerit, & in illo violari clauſuram definiuerit.

Non licebit igitur Superiориſſæ, aut aliis Monialibus ad collocutoria externorum, aliáque cubicula, quæ in monaſterij veſtibulo, aut ad portam illam exteriorem in ea componantur, vel ædificentur, aut ad aperiendam ianuam, aliiſve eiuſmodi de cauſis egredi: id enim Gregor. ſua conſtitutione omnino prohibuit, & ea omnia loca extra clauſuram eſſe definiuit.

De domibus monaſterio contiguis, quæ à ſeruitricibus habitantur, & aliquando intra exteriorem monaſterij ianuam clauduntur, idem omnino dicendum eſt. Cum enim liber ad illas ſæcularium pateat acceſſus, extra clauſuram omnino exiſtunt, quæ proinde violatur, dum Monialis ad illas accedit. Ita Nauar. 33.

comment.4.

comment. 4. de Regula numer. 50. Tamburin. quæſt. 4. cit. ad caſum 3. Sanch. lib. 6. cap. 15. num. 71. vbi omninò extra clauſuram eſſe has domos contendit.

Immò quamuis ambobus tantum pedibus extra ianuam interiorem clauſuræ limites terminantem ſe conferat monialis, etiam intra illud ſpatium, quod intra eam ianuam, & aliam exteriorem interiicitur, clauſuram violat ex Bonacin. diſput. de clauſur. quæſt. 1. punct. 8. numer. 7. Rodriq. tom. 1. qq. Regular. quæſt. 49. art. 3. Sanch. num. 67. cap. 15. citat. Tamburin. quæſt. 4. citato ad caſum 1. Comitol. lib. 6. quæſt. 3. ſi tamen non toto corpore egrediatur, maiórque corporis pars intra ſepta remaneat, etiamſi pedem vnum, aut alterum, aut etiam ambos extra portam, ad quam, v.g. ſedent, efferat, non violat clauſuram: quod vnum volunt, qui noſtræ aſſertioni repugnare videntur: quia reuera nondum exiit monaſterio, ſicut neque ſi exiſtat in oſtio aperto monaſterij, vti habet Portel. in dub. Reg. verb. clauſura Monialium num. 25. Imò addit. Nald. verb. clauſura n. 1. ſi ita aperto oſtio colloquens, brachiis per iocum apprehenſis inuita trahatur extra oſtium, non erit rea violatæ clauſuræ.

CONSECTARIVM III.

Monialis, quæ intra rotam voluitur ad locum externis patentem violat clauſuram.

35. ITa docet Comitol. quæſt. 3. lib. 6. Reſponſ. contra Tamburin. quæſit. 4. citat. ad caſum 5. qui concedit illam Monialem grauiter peccare ratione periculi, non tamen violare clauſuram. Verùm ſententia Comitoli, quam etiam tradidit Portel. verb. clauſura Monial. numer. 24. probatur, quia reuera Monialis ea ratione ſeſe conſtituit in loco patenti ſæcularibus; quod ad clauſuræ violationem ſatis eſſe docet Gregor. XIII. vti diximus: Deinde liceret quoque ſæcularibus in eadem rota ſe ad partem interiorem monaſterij circumuoluere, atque ſine læſione clauſuræ inibi cum Monialibus confabulari, & quæ liberet agere. Neque alia de cauſa ita componuntur hæ rotæ, & muro includuntur, vt nullus valeat ſe in ea intra, aut extra monaſterij ſepta circumuoluere; nondum tamen definio, An hæc violatio clauſuræ grauis ſit, & pœnis Pontificiis ſubiecta, quod vnum ferè negant, qui ſunt in contraria ſententia cum Dian. 3. p. tract. 2. Reſolut. 52. Id enim commodiùs diſquiram inferiùs, vbi de illis pœnis agemus.

CONSECTARIVM IV.

Monialis tegulas monaſterij aſcendens, aut eius muro inequitans non violat clauſuram.

PRimum caſum concedunt Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 15. num. 7. 36.
Tamburin. quæſt. 4. diſput. 19. de iure Abbatiſſ. ad caſum 4. Lopez de Texeda in controuerſ. moral. tom. 1. lib. 2. controuerſ. 14. dub. 8. num. 9. quem refert & ſequitur Dian. part. 5. tract. 13. Reſolut. 88. quia reuera eſt adhuc intra clauſuram, cum tectum ad monaſterium pertineat. Addit tamen. Dian. cum Texeda, requiri, vt illa tecti pars, ad quam progreditur Monialis,

Monialis, reſpiciat perpendiculariter clauſuram monaſterij: nam alioquin ſi ad proiecturas extra monaſterij ſeptum perueniat, extra clauſuram erit. Quod mihi non probatur: nam reuera totum illud tectum clauſuræ eſt, neque patet aliis. Quod ſi ea pars componeret tectum alienæ domus, aut ædificij contigui monaſterio, & extra illius ſeptum collocati: tunc reuera vti benè aduertit Sanchez, extra clauſuram eſſet, & non magis poſſet ad illud vicinum tectum perreptare Monialis, quàm in vicinam domum, & reuera externi in illum locum poſſunt adire per domos illas externas.

In ſecundo caſu Monialis, quæ conſcendit murum monaſterij ſiue curioſitatis cauſa, ſiue quo alio animo, imò quæ illi inequitat, nondum violat clauſuram ex Suarez lib. 1. tract. 8. de Relig. c. 10. n. 7. quia reuera nondum extra clauſuram eſt: quod idem dicendum erit de externo, qui murum monaſterij conſcendiſſet, illíque inſideret, vt cum Moniali colloqueretur etiam malo animo: peccaret enim, ſed non violaret clauſuram: quare ſi ex compoſito Monialis ex altera parte conſcenderet eundem murum, atque ita colloquerentur, turpiáque agerent, grauiſſimè quidem peccarent; nullus tamen clauſuram violaret: ſicut neque ſi eadem admitterent aperto oſtio monaſterij, ex quo neque Monialis egrederetur, neque externus in illud etiam ingrederetur.

Consectarium V.

Monialis extra Monaſterium habitans non violat clauſuram, ſi exeat è domo, in qua habitat. Vnde alij caſus ſingulares explicantur.

SVppono Monialē aliquam iuſtè, aut iniuſtè egreſſam fuiſſe è monaſterio, & extra illud in domo aliqua ſibi vicina, ſiue remota aliquamdiu manere: & dico non teneri ad ſeruandam clauſuram in eiuſmodi domo; ſed ex illa egredi poſſe, dum libuerit abſque læſione clauſuræ, quamuis fortaſſis alio ex capite peccet, peccaueritque egrediendo extra monaſterium, atque extra illud abſque cauſa legitima & licentia manendo peccet, & violet clauſuram; non tamen præcisè egrediendo è domo, in qua habitat modò. Ita Nauar. comment. 4. de Regularib. num. 44. notab. 4. Sanch. lib. 6. in Decalog. c. 15. num. 9. & alij deinceps. Ratio apertiſſima eſt ex dictis: quia eiuſmodi domus monaſterium non eſt, & clauſuram definiunt Pontifices, ne è monaſteriis ſuis egrediantur Moniales. Quod verò Pius V. in ſua conſtitutione *Circa paſtoralis*, præcipit ſeruari clauſuram *in ſuis monaſteriis, ſeu domibus*. Nomine domorum intelligit ædificium Monialibus dicatum, ſiue monaſterium, éſtque vox illa explicationis cauſa addita, non ampliationis, vti obſeruauit loco citat. Nauar. & ex illo Rodriquez tom. 1. qq. Regul. q. 44. art. 3. & Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 15. num. 8. Et ſanè vox *ſeu*, & *ſiue*. Potius verbum quàm ſenſum diſiungit: quod communiter docent Doctores cum Abbat. in cap. inter cætera 38.

cætera. num. 4. de reſcriptis. Hinc colligit vlterius Sanch. num. 9. cit. & num. 55. eas profeſſas, quæ ad eleemoſynas colligendas in domibus monaſteriis contiguis habitant, non violare clauſuram, etiamſi ex illis egrediantur: quia domus illæ non ſunt Regulares, neque intra ſepta monaſterij continentur; ideóque ad illas ingredi poſſunt ſæculares etiam malo animo, neque clauſuram infringunt, vt ex Nauarro notat Sanch. ſed de his profeſſis, quæ colligendis eleemoſynis deſtinantur, dicemus cap. ſeq.

40. Secundò colligitur monaſteria, quæ actu ædificantur, neque adhuc clauſa ſunt, etiamſi in illis aliquæ Sanctimoniales habitarent, aut Religioſi, ſi ſunt monaſteria virorum, non intelligi in prohibitione clauſuræ: quare & ad illa ingredi poſſunt ſæculares, & inde Moniales egredi abſque violatione clauſuræ; & fœminæ quoque ingredi poterunt eiuſmodi monaſteria viris deſtinata. Ita Tamburin. diſput. 18. de iure Abbatiſſ. q. 1. allegans Sorbum verb. ingredi monaſteria, quod ego ſic interpretor, dummodò non ſit pars aliqua illius beneficij noui, aut veteris, ita ab aliis, quæ ædificantur ſeiuncta, vt & vallis & ſepto aliquo muniatur ad Sanctimonialium, aut Religioſorum habitationem, qui proinde non habent liberum acceſſum ad nouum illud ædificium: neque externi ad illam religioſam habitationem, quæ tunc veluti quoddam monaſterium eſt: tunc enim non licebit Monialibus ad illud exterius egredi; neque ſæcularibus in ipſarum habitationem penetrare, quam ſuppono neceſſariis officinis, atque choro pro paruo illo numero inſtructam. Nam ſi nulla officia celebrent, aut alia munia religioſa obeant, ſed veluti in domo quadam externa commorentur, nulla tamdiu lege clauſuræ tenebuntur.

Hinc tertiò ſolues vulgarem illam difficultatem, an cùm in monaſteriis ædificium aliquod extruitur, aut reparatur, liceat in illud paſſim ingredi ad illud viſendum, maximè cùm pateat aditus ad lapides & cœmenta conuehenda. Nam ſi illud ædificium ita eſt intimum monaſterio, vt in eius aream paſſim conueniant Sanctimoniales, non licebit ſæcularibus in illud penetrare: ſi verò ſit in aliqua parte monaſterij à qua ſeiunctæ ſunt reliquæ habitationes, ita vt ad illud non itent Sanctimoniales: licebit in illud quidem externis ingredi; ſed Moniales ad illud ire non poterunt, vt luſtrantes ſæculares deducant: quia non eſt reuera monaſterium in fieri; ſed ipſæ ſunt iam ſuis clauſtris incluſæ, veteri ſuo monaſterio, cui vbi adiunctum fuerit nouum ædificium, laxabuntur ſpatia clauſuræ, quæ modò anguſtiora ſunt. Et redit argumentum ſuperius ſuperiùs factũ: vel hoc ædificium eſt intra clauſuram, atque ita non poteſt patere ſæcularibus; vel eſt extra clauſuram: ad illud igitur nequaquam poſſunt ſe conferre Moniales, quin è ſuis ſeptis & clauſura exeant. Secùs verò eſt, quando primum inſtituitur monaſterium, & nondum in illo ſepta & clauſtra, cancelli, aliáque ad clauſuram neceſſaria poſita ſunt: tunc enim non violatur clauſura, neque egrediendo, neque ingrediendo: quia reuera nulla adhuc poſita eſt: peccare tamen poſſent Sanctimoniales, ſi ex illo ſuo inchoato monaſterio, aut potius hoſpitio egreſſæ per vrbem vagarentur, aliéque diuerterent, ratione ſcan-

dali & offenſionis, quam darent, aut aliis eiuſmodi de cauſis.

4 Quartò denique villæ, ſiue grangiæ, vt loquuntur & hoſpitia, quæ ruri habent Moniales, non ſunt monaſteria, & omnibus patere poſſunt: & ſi aliqua ex cauſa ſiue iuſta ſiue iniuſta inibi morarentur Moniales, poſſent ex illis exire & in illis admittere ſæculares abſque violatione clauſuræ, quam vnam modò ſpectamus. Ita Tamburin. quæſit. 1. cit. ex aliis.

Cap. III.

Quænam Sanctimoniales clauſuræ præcepto obligentur.

1. QVIA clauſuræ obligatio non niſi ex præcepto eccleſiaſtico prouenit, vti diximus cap. 1. non enim agimus de iis Sanctimonialibus, quæ vel ex voto, vel ex ſua regula, etiam ſecluſa lege eccleſiaſtica vniuerſali, ſeſe ad clauſuram obſtringunt, cum ius vniuerſale, non priuatum ſingularum Religionum ſpectemus hoc loco, tum quia illud ferè nobis incompertum eſt, tum quia non ſpectat ad Doctorem ſe ad ſingulas perſonas, quæ illo tenentur, ipſum inquirere, vti ſæpiùs aliàs monuimus, fit, vt quia conſtitutiones Pontificiæ & Tridentini Decretum de clauſura videntur obſcuriùs loqui, & ſæpiùs verba legis plures pari ſolent difficultates, dubitari poſſit de perſonis, quæ hac lege teneantur.

§. I.

VNICA PROPOSITIO.

DIcendum verò eſt omnes, & ſingulas Sanctimoniales ſolemniter profeſſas in congregatione viuentes teneri clauſuræ legibus.

Expoſitio & confirmatio Propoſitionis.

2. HAnc vniuerſalē propoſitionem, cuius ſententia perſpicua eſt, aſſerunt magno conſenſu Doctores, quos proinde nominatim appellare nihil attinet. Et ſanè ita definiuit, tum Bonifac. in ſua conſtitutione, tum Tridentinum in ſuo decreto Bonifacij legem innouante, tum cæteri deinde Pontifices, maximè Pius V. & Gregor. XIII. in conſtitutionibus ſuperiùs adductis. Et primò quidem Bonifacius comprehendit: *Vniuerſas & ſingulas Moniales præſentes atque futuras, cuiuſcumque Religionis ſint, vel Ordinis, in quibuſlibet mundi partibus exiſtentes:* quas ſancit *ſub perpetua in ſuis monaſterijs debere de cætero permanere clauſura: ita quod nulli earum Religionem tacitè, vel expreſsè profeſſæ, ſit, vel eſſe valeat, quacumque ratione, vel cauſa, monaſteria ipſa deinceps egrediendi facultas.* Quibus ſanè verbis omnes Moniales comprehendit, nullàſque profeſſas excipit: quare cum nullam ſignificet exceptionem, nos illam addere non poſſumus: neque illas, quæ antea eam non vouerant, aut non ſeruabant, excipere, vti aliqui voluerunt. Nam Bonifacius, ſicut ex ipſomet contextu patet, maximè voluit ſua conſtitutione comprimere licentiam illarum, quæ clauſuram non ſeruabant: neque diſtinguit an illam ſeruare vi propriæ regulæ, aut voti tenerentur, quaſi ad illam ſeruandam compellat, innouétque ſolùm antiquam illam obligationem, ſed reuera nouam imponit, quod innuunt illa verba:

Præſentis

Præſenti conſtitutione perpetuò irrefragabiliter valitura ſancimus. Et ſanè ita intellexit Gloſſa in cap. *periculoſo*, verſ. *præſentes.* Idcirco enim quærit, quo iure potuerit Pontifex imponere Monialibus aſperiorem vitam illa, quam ducebant. Quod ipſum Ioan. Monachus, aliique Interpretes ibidem diſputant, cui quæſtioni nos ſuperiùs ſatisfacimus. Verùm illa foret omnino inutilis, & importuna hoc loco, ſi Bonifacius de iis duntaxat egiſſet, quæ clauſuram, ad quam aliunde ex Regula, aut voto obligabantur, non ſeruabant, & de illis, quæ in poſterum Religionem amplexuræ forent.

3. Eadem fuit Tridentini mens: ſuo enim Decreto cap. 5. ſeſſ. 25. de Regul. conſtitutionem Bonifacianam innouare ſe & confirmare fatetur, neque vllam addit limitationem, immò ſingillatim quæ obſcura erant, explicat: *Nemini*, inquit, *Sanctimonialium liceat poſt profeſſionem exire è monaſterio, etiam ad breue tempus quocumque prætextu*, &c. Vbi illud *ad breue tempus* addidit: quia licet in abſoluta negatione contineretur, poterat tamē quis cogitare Bonifaciū loqui de longa duntaxat mora extra monaſterium, eo quod minima non veniant in conſiderationem, maximè in ferendis pœnis. Quod verò ait Concilium: *Quocumque prætextu*: explicat quod dixerat Bonifacius: *Quacumque ratione.* Denique particula: *Nemini Sanctimonialium* æquiualet iis, quæ ſingillatim dixerat Bonifacius de præſentibus, & futuris in quacumque mundi parte exiſtentibus: & comprehendit omnia monaſteria: quia hanc clauſuram curari vult ab Epiſcopis in monaſteriis omnibus, tam quæ ipſis ſubiiciuntur, quàm quæ non ſubiiciuntur: Quæ diuiſio omnia prorſùs monaſteria complectitur. Et denique, ne quid poſſit excipi, addit Concilium: *Indultu quibuſcumque & priuilegiis non obſtantibus.* Quare licet ex priuilegio non tenerentur clauſura nonnullæ Moniales, nouâ Tridentini ſanctione obligabantur: caſſat enim & irritat eiuſmodi indulta & priuilegia Tridentinum: quod, ne vllum dubio locum relinqueret, vbi quæ ad inſtaurandam regularem diſciplinam pluribus capitibus explicuit, tandem cap. 22. hanc clauſulam iis omnibus apponit: *Hæc omnia & ſingula in ſuperioribus decretis contenta obſeruari ſancta Synodus præcipit in omnibus cœnobiis, ac monaſteriis, Collegiis ac domibus quorumcumque Monachorum, ac Regularium, necnon quarumcumque Sanctimonialium Virginum, ac viduarum, etiamſi illæ ſub gubernio militiarum etiam Hieroſolymitanæ viuant, & quocumque nomine appellentur, ſub quacumque Regula vel conſtitutionibus, & ſub cuſtodia, vel gubernatione, vel quauis ſubiectione, aut annexione, vel dependentia cuiuſcumque ordinis, mendicantium, vel non mendicantium, vel aliorum Regularium, Monachorum aut Canonicorum quorumcumque, non obſtantibus eorum omnium & ſingulorum priuilegiis, ſub quibuſcumque formulis verborum conceptis ac mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, necnon conſtitutionibus & regulis etiam iuratis, atque etiam conſuetudinibus, vel præſcriptionibus etiam immemorabilibus.* Atqui inter illa decreta quæ comprehendit capite iſto Synodus, fuit illud quintum de clauſura Monialium: igitur illud cum hac ampliatione, & clauſula intelligendum eſt; quandoquidem

hæc clauſula cadit in omnia & ſingula decreta, vt ait Synodus, ac proinde æquè intelligenda eſt, atque ſi ſingulis decretis immediatè & ſpecialiter ſubiecta fuiſſet, vti fuſiùs explicat Emman. Rodriq. tom. 1. qq. Regular. q. 44. art. 2. Nihil igitur aduerſus decretum de clauſura excipi poterit, neque conſuetudo, neque præſcriptio, neque fundationis tabulæ, neque priuilegia, aut indulta, niſi poſt Tridentinum obtenta ſint, illíque derogent, neque vitæ inſtitutum, aut ordo Regularis, modò Sanctimoniales tacitè, vel expreſsè in Religione illa profiteantur: quandoquidem Ordinũ militarium etiam S. Ioannis Ieroſolymitani, ſiue, vt hodie vocamus, Militenſium Concilium expreſsè meminit. Ideóque iure reiicit Nauar. comment. 4. Regular. numer. 44. & Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 15. num. 10. eos, qui profeſſas Ordinum militarium S. Iacobi, Calatrauæ & Alcantaræ eximebant à clauſula Regulari, cum Concilium militarium Ordinum Sanctimoniales comprehendat, atque etiam Pius V. in ſua conſtitutione, *Circa Paſtoralis*, expreſſiſſimis verbis, vbi etiam omnibus priuilegiis derogat, vti retulimus cap. 5. quam conſtitutionem, vti monuimus, ſua deinde confirmauit Gregor. XIII. Denique cum hæc quæſtio maximè circa antiquas Religioſas, quæ nondum clauſuram ſeruaſſent, agitata fuiſſet in Concilio Salmanticenſi, cui interfuerant tres nobiles Theologi, qui Concilio Tridentino quoque interfuerant, teſtati ſunt de mente Concilij eas omnes hoc decreto comprehendi: quod refert Emmanuel art. 2. citato.

4. Quàm ineptè verò adducunt aliqui verba illa tum Bonifacij, tum Pij V. *Si tacitè, vel expreſsè profeſſa ſint.* Nam non loquuntur Pontifices niſi de profeſſis Religionem, vt excludant Nouitias & alias non profeſſas; non autem de profeſſis clauſuram, vti legenti ſtatim patebit; potiori iure videbuntur afferri illa eiuſdem Tridentini verba, quibus præcipit clauſuram Sanctimonialium, vbi violata fuerit, diligenter reſtitui; & vbi inuiolata eſt, conſeruari. Supponit igitur fuiſſe obligationem ſeruandi clauſuram, quæ alioquin non poſſet dici violari, aut reſtitui. Quare vbi nulla fuit eius obligatio, neque proinde violatio, poni non præcipitur, ſed tantum vbi violata fuit, reſtitui, vbi fuit inuiolata, cuſtodiri: Aliæ verò Moniales, in quibus, neque violata, neque inuiolata fuit: & apud quas neque reſtitui, neque cuſtodiri dici poteſt, ſuo iure relinquuntur à Concilio.

Plurima reſpondet Rodriq. Sanch. verò num. 12. potius mentem, quàm verba Concilij attendendam eſſe monet. Suar. num. 14. non obſeruationem clauſuræ, nominari violationem à Tridentino: quia ex lege Bonifacij ad illam obligabantur omnes & ſingulæ Moniales, quæ idcirco reſtitui præcipitur. Verùm non videtur magna vis facienda in verbo reſtituendi, aut violandi: quia & non obſeruatio legis violatio dici poteſt: & reſtitui dicitur, quidquid de nouo inſtauratur, vti etiam docent Emanuel & Sànchez.

Maneat itaque Eccleſiaſticam legem obligare omnes, & ſingulas Sanctimoniales in Religione profeſſas, ad ſeruandam clauſuram, atque è ſuis monaſteriis, non egrediendum niſi ea ratione quæ in Tridentino, & Pontificiis conſtitutionibus præſcribitur.

§. II.

§. II.

Conſectaria ex doctrina Superiori.

CONSECTARIVM I.

An Conuerſæ Moniales obligentur lege clauſuræ?

5. Conuerſas hodie appellant, quæ vſibus domeſticis, & operibus ſunt deſtinatæ, cum aliæ choro deputentur, vnde dicuntur aliquando laicæ. Harum Conuerſarum duo genera ſunt: quædam enim contentæ ſunt ſimplici voto caſtitatis, & obedientiæ, neque ad profeſſionem ſolemnem admittuntur: aliæ verò reuera ſolemniter profitentur, licet habitu & ſchemate differant ab aliis, ſaltem velo, quod vbique album gerunt, & breuiores tunicas, vt ad opera expeditiores ſint: carent deinde pallio, alióve habitu in choro geſtari ſolito, cum ne quidem illi intereſſe debeant, niſi in loco à cæteris, quæ diuina officia celebrant, ſeparato: vilioribus miniſteriis occupantur, ſúntque tantum in ſubſidium quoddam, vt Moniales diuinis laudibus & orationi commodius vacẽt, & laboris, cuius incapaces ferè ſunt ob valetudinem, aut delicatiorem temperiem, oneribus liberentur. Denique neque ſuffragium in rebus definiendis, & in capitulis habent; cum quibus tamen omnibus ſtat earum ſolemnis profeſſio, veræque Religioſæ ſunt. De his & earum inſtitutione prima diſputauimus fuſius ſecunda parte noſtræ ſcientiæ canonicæ, vbi de perſonis Regularibus, quæ inter ſacras Eccleſiaſticas numerantur, ageremus, vbi plurima ex antiquis canonibus illuſtrauimus, quoad Conuerſarum nomen, de quo etiam aliquid dicemus inferius diſquiſit. 3.

Has igitur Conuerſas verè Religioſas & ſolemniter profeſſas teneri clauſuræ legibus dubitari nequit poſt conſtitutionem Pij V. *Circa Paſtoralis*, vbi indulget quidem Conuerſis profeſſis, quæ ad colligendas eleemoſynas deſtinantur, vt extra monaſterium in domibus contiguis degant, cùm his conditionibus, primò vt ſint annorum 40. ſecundò ne clauſuram Monialium ingrediantur, niſi in caſibus in ſuis conſtitutionibus expreſſis, & demum ne ad colligendas eleemoſynas exeant, niſi ex licentia Ordinarij, aut ſuperiorum ſuorum. Quæ indulgentia Pontificia ſatis innuit eas obligatas fuiſſe ad clauſuram vi decreti Tridentini & conſtitutionis Bonifacij, vt quid enim opus alioquin fuiſſet cum illis diſpenſare: Et ſanè cum veræ profeſſæ ſint, includuntur decreto generali obligante omnes profeſſas. Præterea Gregor. XIII. in conſtitutione *Deo ſacris* præcipit, vt vbi monaſterium ſine eiuſmodi collectione eleemoſynarum ſuſtentari poterit, eiuſmodi Conuerſæ ad clauſuram reducantur, & nullæ aliæ in poſterum, quæ extra monaſterium degant, recipiantur. Quæ omnia perſpicuè ſupponunt profeſſas, licet Conuerſas tantum, teneri clauſura, niſi quæ diſpenſatione Pontificia ad colligendas eleemoſynas permittuntur in domibus monaſterio contiguis habitare; Quas etiam nolunt Pontifices impunè vagari, & ſine licentia Superiorum eiuſmodi eleemoſynas quæritare; non tamen ipſis prohibetur, quin ad ſacra, aliáque quo-

 tidiana

tidiana negotia exeant domo, ſed ſolum ad mendicandum, vti obſeruauit Sanchez cap.15. citat. num.55. ex Nauarr. qui bene addunt quod monuimus, cap. *Superiori*; eiuſmodi domus non eſſe regulares, num. autem 54. refert Sanchez Decretum Cardinalium, ne iſtæ Conuerſæ pernoctent extra oppida, in quibus habent monaſteria; ne plures ſint quàm octo, & binæ mittantur, neque ſeparentur, & vt ſimul dormiant.

6. Grauis tamen exiſtit difficultas circa conſtitutiones iſtas Pij V. & Gregorij XIII. quæ videntur inuicem opponi: cum tamen Gregorius fateatur ſe & confirmare Pij conſtitutionem, & eius mentem declarare: ait verò Pius: *De cætero nullas alias Conuerſas profeſſas recipi amplius etiam de conſenſu ſuorum ſuperiorum poſſe.* Et omnem illarum deinceps receptionem inanem & irritam facit. Gregorius verò in conſtitutione *Deo ſacris*, duo ſtatuit: Primum, vt Conuerſas non profeſſas & profiteri nolentes, dimiſſo habitu, domum remittant, nec aliàs in futurum, niſi profeſſionem ſint ſuo tempore emiſſuræ, atque ſub perpetua clauſura manſuræ in monaſterio huiuſmodi recipi permittantur. Quibus verbis videtur omnino Gregorius Conuerſas profeſſas intra monaſterium admittere, quod negabat Pius V. immò ſecum ipſe pugnabit Gregorius; ſic enim habet: *Quod autem idem Pius ſtatuit de cætero nullas alias Conuerſas profeſſas recipi poſſe, ita intelligendum declaramus præter illas Conuerſas, quæ extra monaſterium in domibus contiguis degerent.* Igitur Conuerſas profeſſas intra monaſterium admitti prohibet Gregorius, quod iam ante conceſſerat. Secundò ſtatuit Gregorius, vt vbi fuerit ſufficienter prouiſum ſuſtentationi Monialium, mediis illis, quæ ibidem deſignat, neque opus fuerit ampliùs corrogatione eleemoſynarum, Conuerſas profeſſas cum aliis in monaſterium reducant; non profeſſas verò niſi profiteri velint, domum dimiſſo habitu remittant.

Nauarrus itaque comment. 4. de Regularib. num.56. exiſtimauit non licere ampliùs Conuerſas profeſſas admittere, quod cum ipſi omnino durum videretur, conſuluit ipſemet Gregorium, qui reſpondit mentem Pij V. fuiſſe eam ipſam, quam verba ferunt, nempe ne vllæ deinceps Conuerſæ reciperentur, neque ſe ab ea diſcedere voluiſſe, ſed declarare duntaxat illam, *non procedere in Conuerſis neceſſarijs ad quæſtum eleemoſynarum, quæ extra monaſterium in domibus contiguis maneant.* Itaque Sanchez fatetur cap.15. num.59. *Si ſtandum ſit literæ rigori*, nullas Moniales conuerſas recipi poſſe, ſed conſuetudine fuiſſe derogatum, quæ conſuetudo omnino rationabilis eſt, propter cauſas à Nauar. allatas: quia & ferè neceſſariæ ſunt monaſteriis, & via alioquin præcluditur pluribus honeſtis fœminis, quibus tenuior res eſt, Religionem profitendi, & nihil planè officiunt clauſuræ, quam vnam attendunt Pontifices in ſuis conſtitutionibus, quandoquidem illa obligantur. Roderiq. verò tom.1. qq. regular. quæſt.44. art.4. exiſtimat Pontifices iſtos ſolum prohibuiſſe admittere illas profeſſas, quas vulgò *Donadas* appellant, quæ ſolùm emittunt vota caſtitatis & obedientiæ. Itáque viros doctos ſuæ Religionis reſpondiſſe: quæ reſponſio placuit pluribus aliis recentioribus, vt Peirin. in conſtit.6. Pij V. §.6. num.17. Quod tamen cum ipſis Gregorij & Pij

Pij verbis pugnare dicit Sanchez Suar. verò tract. 8. de Relig. lib. 1. cap. 8. num. 21. vtrunque Pontificem agere exiſtimat de ſolis Cōuerſis extra monaſterium degentibus & profeſſis, quas deinceps recipi prohibent. Nullas etiam vult Greg. Conuerſas intra monaſterium eſſe, quæ non profiteantur & clauſura teneantur. Extra monaſterium verò quandiu neceſſitas quærendi ſtipem poſtulabit, poſſint eiuſmodi Conuerſæ profeſſæ in domibus contiguis degere, & ne plures quàm neceſſariæ ſint, admittantur; cum tamen id Pius V. videretur prohibuiſſe: Et ne collectio eleemoſynarum fieret per Conuerſas deinceps ad profeſſionem recipiendas, ſed per alias pias perſonas, & Deo deuotas: quod tamen permiſit Gregorius, & ea ex parte Pij conſtitutionem ampliauit, & denique illi Pontifices nihil definiunt, an Moniales poſſint habere aliquas Conuerſas oblatas non profeſſas, quæ in domibus propinquis monaſterio degant: itaque illud communi iuri, aut priuato cuiuſque Religionis, aut conſuetudini relinquendum erit, modò ipſam clauſuram Monialium non ingrediantur: qua de re dicam cap. 7.

CONSECTARIVM II

An Sanctimoniales tertiariæ legibus clauſuræ obligentur?

7. TErtiariæ dicuntur, quæ tertium ordinem amplectuntur, & non modò in ordine S. Franciſci, ſed in aliis quoque mendicantibus, atque etiam militaribus reperiuntur, de quibus fuſiùs à nobis 2. part. de ſcientia Canonica fuit diſputatum. Eæ verò ſunt duplicis generis: quædam enim in congregatione communi viuunt, & tria vota ſubſtantialia Religionis emittunt, ac proinde veræ Religioſæ ſunt & profeſſæ: aliæ verò in domibus propriis degunt, cum certo tamen habitu & regulis, neque profeſſæ, aut Religioſæ ſunt, quamuis pluribus gaudeant priuilegiis, de quibus eo loco diximus aliquid. Atque huius generis Tertiarias, non obligari clauſura certum eſt, cum neque in congregatione & domo regulari viuant, neque Religioſæ & profeſſæ ſint; quas tamen ſolas conſtitutiones Bonifacij & Tridentini ad clauſuram obligant. Tertiarias verò, quæ in congregatione viuunt, & tribus ſolemnibus votis ligantur, non teneri ad clauſuram in ordine S. Franciſci, ſcripſit Corduba in annotationibus ad Collectorem priuilegiorum mendicantium, verb. clauſura Monialium notab. 1. quia ipſarum regula à Leone X. poſt cap. *periculoſ.* approbata, indulſit hanc veniam: Verùm cum Tridentinum & Pius V. omnibus eiuſmodi priuilegiis, vti ſæpiùs diximus, derogauerint, tùm has Tertiarias S. Franciſci, tum aliorum omnium ordinum clauſura teneri, dicendum omnino eſt, cum id apertè definiat Pius V. itáque Nauar. Rodriq. aliíque omnes vnanimi conſenſu docent.

CONSECTARIVM III.

An Conuertitæ & Pœnitentes clauſura teneantur?

EAdem hoc loco diſtinctione, quam in duobus proximis conſectariis adhibuimus, vtendum eſt. 8.
Nam ſi hæ pœnitentes profiteantur, vti poſſunt, tenentur clauſura; ſi verò

verò non profiteâtur, non tenebuntur vi conſtitutionis Pontificiæ, aut iure Tridentini, ſed ex propriis Regulis, aut peculiari præcepto. Nam etiam ante Tridentinum conſtitutio Clement. V I I. quam refert Paul. I I I. in ſua conſtitutione *Prouiſionis noſtræ*, anno Chriſti 1537. 8. Kalend. Maij Pontific. an. 3. iubet B. Mariæ Magdalenæ Moniales de pœnitentia nuncupatas ſub perpetua & ſtrictiſſima clauſura viuere; ita vt ne Cardinales quidem illam violare præſumerent, & à colloquio, voce, & ſcriptis etiam affinium & parentum, niſi per craticulam ferream, ac præſentibus Abbatiſſa & duabus antiquioribus & grauioribus monaſterij Monialibus abſtinere. Quæ verò in monaſterium adulterij, aut alterius flagitij vitandi, vel expiandi cauſa recluduntur, de quibus alibi fuſiùs, non magis clauſura tenentur, quàm rei carcere.

Consectarium IV.

An Canonicæ ſæculares teneantur ſeruare clauſuram.

9. AGo de ſæcularibus iſtis Canonicis: nam quæ Regulares ſunt, cum verè profiteantur, & Religioſæ exiſtant, omnino ex iure communi obligabuntur clauſura; immò plures Canones, quos cap. 1. & 2. ex variis Conciliis Gallicanis retulimus circa clauſuram & monaſteria Sanctimonialium, de Canonicis agunt, quas à Monachis omninò diſtingunt.

Aliæ verò ſunt Canonicæ, quæ dicuntur *ſæculares*, quia inſtar Canonicorum ſæcularium viuunt: & licet in eadem domo habitent, eodem veſtitu vtantur, in idem Oratorium conueniant, & ſimul diuinas laudes cantent, atque ſint eidem Præpoſitæ vel Abbatiſſæ ſubiectæ; non tamen propriis renunciant, & profeſſionem non emittunt, ſed viuunt vt in Eccleſiis hi Canonici ſæculares: ideò & ipſæ nominantur Canonicæ ſæculares. Harum meminit Clemens V. in Clement. *Attendentes de ſtatu Monachorum*, & ab Ordinariis viſitari præcipit. Et Bonifacius V I I I. cap. *Indemnitatibus* §. *ſuprà dicta de electión. in 6.* Vult ea omnia, quæ de electionibus ſtatuit, valere non ſolùm in monaſteriis, in quibus Moniales viuunt ſub aliqua de Religionib. approbatis; ſed etiam in illis, in quibus ſunt iuxta quarumdam prouinciarum conſuetudinem mulieres, *Quæ nec propriis renunciant, nec faciunt profeſſionem regularem, ſed viuunt vt in ſæcularibus Eccleſiis Canonici:* Neuter tamen Pontifex hunc viuendi ſtatum, aut regulam approbare ſe dicit. Verum neque illum etiam improbat. Quare malè omninò Gloſſa tum in cap. *Indemnitatibus* citat. tum in cap. vlt. 12. quæſt. 5. exiſtimat hoc inſtitutum damnari cap. *pernicioſam* 18. quæſt. 2. quod deſumptum eſt ex Concil. Romano cap. 26. & 27. vbi pernicioſam & deteſtabilem vocat eam conſuetudinem mulierum, quæ cum non viuant ſecundum Regulam aut Benedicti, aut Baſilij, aut Auguſtini; Sanctimoniales tamen haberi volunt, & neque in Cœnobiis in communi dormitorio & refectorio viuunt; ſed priuata habent domicilia, in quibus ſub velamine hoſpitalitatis paſſim hoſpites minus Religioſos contra ſacros Canones ſuſcipere non erubeſcunt. Quare hoc vitæ genus, & vt loquitur inhoneſtum, deteſtandúmque flagitium abolere mandat Concilium, & qui

ipſi præerat Innocent. II. atque ſub pœna anathematis interdicit. Verùm quis dicat eo loco agi de his Canonicis ſæcularibus, quas damnare, neque improbare deinde voluerunt Bonifacius VIII. & Clemens VII. quod profectò feciſſent, neque tuliſſent amplius eam vitæ rationem & conſuetudinem, quam pernicioſam & deteſtabilem, inhoneſtum, deteſtandúmque flagitium dixiſſet Innocentius & abolitam voluiſſet, vnà cum Concil. Romano mille Epiſcoporum? Et cum ea maximè vigerêt in Gallia & Teuthonia, an amabo de ea ſiluiſſet Innocentius, cum in Galliam confugit, & Remis Concilium aduerſus ſchiſma Petri Leonis anno 1131. celebrauit? Cur tandiu pernicioſa & deteſtabilis eiuſmodi Canonicarum ratio tolerata fuit in Eccleſia, quandoquidem eadem Gloſſa 12. quæſt. 5. cap. vlt. exiſtimat in illo agi de his Sanctimonialibus, quod Gratian. ibi, Burchard. & Iuo recitant ex Concilio Triburienſi? Quod ſi demus, quamuis in eo quod extat, non reperiatur, habemus harum Canonicarum antiquiſſimam originem, quandoquidem hoc Concilium Arnulpho Rege celebratum fuit teſte Baronio an. 895. Quod has Sanctimoniales, quas Gloſſa Canonicas, vt dixi, interpretatur, approbauit, illarúmque hæreditatem, ſi inteſtatæ & ſine heredibus & cognatione deceſſerint, ad Eccleſiam peruenire vult. Et mirum profectò fuerit eiuſmodi vitæ rationem per centum ferè quinquaginta annos vſque ad Concil. Roman. ab Innocentio II. an. 1139. coactum, nullo reclamante Pontifice, *Si pernicioſa & deteſtabilis erat*, vti teſtatur Concilium, in Eccleſia perſeueraſſe: quamquam, ne quid diſſimulem, non exiſtimo Concilium Triburienſe, ſi eius eſt ille Canon à Gratiano & Iuone, ac Burchardo relatus de his Canonicis egiſſe; ſed de Diaconiſſis, de quibus idem omnino edicit Nouella 131. & quas Concilium nomine communi Sanctimonialium ſignificauit; vult enim, vt hereditates perſonarum gradus alicuius Eccleſiaſtici, ſi inteſtatæ & ſine cognatione deceſſerint, ad Eccleſiam, vbi quis deſeruiuit, deuoluantur: *Similiter*, inquit, *de Sanctimonialibus* agit. Igitur de Sanctimonialibus, quæ vni alicui Eccleſiæ deſeruiebant, cuiuſmodi erant Diaconiſſæ, de quibus idem ſtatuit Iuſtinian. ſed quidquid ſit de huius canonis mente, qui magis nobis fauebit, ſi de noſtris Canonicis agat, vti exiſtimat Gloſſa, quæro quomodo iſta viuendi ratio poſtquam à celeberrimo & frequentiſſimo mille Epiſcoporum Concilio damnata, atque abolita fuit, perſeuerauerit nihilominus, neque à conſequentibus Pontificibus, aut Synodis ſublata fuerit, & duo ſanctiſſimi, atque in rebus Eccleſiaſticis erudiriſſimi Pontifices Bonifacius VIII. & Clemens VII. eam non modò non proſcripſerint, ſed laudarint & perſtare in Eccleſia voluerint: Quamuis enim non approbent illum ſtatum, aut Ordinem tanquam Religioſum, & Ordinem Eccleſiaſticum; probant tamen illum tanquam licitum, pium & bonum: hæc enim duo valde differunt, vt ait Nauar. lib. 3. conſil. de ſtatu Monachor. conſil. 6. num. 11. iuxta Gloſſam receptam in Clement. cum ex eo de ſentent. excommun. & in Clement. 1. de Religioſis domibus. Probari verò hunc modum viuendi tanquam licitum quis neget, quandoquidem Bonifacius vult ea, quæ de electionibus ſtatuerat, in

eiuſmodi cœtibus ſeruari, & Clemens VII. vult eas ab ordinariis viſitari, vel propria authoritate; vel ſi ab ea exemptæ, & immunes forét, authoritate Sedis apoſtolicæ, cui immediatè aliqui eiuſmodi cœtus ſubiiciebantur. Quis verò ſibi perſuadeat, ſi olim in Concilio œcumenico tam acribus verbis damnati fuiſſent, illos in patrocinio Sedis apoſtolicæ, atque à iuriſdictione & cura Ordinariorum exemptione, vt liberiùs peccarent, perſeueraſſe? Deinde ipſamet Gloſſa in cap. *Dilecta*, de maioritate & obedientia, quod eſt Honorij III. vbi agitur de querela cuiuſdam Abbatiſſæ aduerſus ſuas Canonicas, vel Clericos, qui quoties ab illa ſuſpenſi fuerant ab officio & beneficio, eiuſmodi ſuſpenſionem non obſeruabant: has Canonicas interpretatur, *ſecundum conſuetudinem Theut.* inquit, *vbi ſunt Canonicæ ſeculares, quæ nullam faciunt profeſſionem, aut renunciant proprijs; immò quandoque contrahunt matrimonium.* Cur igitur Honorius eiuſmodi conſuetudinem iam à centum ferè annis damnatam, vt deteſtabilem à ſuo deceſſore Innocentio II. & ab vniuerſali Concilio non exſcindit? Cur tantum eius Abbatiſſæ querelis defert? Cur *Canonicas* illas, *& Clericos obedientiam & reuerentiam debitam præfatæ Abbatiſſæ impendere vult, eiúſque ſalubria monita & mandata obſeruare.* Mandátque Abbati S. Michaëlis Abrudenſis Diœceſis, vt ad hæc omnia ſeruanda illos cenſuris eccleſiaſticis compellat.

10. Dicendum igitur eſt in illo Concil. Romano nón damnari ab Innocentio II. harum Canonicarum inſtitutum; ſed aliarum Sanctimonialium, quæ cum ſe Religioſas dicerent, nullam tamen Religionis regulam ſeruarent, & viros pietatis prætextu hoſpitio exciperent, *contra ſacros Canones & bonos mores*; fuerant igitur iam olim damnata hæc conſortia & flagitia: quare ſuſpicor agi à Concilio illo de iis fœminis, quas ſorores adoptiuas Latini, Græci Agapetas & συνεισάκτους: ſubintroductas dicerent. Erant illæ Virgines ſacræ, quæ pietatis prætextu, apud Clericos, alióſque pios viros, quibus ſpirituali amore coniunctas ſe eſſe iactabant, non ſine offenſione habitabant, ab illíſque educabantur, à quo tum amore, tum eleemoſyna, & ſuſtentatione, quam etiam dixere Agapem, nominatæ ſunt Agapetæ. In hos mores acriter inuehitur Chryſoſtomus duobus tractatibus tom. 5. de cohabitatione fœminarum Regularium, & illum abuſum tandem à Clero Conſtantinopolitano proſcripſit, vt Palladius in eius vita teſtatur; neque mollior fuit Hieronymus in agitanda hac, vt nominat, peſte, Epiſt. 2. ad Euſtoch. quæſt. 22. *Pudet dicere, proh nefas triſte! ſed verum eſt: vnde in Eccleſias Agapetarum peſtis introijt? Vnde ſine nuptijs aliud nomen vxorum? Immò vnde nouum concubinarum genus? Plus inferam: vnde meretrices vniuiræ, eadem domo, vno cubiculo, ſæpe vno tenentur & lectulo? Et ſuſpicioſos nos vocant, ſi aliquid exiſtimemus. Frater ſororem virginem deſerit, cœlibem ſpernit virgo germanum, fratrem quærit extraneum: & cum in eodem propoſito eſſe ſe ſimulent, quærunt alienorum ſpirituale ſolatium, vt domi habeant carnale commercium.* Et in Epiſt. 47. tota. Prohibuerat iam olim Concilium Ancyran. can. 19. has ſorores. *Virgines*, inquit, ex verſione Dionyſij Exigui *quæ conuenerint cum aliquibus, tanquam ſorores habitare*

habitare prohibemus. Vbi Balſamon ſapienter obſeruat has virgines non fuiſſe quidem Monachas, nihilominus virginitatem profeſſas fuiſſe. Eiuſmodi igitur ſororum & Agapetarum genus damnauit Innocentius II. in Concilio Romano. Cùm enim virgines ſacræ, & Sanctimoniales videri velint; tamen neque vllam Regulam ſeruant, neque in cœnobiis communiter, vti deberent, viuunt; *Sed priuata habent domicilia in quibus hoſpitalitatis prætextu hoſpites minus Religioſos contra ſacros Canones recipiunt.* Canonicæ verò ſæculares neque Virgines ſacræ haberi volunt, cum & ad nuptias inde ſæpiùs euocentur, neque Deo conſecratæ ſunt, & idcirco ſæculares dicuntur: viuunt tamen in communi domo, & ſub vnius Præpoſitæ cura, neque priuata habent domicilia, in quibus hoſpitij cauſa viros excipiant. Illas igitur non damnat Romanum Concilium, neque de illis agit, vt falsò exiſtimauit Gloſſa, cuius in antiquis canonibus explicandis ex rerum geſtarum, & veteris hiſtoriæ ignoratione frequentes lapſus ſæpiùs in noſtra ſcientia Canonica notare cogimur. Fallitur quoque Tamburin. de iure Abbatiſſar. diſp.7. quæſt.4. exiſtimans Concil. Rhemenſe ſub Eugenio III. can. 3. de his Canonicis egiſſe, earúmque vitam, vt ipſe ait, reformaſſe. Nam agit de Canonicis regularibus, quibus iubet Præbendas relinquere, & alia propria, communi dormitorio & refectorio eſſe contentas, & in clauſtro aſſiduè permanere, B. Auguſtini, aut Benedicti regulam ſequi, quæ non conueniunt noſtris Canonicis ſæcularibus, quæ vti referebamus, ex Bonifacio, Clemente, & Gloſſa, proprio non renunciant, & nullam profeſſionem faciunt; ac proinde nullam regulam religioſam ſequi tenentur, vti vides.

Harum Canonicarum ſæcularium nobiliſſimi cœtus, hodiéque florent in Gallia, Belgio & Germania, in quibus Abbatiſſa quidem & Sacriſta, aut œconoma, & aliæ quædam adminiſtrationi domus deſtinatæ profeſſionem emittunt. Sed hæ vix tres ſunt in quolibet eiuſmodi monaſterio; aliæ verò virgines nobiles ferè educantur ab illis: & deinde ſi volunt, nubunt: diuinas tamen laudes quandiu inibi degunt, iñ choro recitant: præbendas ſibi deſtinatas habent, & ſumptibus monaſterij aluntur: certò vtuntur habitu in choro, ſed non regulari extra chorum.

Has igitur Canonicas clauſuræ legibus minimè teneri cenſuit Azorius tom. 1. lib. 13. cap.9. quæſt.5. Sapienter omnino, vt quæ non profiteantur Religionem per vota ſolemnia & ſubſtantialia Religionis: Pontifices autem & Tridentinum obligent duntaxat tacitè, vel expreſſè profeſſas. Itaque ad clauſuram cogi minimè poſſunt, niſi ad illam, quam ipſarum inſtitutio, & priuata viuendi ratio poſtulat, ne ſine licentia Præpoſitæ egrediantur, eáque ratione & comitatu, quem illa præſcripſerit. Quod idem dico de ingreſſu virorum in illarum monaſteria, qui exigi omnino debet ad ipſarum conſtitutiones; cum de illis non agant Pontifices in ſuis conſtitutionibus de clauſura.

Maior videtur difficultas circa Abbatiſſam ſiue Præpoſitam quocumque tandem nomine vocetur, & alias paucas, quæ profeſſionem emittunt, an illæ teneantur clauſura. Diximus enim in noſtra propoſitione vniuerſali omnes profeſſas,

quæ ſaltem in monaſteriis & congregatione viuunt, illius legibus obſtringi. Quamuis autem hac de re nihil diſputatum occurrerit à Doctoribus: exiſtimarem ego non obligandas eſſe ad clauſuram: quia reuera non manét in monaſterio & congregatione regulari, & eodem planè modo ſe habent, atque ſi in ſuis domibus profeſſæ fuiſſent more antiquo, & ſibi virgines aliquas inſtituendas aſſiſcerent, ſimúlque cum illis habitarent: illæ enim minimè, vt dicam ſtatim, obſtringerentur clauſuræ diſciplina; neque video, quid eo caſu inter illas & iſtas profeſſas diſcriminis foret. Iſtæ enim profeſſionem quidem ſolemnẽ emittunt, ſed præficiuntur vel tanquam ſuperiorillæ, vel tanquam miniſtræ virginum nobilium & omnino ſæcularium ſeminario regendo, inſtituendóque, tum ad pietatem, tum ad alia omnia, quæ nobiles virgines, ſiue deinde ſeſe Deo conſecrent, ſiue nubant, decent. Et ſanè eiuſmodi virginum gynecæa apud Hebræos, aliáſque gentes alibi vſurpata fuiſſe monebimus inferiùs. Cum igitur iſtæ profeſſæ non maneant in Religioſa domo, ſed præſint gynecæo, aut parthenoni omninò ſæculari, non obligantur clauſura, quæ profeſſas in regulari congregatione viuentes duntaxat obſtringit, vt iterum ſtatim monebo.

Consectarium V.

An obligentur Oblatæ ad Clauſuram, licet collegialiter viuant?

11. OBlatas, quæ in monaſteriis quibus ſe, ſuáque dicarunt, deſeruiunt, non eſſe religioſas, neque profeſſas ſuperiùs diximus: certúmque omnibus eſt, atque adeo non teneri illas clauſuræ præcepto æquè omnes conſentiunt: quod amplius confirmabitur ex iis, quæ dicemus de Oblatis, quæ in communi aliqua congregatione collegialiter & conuentualiter viuunt, habéntque commune Oratorium, Refectorium, viuendi & veſtiendi modum eumdem, vnámque Prælatam, quam eligunt, & cui perpetuam promittunt obedientiam, & ſtabilitatem in illo viuendi modo. Vnde de iis dubitari iure poteſt, an teneantur clauſura: quia hic viuẽdi modus à ſanctiſſima Sede approbatus videtur omninò Religioſus; & illa perpetua ſui, ſuorúmque donatio ac traditio in eiuſmodi congregatione approbata, & ab habente poteſtatem admiſſa, per quam fit incorporatio cuiuſque in congregatione, plena & perfecta eſt, quæ proinde æquipollet profeſſioni, maximè ſi iurata ſit, vti tradunt Panormitan. in cap. vt priuilegia de priuilegiis, & Felinus in cap. in præſentia. De probationib. col. 3.

Dicendum nihilominus eſt cum Nauar. lib. 3. conſil. de ſtatu Monach. conſil. 6. Graffis lib. 4. primæ partis deciſ. cap. 23. numer. 17. Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 15. numer. 15. Rodriquez tom. 1. qq. Regul. quæſt. 44. art. vlt. ſub fin. Victorell. de origine & clauſura Monial. §. Quibus Sanctimonialium. Tamburin. de iure Abbatiſſ. diſput. 18. quæſt. 5. & aliis communiter. Has oblatas non obligari clauſura, quia ex noſtra propoſitione, eáque certiſſima, ſolæ Religioſæ tacitè, vel expreſsè profeſſæ in monaſteriis & congregatione obligantur clauſura, vti habet disertè lex ipſam imperans: atqui iſtæ Oblatæ licet collegialiter & conuentualiter viuant

viuãt modo ſuperiùs explicato, & à Sede Apoſtolica approbato, & ſint alicuius Ordinis Oblatæ; non tamen ſunt illius, aut alterius Ordinis Religioſæ & verè profeſſæ. Non igitur comprehendũtur lege generali clauſuræ: quia nulla lex, aut diſpoſitio comprehendit eum, cui verba eius non aptantur; iuxta cap. Indemnitatibus. §. penult. de electionib. in 6. & l. 4. §. toties. ff. de damno infecto, vbi Paulus & Bartholus & latiſſimè Felin. in cap. nonnulli de reſcriptis col. 31. atqui verba legis vniuerſalis indicentis clauſuram Sanctimonialibus tacitè vel expreſsè profeſſis non aptantur Oblatis, ſi profeſſæ non ſunt, vti vides: ergo eas non comprehendunt. Quare tota controuerſia in eo verſatur, vt oſtendamus eiuſmodi Oblatas etiam conuentualiter viuẽtes non eſſe profeſſas; quod facilè fiet ex diſcrimine quod inter Donatum, ſiue Oblatum & profeſſum cõſtituunt Doctores ex Clem. I. de decimis, & Gloſſa ibi verſ. Oblatos, vbi Oblati vel Donati diſtinguuntur à Religioſis. Vnde fit, vt matrimonium ab Oblato contractum valeat, quod de conuerſo non profeſſo affirmat Gloſſa in cap. vt lex continentiæ. 27. quæſt. 1. Ipſéque Innocentius II. in Concil. Romano cap. 7. vnde deſumptum eſt illud caput. Atqui per Conuerſos non profeſſos Gloſſa intelligit Oblatos; quãdoquidem in Clement. iam citata remittit ſe ad Gloſſam, Vt lex continentiæ: Et ſanè Panormitan. in cap. in præſentia, de probationib. notabili 4. & in cap. vltim. de ſucceſſ. ab inteſtat. ait eum, qui ſe & ſua donauit monaſterio, non effici eo ipſo Monachum: Vnde colligunt vlterius Doctores Monachum, conuerſum & oblatum inter ſe differre ex Clement. 1. citata de decimis cum Gloſſa, & cap. Vt lex continentiæ cum Gloſſa, Dominico, & Franc. in cap. ex eo §. 1. de electionib. & cap. per exemptionem de priuilegiis quia Monachus eſt, qui profitetur regulam & ſeruit in choro: Conuerſus, qui profitetur, vt ſeruiat extra chorum: Oblatus, qui ſe ſuáque donat monaſterio; ſed neque profitetur regulam, neque ſuſcipit habitum Ordinis ſaltem neceſſariò. Nam vt ait Felin. in cap. in præſentia de probationib. num. 4. aliquando illum portant quidam Oblati, qui licet ſe, ſuáque omnia donent monaſterio; non fiunt tamen Monachi, aut profeſſi, quod etiam tradit Calderinus titul. de Regularib. conſil. vlt. vbi variis modis offerendi ſe ſuáque monaſterio enumeratis, ait per nullum fieri profeſſionem, niſi voueat obedientiam monachalem: quod ſentit etiam Felin. Caldetin. referẽs & tradidit Innocent. in cap. conſuluit. Qui Clerici vel vouentes, & Archidiac in cap. vt lex. 27. quæſt. 1. Obedientiam verò monachalem appellant, quæ fit alicui habenti poteſtatem ſuſcipiendi profeſſionem regularem, & inſerendi, ſiue vt loquuntur incorporandi Religioni approbatæ ad ſeruandam illius Religionis regulam, atque hæc obedientia Monachalis dicitur alia vota continere & profeſſionem ſolemnem; non autem alia qualibet etiam ſi fiat Prælato congregationis approbatæ quidem, ſed non Religionis. Quod verò dicebatur à Panormitano & Felino oblationem plenam & perpetuam æquiualere profeſſioni, intelligendum eſt ſecundum quid, & quoad aliqua priuilegia, vt ad audienda diuina officia tempore interdicti, vt dicitur cap. vt priuilegia de priuile-

giis; vt iſtorum oblatorum animalia gaudeāt priuilegio animalium ipſius monaſterij, quod traditur Clem. 1. de decimis; & in ſepultura, quam habent in Eccleſia, in qua ſunt oblati, non habetur conſideratio quartæ Canonicæ, quod docet Abb. in c. in noſtra, de ſepult. & Petrus de Peruſ. in tract. de Canonica Epiſcopali, verſ. venio ad quartum, & in aliis ſimilibus priuilegiis. At verò in odioſis non comprehenduntur oblati nomine Monachorum: quia tunc reſtringenda ſunt verba, & accipienda vti ſonant. Qua de cauſa pronunciauit in vniuerſum Abbas in cap. ad noſtram, de appellationib. conſtitutiones odioſas, aut pœnales diſponentes de Regularibus non extendi ad eos, qui non profitentur tria vota ſubſtantialia, etiamſi ſeruent modum aliquem viuendi à Sede Apoſtolica approbatum.

12. Ex quibus omnibus tandem concludit Nauar. conſil. 6. nuper cit. & alij ibidem adducti, nobiliſſimas Sanctimoniales Romæ Turris ſpeculorum, & à S. Franciſca inſtitutas, cum verè Monachæ & Religioſæ, non ſint, ſed oblatæ S. Benedicti, non teneri ad clauſuram. Et conſil. 7. addit neque obligari conſtitutione Gregorij XIII. iubentis Abbatiſſas & Prioriſſas triennales eſſe; ſed poſſe Præſidentem, vti ipſæ nominant, ſibi perpetuam ſolemni ſuo more eligere; quia ea conſtitutio agit de Præpoſita normam & diſciplinam regularem ſeruantium. Quare cum aliunde perpetuitas Prælaturæ conuenientior ſit, quàm diſtinctum aliquod tempus, vt ibid. oſtendit Nauar. num. 8. & fuſiùs comment. 3. de Regularib. & non obligentur lege Gregor. ſolemnem ſuum morem tenere & poſſunt & debent.

CONSECTARIVM VI.

An Beguinæ teneantur clauſura.

Obſeruandum in primis duo fuiſſe Beguinarum genera: aliæ enim Inſtitutricem, vti exiſtimabant plurimi, Margaretam Porretam habuerunt: quæ Pariſiis an. 1310. hæreſis conuicta quam retractare noluerat, flammis punita fuerat, damnatæ ſunt illæ à Clemente V. in Concilio Viennenſi vnà cum Beguardis propter ipſorum errores, & eiuſmodi *Beguinagij* ſtatus prorſus abolitus fuit, & ſub pœna excommunicationis imperatum iis, quæ illum ſectabantur, ipſum relinquere, prohibitúmque, ne quæ mulier ipſum deinceps aſſumeret. 13.

Aliæ verò Beguinæ, ſiue à S. Begga Pipini primi Brabantiæ Ducis filia, & S. Gertrudis ſorore; ſiue à Lamberto Begho pio Leodienſi Sacerdote, qui an. 1170. floruerat; ſiue aliunde nominatæ fuerint, piis moribus & inſtitutis hactenus floruerunt, quod teſtatur Ioannes Vigeſimus ſecundus in Extrauag. *Ratio recta* de Religioſis domibus, in Extrauag. communib. vbi illas tuetur contra calumniam illorum, qui ipſas Clement. & Concilij Viennenſ. ſententia damnatas mentiebantur. Et ſanè tum ipſe Ioannes, tum alij deinceps Pontifices varia illis iura indulſerunt ſuis diplomatibus, quæ congeſſit Marinus Ebolaus, qui Innocentio IV. Pontifice ſcripſit in formulario literarum Apoſtolicarum, quod extare in Bibliotheca Vaticana, & Collegij Fuxenſis Tholoſæ, teſtatur Spondanus an. Chriſti 1311. num. 9. Hic ſtatus Beguinarum perſeuerauit, florétque adhuc in Belgio: quod

quod fusè oſtendit Petrus Conſcius, in diſquiſitione de origine Beguinarum edita an. 1629. harum inſtitutum diſces ex Extrauag. Ioan. Vigeſimi ſecundi iam citata, ex qua etiam certum eſt illas non eſſe Religioſas, *Cùm neque proprÿs renuncient, neque profiteantur aliquam regulam approbatam: certum tamen habitum Beguinarum dictum detulerint, & quibuſdam Religioſis adhæſerint.* Et denique licet Ioannes illas tueatur aduerſus calumniatores; eas tamen minimè approbat, tanquam Religioſas nimirum. *Cæterum*, inquit, *ſtatum Beguinarum einſmodi quas eſſe permittimus, nullatenus ex præmiſſis intendimus approbare.* Ex quibus neceſſariò ſequitur neque clauſuræ legibus illas teneri, cum illæ ſolas Religioſas profeſſas in congregatione viuentes obſtringant, vti fuit oſtenſum.

CONSECTARIVM VII.

An quæ in congregatione approbata viuunt, teneantur clauſura.

14. HVius conſectarij definitio continetur in Superiori: Si enim non profiteantur Religionem aliquam approbatam, quamuis pium & religioſum viuendi modum ſectentur, non obligantur ad clauſuram, vti oſtendimus conſectario proximo, & tradit ipſe Pius V. in conſtitutione *circa Paſtoralis*, quæ iubet illis ſuaderi, vt profiteantur, túncque ad clauſuram obligabuntur: quod ſi id facere recuſarint: prohibet, ne in poſterum alias ſic recipiant, & illarum receptiones, & profeſſiones irritas reddit.

CONSECTARIVM VIII.

An quæ profitentur, vt maneant, in proprÿs domibus obligentur clauſura?

SVppono quod initio monui, & 2. part. ſcientiæ Canonicæ fuſiùs oſtendo, & hoc ipſo opere diſquiſ. 3. aliquam monialem ſolemniter profiteri poſſe, vt in domo paterna maneat, viuátque extra monaſterium & congregationem. Ita enim cap. final. *Qui Clerici, vel mouentes*, nobilis cuiuſdam mulieris in regno Legionenſi profeſſio admittitur: neque per Tridentinum Concilium, aut aliud nouum ius illud reuocatur. 15.

Eo verò caſu dico cum Nauarro comment. 4. de Regular. num. 45. Graffis 4. part. deciſion. lib. 4. cap. 23. num. 17. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 15. num. 17. Bonac. quæſt. 1. de clauſura punct. 2. eas ſic profeſſas non obligari clauſura: quia Pius V. obligat profeſſas in congregatione viuentes: atqui iſtæ non viuunt in congregatione, neque habent locum clauſuræ deſtinatum.

CONSECTARIVM IX.

An Sanctimoniales alicuius Religionis ſolis votis ſubſtantialibus conſtantis obligarentur ad clauſuram.

SVppono congregationem Religioſam inſtitui poſſe, in qua tria vota ſubſtantialia Religionis emittantur, ſimplicia tamen, & non ſolemnia, quod in noſtra ſcientia Canonica fusè oſtendimus cum Sanch. lib. 5. in Decalog. cap. 1. num. 25. & 28. 16.

& 28. Vaſq. 1. 2. diſput. 165. num. 105. & 106. Caietan. 2. 2. quæſt. 88. art. 7. verſ. ſed non hæc opinio. Baſil. Pont. lib. 7. de matrim. cap. 11. & 22. Suar. tract. 7. de Religione lib. 2. cap. 14. Neque iam dubitare licet poſt Extrauag. Gregorij XIII. *Aſcendente Domino*. Si igitur eiuſmodi aliqua Religio Sanctimonialium inſtitueretur, an illæ obſtringerentur præceptis clauſuræ: quia non ſunt neque tacitè, neque expreſsè profeſſæ. Verùm cum emiſerint ſubſtantialia vota Religionis, veræque Religioſæ ſint & in congregatione Religioſa viuant: & omnia, quæ ſuaſerunt ſummis Pontificibus imperare clauſuram Sanctimonialium monaſteriis, valeant, hoc loco, videntur omninò illas etiam ſuis conſtitutionibus comprehédere voluiſſe. Quod ſi Bonifac. aliique Pontifices de ſolis profeſſis in ſuis conſtitutionibus meminerint, id factum eſt: quia agebant de Sanctimonialibus Religioſis, cuiuſmodi id temporis erant, hodiéque ſunt ſolæ profeſſæ, quidquid antiquioribus temporibus vſurpatum fuerit, qua de re diximus loco citat. Et licèt hodie ex Extrauag. Gregor. XIII. cit. Qui in Societate Ieſu poſt biennium nouitiatus vota ſubſtantialia Religionis etſi ſimplicia, & non ſolemnia emiſerunt, ſint verè Religioſi, quamuis non profeſſi. In nullis tamen Sanctimonialium regulis, aut congregationibus conceſſum eſt, vt ſolis votis ſimplicibus contentæ ſint, & Religioſæ conſtituantur: quare de eiuſmodi Monialibus ſola vota ſubſtantialia Religionis emittentibus, & tamen non ſolemniter profitentibus fruſtra egiſſent Pontifices, dum legem de clauſura tulerunt, cùm nullæ eiuſmodi hodie reperiantur, ſi tamen inſtitueretur eiuſmodi aliqua Religio, vti reuera inſtitui poſſet, quamuis id minimè expedire iudicauerit Eccleſia: Reuera tenerentur eiuſmodi religioſæ clauſura, ſicut ipſæ profeſſæ hodie tenentur: quia iſta vota æquiualent profeſſioni, præterquam circa quoſdam effectus, qui eſſentialiter in ſola profeſſione includuntur; in aliis autem omnibus, qui conueniunt Religioni, aut profeſſioni, quatenus conſtituit formaliter & eſſentialiter Religioſum, conuenit cum his votis ſubſtantialibus, quæ æquè eſſentialiter & propriè Religioſum conſtituunt.

CONSECTARIUM X.

An nouitiæ Sanctimoniales clauſura obligentur?

RESpondeo non obligari: ita Azor. tom. 1. lib. 13. cap. 8. q. 1. 17.
Nauar. comm. 4. de Regular. num. 47. Zerola in praxi Epiſcopal. verb. Moniales ad 14. quæſit. dub. 3. Suarez tract. 8. de Relig. lib. 1. cap. 8. num. 16. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 15. num. 16. & alij communiter: quia leges de clauſura agunt de profeſſis tacitè vel expreſsè, quibus verbis non comprehenduntur Nouitiæ. Vnde etiam ſapienter aduertit Suarez. Nouitiam per egreſſum è monaſterio cum licentia Abbatiſſæ, vel Superiorum Ordinis non deſinere eſſe nouitiam, neque nouitiatum interrumpit: quia ſemper remanet vnio cum Religione, & permanentia in illa quo ad gradum illum Nouitiæ, quod non fit, quando egreditur ſine licentia: quia hinc recedit ab obedientia & vnione cum illo monaſterio, quod deſerit: neque aut ex natura rei, aut ex iure communi habemus

mus Abbatiſſam non poſſe dare eiuſmodi licentiam; aut continuationem clauſuræ eſſe de ſubſtantia nouitiatus: Quò etiam pertinet reſponſio congregationis Cardinalium, Nouitiam, quæ de facultate Superiorum morbi curandi cauſa, egreditur è monaſterio cum habitu, qui illi fuit præſcriptus, vbi conualuerit, poſſe & ad habitum & ad profeſſionem recipi, nempe eo modo, atque ſi intra monaſterium peregiſſet ſuum nouitiatum. Si enim interruptus fuit, & nouus annus inchoandus ſit, vt quid erat opus declaratione, vt denuò ad habitum & nouitiatum, eóque per annum iterum continuato ad profeſſionem admitteretur. Et denique nouitiatum poſſe magna ex parte peragi extra monaſterium iam olim conſultè pluribus oſtendimus, & ſapientiſſimè Nauar. quem ob librorum inopiam, & temporis anguſtias adire non potueramus, illud idem reſpondiſſe conſil. 32. de Regularib. comperimus. Quod iterum diſquiſit. ſeq. cap. 2. probabimus.

Consectarium XI.

An Monialis poſſit profiteri ea lege, vt clauſurâ non teneatur?

18. Eiuſmodi profeſſionem nullam & irritam fore cenſent Miranda de ſacris Monialibus quæſt. 1. art. 4. Lezana tom. 1. ſummæ cap. 23. num. 17. & alij, quos refert & ſequitur Tamburin. diſput. 18. de iure Abbatiſſar. quæſt. 5. Quia Pius V. in Extrauag. *Decori & honeſtati*, eiuſmodi profeſſiones irritauit. Verùm nihil tale mihi apparet illam Pij conſtitutionem legenti. Itaque duo mihi dicenda videntur: primum eſt, licet Monialis faciendo profeſſionem habeat animum non ſe obligandi ad clauſuram, obligari nihilominus, vti docuit Bonacin. quæſt. 1. de clauſura punct. 2. num. 5. quia eiuſmodi obligatio non pendet à voluntate cuiuſque, ſed à lege Eccleſiaſtica illam imperante: quare qui ſuſcipit ſtatum aliquem, obligatur legibus, quas ſuperior illi ſtatui poſuit.

Secundò Monialis, quæ ea conditione profiteretur, vt nollet ſuam profeſſionem valere, niſi cum immunitate ab obligatione clauſuræ, inualidè omninò profiteretur, quia apponeret conditionem, quam ſeruare non poſſet, ad quam tamen potuit liberè ſuam voluntatem reſtringere: in foro tamen externo ea conditio, vtpotè impoſſibilis haberetur pro non adiecta, ſtarétque fortaſſis profeſſio. Qua de re in noſtra ſcientia Canonica 1. part. lib. 4. vbi de voluntario conditionato.

Capvt IV.

Quibus perſonis prohibeatur ingreſſus in monaſteria Sanctimonialium.

Diximvs initio huiuſce diſquiſitionis clauſuram Regularem prohibere Monialibus egreſſum è ſuis monaſteriis; & perſonis externis ingreſſum ad eadem monaſteria. Et cap. ſuperiori vidimus, an omnibus Sanctimonialibus impoſita ſit lex non exeundi è ſuo monaſterio; modò quærimus, an omnibus externis prohibitus ſit in monaſteria illarum ingreſſus.

§. I.

PROPOSITIO. *Vniuerſalis.*

1. OMnibus omninò perſonis externis prohibitus eſt ingreſſus ad monaſteria Monialium.

Expoſitio & confirmatio Propoſitionis.

HÆc propoſitio explicata, immò & confirmata manet ex cap. 1. §. 3. vbi fuſiùs oſtendimus antiquo iure ſolis viris interdictum eſſe ingreſſu monaſteriorũ eiuſmodi, præterquam Clericis ad diuina officia celebranda, vti ex antiquis canonibus eo loco retulimus. Nouo verò iure Bonifac. Concil. Trident. Pij V. & Gregor. XIII. docuimus omnibus omninò perſonis honeſtis & inhoneſtis, cuiuſcumque ſexus, ætatis, & conditionis fuerint, factam eſſe hanc prohibitionem, niſi ad id licentiam obtinuerint, de qua dicemus cap. proximo: modò attendimus duntaxat perſonas, quæ adſtringuntur hac lege, dicimúſque legem illam vniuerſalem eſſe quoad perſonas, & omnes omninò complecti ſiue viros, ſiue fœminas, ſiue laicos, ſiue Clericos, Monachos, Epiſcopòs: quia verba legis ſunt vniuerſaliſſima. Bonifac. quidem ait: *Nulli aliquatenus inhoneſta perſona, nec etiam honeſta ingreſſus, vel acceſſus pateat.* Trident. verò cap. 5. cit. *ingredi intra ſepta monaſterij nemini liceat, cuiuſcunque generis aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerit.* Quæ verba neminem excipere vides, ideóque neque nos aliquem excipere poſſumus. Quia vti obſeruauit Nauar. comment. 4. de Regularib. num. 59. voces vniuerſales *nulli*, *nemini*, omnes comprehendunt, maximè cum Trident. illam particulam ad quamcumque conditionem, ſexum & ætatem extendat. Itaque vides etiam fœminas & puellas ab hoc ingreſſu prohiberi, quod amplius conſtabit ex ſequentibus dubiis. Neque ſine antiquitatis exemplo exiſtit hæc ſeuerior diſciplina; nam etiam Cæſarius prohibet mulieribus ingreſſum in monaſteria ſuarum Monialium. numer. 37. Regulæ. Matronæ etiam ſæculares, vel puellæ, ſeu reliquæ mulieres, adhuc in habitu laico, ſimiliter introire prohibeantur.

§. II.

Conſectaria ex doctrina vniuerſali tradita.

CONSECTARIVM I.

An Reges & Reginæ, eorúmque filij & filiæ poſſint ingredi monaſteria Monialium.

RAtio dubitandi eſt, quia Tridentinum ſua lege comprehendit perſonas cuiuſcumque generis, & conditionis, ideóque Bonac. p. 4. de clauſura part. 1. num. 4. id probabile exiſtimat. 1.

Quia tamen ſupremæ iſtæ dignitates nunquam verbis generalibus legis comprehenduntur, niſi aliqua particula aut nota exprimantur, vti fuſiùs diximus in prima parte noſtræ ſcientiæ Canonicæ, neque hac lege Tridentini contineri dici poſſunt, maximè cum Concilium alibi ſæpius, dum vult ſua lege Reges, ac

Reginas obligari, id apertè ſignificet, quod hoc loco non fecit. Itaque eius decretum ſecundum regulas iuris communis explicare poſſumus, & debemus. Quod amplius confirmatur ex conſtitutione Gregorij XIII. *Vbi gratia.* Reuocat enim omnes gratias & priuilegia facta quoad iſtũ ingreſſum cuiuſcumque conditionis & ſtatus perſonis, etiamſi Comitiſſæ, Marchioniſſæ & Duciſſæ fuerint: quæ particula *etiam* ampliatiua, ſatis oſtendit alias perſonas altioris dignitatis, ſi quæ ſint eiuſmodi prohibitione non comprehendi. Itaque cenſet Emman. Rodriq. tom. 1. quæſt. 48. art. 1. Sanch. lib. 6. in Decalog. c. 16. num. 3. Ferdinand. à Caſtro tract. 16. diſputat. 4. punct. 10. §. 1. de ipſarum autem Reginarum comitatu dicam inferiùs.

Consectarium II.

An fundatrices poſſint ingredi monaſteria Monialium.

3. FVndatrices obligari lege vniuerſali prohibente ingreſſum in monaſteria virorum tradũt Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 17. num. 7. Manuel Rodriq. in Expoſit. conſtitut. Pij V. num. 3. & tom. 1. qq. Regul. quæſt. 47. artic. 1. Lyſan. lib. 4. tract. 5. cap. 12. num. 5. niſi aliquæ priuatæ conſtitutiones id permittant. Primum probant, quia vniuerſim id prohibuit Pius V. in motu proprio *Regularium perſonarum*, de quo 2. diſquiſit. dicam & confirmauit deinde Gregor. XIII. Secundum verò quia idem Gregor. rogatus, an per has conſtitutiones derogetur regulæ Minimorum permittenti ingreſſum fœminis ſtirpis regiæ & fundatricibus? Reſpondit non derogari, quæ erit eadem ratio, vbi in aliqua Religione ſimilis erit regula: quia Gregor. hac ſua declaratione non indulſit quidpiam Minimis, ſed quod lege Pontificia cõtinetur explicauit. Quod idem omninò dicent de fundatricibus monaſteriorum Monialiũ. Nam in iiſdem conſtitutionibus prohibetur ingreſſus fœminis in vniuerſum cuiuſcumque conditionis in monaſteria, tum Monialium, tum virorum, in qua verborum vniuerſitate dicerent æquè comprehendi fundatrices Monialium atque Religioſorum. Et quod Gregor. declarauit per has vniuerſales conſtitutiones pontificias, non derogari priuatarum Religionum, vt Minimorum regulis, quæ fundatricibus illum ingreſſum permittunt, ad monaſteria Monialium extendi poterit ex identitate rationis. Cur enim generali prohibitione ingrediendi monaſteria, tum Monialium, tum Religioſorum comprehẽdentur potiùs fundatrices monaſteriorum Monialium, quàm monaſteriorum virorum. Cum plura omninò ſint incommoda in ingreſſu illo fundatricum in monaſteria virorũ, quàm Sanctimonialium: Quidni ſi regula poteſt hoc permittere fundatricibus virorum, neque illis derogatur per conſtitutiones pontificias vniuerſales & vniuerſaliter prohibentes hunc ingreſſum fœminis, ita declarante Gregorio: quidni, inquam, priuata regula Monialium ſimilem ingreſſum ſuis fundatricibus non poterit permittere? Et cur dicemus conſtitutiones pontificias illis regulis derogare? Cur enim potius verba vniuerſalia prohibentia omnibus fœminis ingreſſum in monaſteria Monialium comprehendunt fundatrices, quàm eadem verba generalia illum ingreſſum vetantia fœ-

minis omnibus in monaſteria virorum? Et ſanè ipſe Gregor.XIII. in conſtitut. *vbi gratia*,& Paul.V. in ſimili conſtitut. *Monialium ſtatui*. & Vrbanus VIII.conſtit. *Sacroſanctum*, dum reuocat omnes facultates factas quibuſcumque fœminis à Sede apoſtolica ingrediendi monaſteria Monialium, de quibus dicemus capite proximo, etiamſi Comitiſſas, Marchioniſſas, & Duciſſas nominent: nuſquam tamen ipſi, ſicut neque alij Pontifices fundatricum meminere, ſicut neque etiam Reginarum. Qua de cauſa tum Reginas,tum fundatrices non comprehendi in ſimilibus conſtitutionibus circa ingreſſum in monaſteria virorum declarauit, vti iam ſæpiùs monuimus, ipſe Gregorius. Rationem optimam reddidit Ferdinand. à Caſtro tract. 16. diſput.4. punct 8. num.4. Quia ſicut Reginæ ob ſupremam illam dignitatem excluduntur à generali illa prohibitione, *à fortiori*,inquit, *fundatrices & patronæ ob earum qualitatem arctiùs monaſteria deuincientem excludi debent, quæ etiam malè omninò cenſentur extraneæ monaſterijs, quorum patronæ ſunt*. Itaque cenſet Ferdinand.probabile eſſe fundatrices in monaſteria virorum ingredi poſſe: quod potiori iure dicendum mihi videtur de ingreſſu in monaſteria Monialium, quem nuſquam prohibitum fuiſſe fundatricibus legeramus, ſicut neque Regiæ ſtirpis fœminis, quas in illa verborum vniuerſalitate minimè contineri cenſent Doctores. Et ſanè Iuſpatronatus eſt valde priuilegiatum in iure, & fundatrices ſunt quaſi Dominæ ſuorum monaſteriorum: quare non debuerunt eiuſmodi generalitate comprehendi, neque id iure fieri potuit ſine aliqua ingrati animi nota. Hinc accedit pluribus in locis conſuetudo, quam exiſtimatim rationabilem eſſe. Addo non videri contractum illum, quo ſibi fundatrices in fundatione reſeruant ius ingrediendi in monaſteria, quæ fundant, ex eo capite iniquum, aut contra ius commune: quare & in illo poterunt apponi illæ conditiones, & cum illis ab ordinariis approbari, ac confirmari,ſeruandæque erunt eiuſmodi conditiones, vbi appoſitæ fuerint. Loquimur tamen in hoc conſectario de ingreſſu dumtaxat non de commoratione, & habitatione etiam ad pauciores dies, nam ad illam exiſtimo neceſſariam eſſe omnino licetiam. An verò ea fundationis ratio ſit cauſa ſufficiens concedendi licentiam illam commorandi habitandíque in monaſteriis iſtis inquiram.

CONSECTARIVM III.

An Monialis poſſit ingredi alienum monaſterium?

Monialem ſuo egreſſam monaſterio, vbi ipſi occurrit aliud monaſterium Monialium, ſiue eiuſdem Ordinis & habitus, ſiue diuerſi, exiſtimauit Llamas in methodo curationis in appendice in §.11.ſub fin. ingredi poſſe: quia tunc ſeruat clauſuram eo modo, quo poteſt. Neque exiſtimandum eſt, Pontificem eiuſmodi ingreſſum honeſtati omnino conuenientem prohibuiſſe. Ferdinand. à Caſtro Palao tract.16.diſp.4. punct. 10. §. 1. exiſtimat eiuſmodi Monialem nullum monaſterium ſiue eiuſdem, ſiue alterius ordinis ingredi poſſe abſque licentia Superioris: quia reuera extranea eſt reſpectu illius monaſterij, in quo non eſt profeſſa: ſi tamen nullum ſit in eo oppido commodum & honeſtũ hoſpitium, 4.

tium, locum eſſe licentiæ, quam negare non debebit ſuperior. Verius exiſtimat Sanchez lib.6. in Decalog. cap.16. num. 10. Bonac. quæſt.4. de clauſura punct.1. num.3. de Peïrinis de priuileg. Regul. in conſtitut. 6. Pij V. num. 26. quæſtione 6. aliíque Moniales ingredi poſſe monaſteria eiuſdem ordinis, & habitus abſque noua Superioris licentia, & ab Abbatiſſa admitti poſſe, ſiue hoſpitij cauſa, dum ipſa iter agit: ſiue quia ſanitatis cauſa manens in aliqua domo vicina eiuſmodi monaſterio illud inuiſere ſalutandi, aut recreandi animo velit; quia reuera eiuſmodi Monialis extranea non eſt, ac proinde in rigore iuris non comprehenditur lege prohibente ingreſſum perſonis extraneis. In diuerſi autem ordinis monaſterium ingredi non poteſt ſine licentia Superioris: quam omnino dare debet, quãdo in eo loco non eſt aut honeſtum, aut commodũ hoſpitium, in quo pernoctare poſſit, aut in illud admitti non poteſt: cũ & Religioſa charitas, & ſtatus Monialis dignitas eam licentiam à ſuperiore iure poſtulent. Quod ſi illud monaſterium animi tantum recreandi gratia, aut videndi aut ſalutandi, aut cognatæ alicuius inuiſendæ gratia, aliáque leui de cauſa adire velit, non erit ea iuſta, & ſufficiens ad obtinendam licentiam, quam ſuperior omnino negare debebit, ſicuti eam negaret aliis perſonis extraneis illam ſimili de cauſa petentibus.

Consectarium IV.

Pueri & Puellæ ante vſum rationis non prohibentur ingreſſu monaſteriorum.

5. ITa docent vulgò Nauar. comm.4. de Regul. num. 59. & in ſumm. cap.28. addit.2. ad num.143. & c.25. Corduba lib.1. ſumm. quæſt.60. Azor. tom.1. lib. 13. cap. 8. quæſt. 5. Henriq. lib.4. qui eſt de pœnitent. cap.5. num. 2. in comm. litt. M. & lib.13. de excommun. cap. 42. num. 3. in comm. litt. S. Man. Rodriq. tom.1. qq. Regular. quæſt.46. art.1. Zerola in praxi ver. Moniales ad 8. q. Sorbus in priuilegia mendicantium ver. Ingreſſus in monaſteria Monialium. In annotatio. num.2. Barboſa de poteſtate Epiſcopi allegat.102. num.32. Suar. tract.8. de Religioſ. lib.1. c.10. num.2. Sanchez lib.6. cap.16. num.5. Bonacin. quæſt. 4. de clauſ. punct.1. num.5. Mirand. de Monialib. quæſt.2. art.1. Lezana tom.1. ſumm. cap. 25. num. 24. Riccius in praxi deciſ.648. Ferdinand. à Caſtro Palao tract. 16. diſput.4. punct. 10. §. 1. Ratio perſpicua eſt: quia infantes ea ætate ſunt incapaces legis & præcepti: quod tamen primò, & per ſe fertur in ingredientes monaſteria, non autem in admittentes, niſi indirectè & ſecundariò: ait enim Concilium *nemini ingredi liceat*. Et nuſquam neque in Trid. neque in conſtitutionibus pontificiis illa prohibitio fit, niſi ingredientibus, & non cooperantibus ad illum ingreſſum niſi in conſtitutione Gregorij XIII. per quam reuocantur licentiæ omnes ab Apoſtolica ſede conceſſæ hac in parte, & variis pœnis ſubiiciuntur, qui prætextu eiuſmodi facultatum ingrediuntur monaſteria Monialium, quæ etiam eaſdem pœnas incurrunt, dum illos admittere præſumunt, vbi non agitur niſi de admiſſione illorum, qui ſuis facultatibus vtebantur. Vnde colligit Suar. cum in aliis omnibus conſtitutionibus prohibentibus ingreſſum in monaſteria Monialium nulla fiat ſpecialis prohibitio

admittendi, ea lege non obligari Moniales; niſi quatenus cooperantur eiuſmodi ingreſſui prohibito, ac proinde malæ actioni, ipſæ quoque peccant. Quare quoties ingreſſus non erit malus, quia non eſt prohibitus, neque cooperatio ad illum ingreſſum culpa omninò carentem, & non prohibitum mala erit. Et quoties prohibitio non cadet directè in ingredientes, non cadet etiam indirectè & conſequenter in admittentes: Quod ex ipſis terminis patet.

CONSECTARIVM V.

Moniales, amentes & fatuos in monaſteria in ſua admittentes peccant.

.6 ITa affirmant ſuperiùs laudati Doctores, qui tamen non ſatis conſentiunt in aſſignando diſcrimine inter infantes vſu rationis carentes, & amentes ſiue perpetuos ſiue alios eo momento, quo mentis impotes ſunt, cum etiam illi incapaces ſint legis & præcepti. Itaque Nauarr. Eman. Rodriquez Sanchez Zerola & tandem Azor. dicunt in infantibus rationem legis & prohibitionis ceſſare, non in amentibus: quia poſſunt tumultum excitare, dare peccandi occaſionem, iocari turpiter, vana & ludicra facere; cum tamen vti diximus cap. 1. voluerint Pontifices hac ſua prohibitione & lege, quieti & honeſtati atque pudori Monialium conſulere. Cum igitur circà amentes maneat tota ratio legis & prohibitionis, quamuis ipſi propter mentis impotentiam culpæ ſint incapaces; Moniales tamen, quæ illos admittent, peccabunt. Sapienter tamen obiicit Suar. hinc tantum ſequi Moniales peccare contra bonos mores vt honeſtatem, aut votum caſtitatis, ſi eiuſmodi fatuos, vel mala intentione, vel cum aliquo probabili periculo admittant, aut contra propriam regulam, ſi ea id vetet; non verò contra legem Pontificiam, aut Concilij prohibentem ingreſſum, de qua modò diſputamus: quia alioquin contra illam quoque peccarent admittendo infantes. Nam licet ipſi peccare non poſſint; poſſunt tamen eſſe peccandi materia & occaſio tum obiectiuè mouendo, tum turpiter iocando, & tumultum faciendo. Deinde quamuis diſſimilitudinem hac in parte inter pueros & adultos amentes concederemus aduerſariis, & finem legis ac prohibitionis manere reſpectu amentium, & non infantium; non ſufficit tamen ad legem violandam finem adæquatum, aut ſaltem primarium legis manere, niſi legis materia & ſubiectum maneat. Imperauit v.g. Eccleſia aut ſuperior ieiunium propter caſtitatem die Veneris, etiãſi die Sabbathi hoc eodem medio ad eundem finem indigeam, & niſi eo vtar fortaſſis peccem contra legem naturalem caſtitatis, quæ me obligat ad vſurpanda media, quæ hic & nunc ad illam mihi maximè neceſſaria ſunt; non tamen peccabo contra legem Eccleſiæ, aut Superioris imperantem ieiunium propter caſtitatem: quia eo die non erat poſita illa lex. Licet igitur ratio legis prohibentis ingreſſum perſonis externis in monaſteria Monialium, maneat in amentibus; cum tamen lex non ſit poſita amentibus, non obligat illos, neque alios, qui cooperabuntur ad illum ingreſſum non malum: quia neque peccabunt contra legem Eccleſiaſticam cooperãdo illius violationi,

lationi, cum non ſit poſita amentibus: neque contra legem naturalem cooperando actioni malæ, quia culpa vacat reſpectu amentium. Quòd ſi dicas peccare propter illud periculud, de quo diximus: peccabunt quoque in ingreſſu puerorum, quando erit ſimile periculum, & ſaltem quando in amentibus non erit tale periculum, vti ſæpiſſimè poteſt non eſſe, non peccabunt: & denique nunquam peccabunt contra legem Eccleſiaſticam de clauſura: quia ceſſante obligatione directa circa primariam cauſam actionis, ceſſabit quoque neceſſariò obligatio indirecta circa alios cooperatores duntaxat.

Dicendum igitur eſt cum eodem Suare. & Ferdinand. pueros nō obligari per ſe lege vlla; amentes autem per ſe reuera obligari; excuſari tamen ab obſeruatione propter impotentiam, hæc enim duo plurimum inter ſe differre docuimus in noſtra ſcientia canonica. Cadit igitur lex & præceptum Eccleſiaſticum in amentem; ab eius tamen violatione excuſat illū mentis impotentia: Ideóque eius in monaſteria ingreſſu contra legem Eccleſiaſticam, in quam quidem ipſe non peccat, peccant tamen alij, qui actioni contra præceptum & legem liberè cooperantur. Sic qui facit, vt alius die prohibito cibos vetitos comedat, aut ſe inebriet, reuera peccat, quamuis qui ita comedit, aut ſe inebriat propter ignorantiam, aut obliuionem, aliámue eiuſmodi cauſam excuſetur: quia eſt voluntaria cauſa actus materialiter mali & prohibiti, quod maximè verum eſt, quando actus prohibitus habet eadem omninò incommoda, quando eſt tantum materialiter malus; quia fit inculpabiliter à primaria eius cauſa, atque quando fit culpabiliter, & eſt formaliter, etiam malus. Quod fortaſſis vnum voluit Nauar. quando dixit finem legis prohibentis ingreſſum iſtum adultis manere in amentibus, quamuis ipſi non peccent ingrediendo. Et ſanè ſi Moniales inducerent ebrium & dormiētem, peccarent, non alia de cauſa, quàm quia præceptum prohibens ingreſſum obligat ebrios & dormientes, quamuis in eo ſtatu ab ea obligatione excuſentur. Denique Bonifacius dixit: *Nulli aliquatenus inhoneſtæ perſonæ, nec etiam honeſtæ ingreſſus pateat.* Quibus verbis non modò ingredientes, ſed etiam eos omnes, quibus cura clauſuræ incumbit, comprehendere videtur. Nomen quoque *inhoneſtæ* perſonæ in amentes & ebrios alióſque ſimiles cadit.

CAPVT V.

De licentia Monialium egrediendi è monaſteriis, & externorum in illa egrediendi.

DE hac licentia, quam tum Monialibus, vt è ſuis monaſterriis egrediantur, tum aliis omnibus perſonis, vt in illa ingrediantur, neceſſariam eſſe diximus, quatuor quærenda ſunt. Primò, quis illam dare poſſit: Secundò, qualis ea ſit: Tertiò, quomodo ſit danda: Quartò, quibus ex cauſis. Tria priora capitæ exequemur hoc capite; quartum verò duobus ſequentibus.

§. I.

§. I.

Quis dare poßit iſtam licentiam.

PROPOSITIO Vniuerſalis.

1. SOlus Epiſcopus Monialibus ſibi, vel Apoſtolicæ ſedi immediatè ſubiectis licentiam egrediendi è ſuis monaſteriis concedere poteſt, in aliis verò exemptis ipſarum Superior regularis, cauſa tamen priùs ab Epiſcopo approbata licentiam ingrediendi monaſteria ſibi ſubiecta dabit Superior, aut Epiſcopus pro poteſtate, quam habent in illa monaſteria.

Expoſitio & confirmatio Propoſitionis.

BOnifacius VIII. in ſua conſtitutione, quam explicamus, non meminit licentiæ faciendæ Monialibus ad exeundum è monaſterio: quia reuera illas nunquam exire voluit, niſi ratione morbi ita contagioſi, vt cum aliis ſine periculo, aut ſcandalo habitare nequeant. Ingreſſum verò permittit *ex rationabili, & manifeſta cauſa de illius, ad quem pertinuerit licentia.* Non explicat tamen ad quem pertineat licentiam eiuſmodi facere. Trid. verò ſeſſ. 25. cap. 5. de Regularib. molliuit conſtitutionem Bonifacij circa egreſſum Monialium, quem permittit *ex aliqua legitima cauſa ab Epiſcopo approbanda.* Circa licentiam verò ingreſſus declarauit cuiuſnam eſſet illam dare: *Dare autem,* inquit, *tantum Epiſcopus, vel ſuperior licentiam debet in caſibus neceſſarijs.* Quia verò approbatio cauſæ, & licentia exeundi duo quædam diuerſa ſunt, vti videmus in approbatione & facultate audiendi confeſſiones: & quamuis nullus det licentiam, & facultatem quidpiam faciendi, quin ſimul loquendo moraliter approbet, & cauſam id faciendi, & induſtriam eius cui facultatem ad quidpiam agendum concedit: illam enim alioquin imprudenter omnino concederet; reuera tamen approbatio, quæ eſt iudicium de ſufficientia aut cauſæ, aut perſonæ alicuius, non eſt licentia ipſa, quæ eſt actus voluntatis, non iudicij ſolius, & requirit poteſtatem aut iuriſdictionem; non verò approbatio præciſè ſumpta: vnde etiam fit, vt aliqui committi poſſit facultas approbandi, licet non detur illi poteſtas licentiam dandi. Cum igitur Concilium dixerit duntaxat cauſam legitimam egreſſus Monialium è monaſterio approbandam eſſe ab Epiſcopo, nondum ſatis explicatum manet, an Epiſcopus quoque licentiam exeundi facere debeat & præterea an illam cauſam probare debeat Epiſcopus etiam circa monaſteria exempta, quod vltimum declarauit Pius V. in ſua conſtitutione *Decori.* Circa licentiam verò ingrediendi adhuc ſupereſt difficultas, an Epiſcopi & Superioris ſimul requiratur licentia, & non alterutrius ſufficiat, & in quibus monaſteriis. Ad quæ omnia aliáque nonnulla dubia explicanda noſtram aſſertionem poſuimus.

§. II.

De licentia egreſſus è monaſterio.

DIxi igitur primò, Epiſcopum Monialibus ſibi aut Sedi apoſtolicæ immediatè ſubiectis licentiam 2.

tiam poſſe concedere exeundi è ſuis monaſteriis, vel ordinaria ſua poteſtate, vel ſibi à Sede apoſtolica delegata. Ita omnes. cum enim licentia danda ſit à ſuperioribus, & nulli alij ſint in eiuſmodi monaſteriis præter Epiſcopum, qui aut Superior ordinarius ipſorum eſt, aut circa clauſuram delegatus à Sede apoſtolica, circa monaſteria ipſi immediatè ſubdita: reuera tota iſta licentia ad illum vnum pertinebit. Et ſanè cum Trident. illo cap. 5. clauſuræ curam committat Epiſcopis circa illa omnia monaſteria, velítque eos ipſam indicere, & præterea cauſam legitimam egreſſus approbare. Quod poſtremum Pius V. etiam ad alia monaſteria exempta extendit, vti ſtatim videbimus. Reuera in iis monaſteriis, in quibus ipſi ſoli ſuperiores ſunt, voluit ab ipſis licentiam exeundi obtineri, vti per ſe perſpicuum ſit.

3. Dixi ſecundò, ſuperiorem regularem circa monaſteria ipſi ſubiecta, & ab Epiſcopi iuriſdictione exempta licentiam exeundi Monialibus facere; non verò Epiſcopum. Ita Suar. cap. 9. lib. 1. cit. num. 13. Bonac. q. 1. punct. 8. num. 2. & alij omnes: quia licet Tridentinum eam facultatem non requirat; eam tamen neceſſariam eſſe ſupponit ex iure communi, quod perpetuò ſequitur, quando illud non immutat, aut declarat ampliando, vel reſtringendo. Et euidentiùs Pius V. in ſua conſtitutione mox alleganda, in qua præter conſenſum Superioris Regularis, exigit approbationem cauſæ ab Epiſcopo. Denique ſæpiùs ita ſuppoſuit in ſuis reſponſis congregatio Cardinalium, quæ indicat Suarez, & refert quoque Barboſa alleg. 102. num. 28. Nomine verò Superioris intelligimus non modò Generalem, aut Prouincialem, ſed eum omnem, qui reuera immediatè præeſt monaſterio, niſi illa facultas ſit à Superiore maiori reſeruata, aut aliter, ordinis illius conſtitutiones ferant. Nomine quoque Epiſcopi intelligimus ex communi loquendi vſu in iure illum omnem, qui habet iuriſdictionem Epiſcopalem, cuiuſmodi ſunt aliqui Abbates ſæculares, aliíque inferiores quidam Prælati: Si enim iuriſdictione Epiſcopali polleant in aliqua monaſteria, & eorum Prælati ſimul & Epiſcopi ſunt: quare & licentiam iſtam facere, & cauſam quoque approbare poterunt, vti ſtatim conſtabit. Neque in his omnibus poteſt eſſe difficultas. Circa tertiam verò partem noſtræ propoſitionis diſſentiunt Doctores.

Dixi enim tertiò, cauſam legitimam egreſſus Monialium è monaſterio etiam exempto approbandam eſſe ab Epiſcopo. Ita docent Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 15. num. 28. Suar. lib. 1. tract. 8. de Relig. cap. 9. num. 13. Nauar. comm. 4. de Regular. num. 60. Azor. 1. part. Inſtitut. lib. 13. cap. 8. quæſt. 1. Barboſa allegat. 102. num. 20. de poteſtate Epiſcopi. Ferdinand. à Caſtro tract. 16. diſput. 4. punct. 9. num. 9. de Peïrinis in conſtitut. 6. Pij V. §. 10. quæſt. 2. aliíque paſſim contra Eman. Rodriq. tom. 1. qq. Regular. quæſt. 49. art. 6. Llamas in appendice ſuæ methodi §. 6. Quia licet Concil. Trident. cum ait cauſam eſſe approbandam ab Epiſcopo, explicari poſſit de ſolis monaſteriis illi aut Sedi apoſtolicæ immediatè ſubiectis: conſtitutio tamen Pij V. *Decori & honeſtati*, quæ Tridentinum declarat, & verba eius indefinita determinat, vult illa ad omnes Moniales etiam exemptas pertinere: *Quæ tamen*, inquit, *infirmitas præter* 4.

alios Ordinum Superiores, quibus cura monaſteriorum incumbet, etiam per Epiſcopum, ſeu alium loci ordinarium, etiamſi prædicta monaſteria ab Epiſcoporum & Ordinariorum iuriſdictione exempta eſſe reperiantur, cognita & expreſsè in ſcriptis approbata ſit. Non potuit Pius clariùs ſuam mentem aperire, cui repugnare non poſſumus, neque ad caſus tantum illos & cauſas, de quibus agebat ibidem Pius, eius verba benè reſtrinxit. Confectius de priuilegiis ordin. mendicant. titul.20. cap.4. & Capuccin. in annotat. ad compend. priuileg. mendicant. verſ. clauſura Monial. circa fin. quaſi in aliis omnibus cauſis ſufficiat ſolius Superioris Regularis licentia, neque cauſæ approbatio ab Epiſcopo deſideretur. Nam Pius V. nullis aliis ex cauſis vult licitum eſſe exitum Monialis è monaſterio: ergo malè dicitur ob alias cauſas non exigere approbationem Epiſcopi, ſed tantum propter tres enumeratas, cum ob nullas alias cauſas permitti iſtum velit. Quod verò aliæ quoque cauſæ paſſim enumerentur à Doctoribus, vt dicemus cap. proximo: illæ omnes continentur in tribus illis à Pio recenſitis per ſimilitudinem quandam. Ergo ſicut tres vulgares cauſæ extenduntur ad alias propter proportionem quandam & conuenientiam, debebit in illis ſeruari eadem conditio, quæ in tribus vulgatis requiritur à Pontifice. Et ſanè ſi Pontifex, ne qua fraus in prætexendis cauſis egreſſus iſtius, ſubreperet, voluit etiam illas, quas ipſe ſufficientes & legitimas exiſtimauit, examinari ab Epiſcopo, aut alio Ordinario, an verè, an falsò allegarentur, & an forent eiuſmodi, quæ exitus indulgentiam poſtularent: neque contentus fuit iudicio & facultate Superioris Regularis, quis dicat illum in aliis cauſis, quæ per extenſionem quandam & ſimilitudinem rationis à Doctoribus plerumque inter ſe diſſentientibus afferuntur, minimè requiſiuiſſe iudicium Epiſcopi, & totum negotium Superiori Regulari permiſiſſe. Rodriq. verò manifeſtè pugnat cum verbis Pontificis, cum ait illum nomine Epiſcopi intelligere Generales, vel Prouinciales circa monaſteria exempta: quia eiuſmodi Superiores habent iuriſdictionem Epiſcopalem. Nam Pontifex expreſſiſſimè ſuperiores, quibus cura monaſteriorum incumbit, diſtinguit ab Epiſcopo & alio Ordinario loci, à quo vult cauſam iſtam approbari. Neque vnquam Superiores Regulares nominantur Ordinarij loci, inciderétque Manuel in nouum incommodum. Cum enim Pius in his monaſteriis exigat & licentiam Superioris & approbationem Epiſcopi, quem ipſe Generalem, vel Prouincialem interpretatur, opus eſſet ad hunc egreſſum, tum licentia Superioris immediati, tũ approbatione Generalis, vel Prouincialis, neque altera tantum ſufficeret: quia Pontifex aliter egredientes caſtigat grauibus pœnis; id tamen minimè concedet Rodriq. Quare dicendum omninò eſt ſpectato iuris rigore in iſtis monaſteriis, tum licentiam Superioris, tum approbationem cauſæ ab Epiſcopo, aut alio Ordinario iuriſdictionem nempe Epiſcopalem habente obtinendam eſſe. Denique ita intelligendam eſſe Pij conſtitutionem declarauit congregatio Cardinalium, vti refert Barboſa loco citato.

Fieri tamen facilè poteſt, vt alicubi huic Pij V. conſtitutioni derogatum ſit in hac parte, vti de Hiſpania

nia teſtantur Eman. Rodriquez citat. Miranda de ſacris Monialib. quæſt. 3. art. 6. concluſ. 3. De la Cruz deſtatu Relig. lib. 1. cap. 15. dub. 5. vbi igitur obtinuerit ea conſuetudo, poterunt abſque vlla culpa exire ex ſola Superioris ſui Religioſi licentia Moniales, vti concedunt Sanchez, Suarez Ferdinand. à Caſtro: nihilominus poſſent Epiſcopi, vti ego exiſtimo, vi Bullæ Pontificiæ & Tridentini decreti cogere Moniales eiuſmodi, vt approbationem ſuam accipiant.

5. Atque hoc Tridentini & Pij decretum antiquis Eccleſiæ moribus, & iuri conſentaneum omninò eſt: ad Epiſcopum enim monaſteriorum cura maximè pertinet, ex cap. 4. Concil. Chalcedon. & ſacrarum Virginum cuſtodia, vbi à parentibus diſcedebant, ad Epiſcopi prouidentiam, ne vagarentur, ſpectabat, vti retuliſſe me memini ex Concil. generali Carthagin. quod tertium fuit cap. 33. & Africano cap. 11. Quod etiam circa hanc virginum curam & cuſtodiam refertur lib. 1. Capitular. cap. 40. Concil. in Palatio Vernis habitum cap. 5. iubet monaſteria puellarum, niſi regulariter viuant, ab Epiſcopo, *in cuius parrochia ſunt, emendari: quod ſi nequeat innoteſcat Metropolitano, qui ſi ne id quoque praſtare queat, ad Synodum deferat, à qua damnentur rebelles illæ, ſi contempſerint Synodum, aut dignitate excidant, aut ab omnibus Epiſcopis excommunicentur, & aliquis ex voluntate & conſenſu Regis conſtituatur, qui eiuſmodi monaſteria benè regat.* Cap. 5. eiuſdem Concil. iubetur Epiſcopus prouidere iis Sanctimonialium monaſteriis, in quibus propter paupertatem omnia ſeruari nequeunt, & videre quid ſtatuendum ſit de fœminis velatis, quæ regulariter in congregatione viuere non poſſunt, vt illis locus aptus ſeparatim cum cuſtodia in pulſatorio deſtinetur. Mogunt. cap. 20. & cap. 73. lib. 5. capitul. mandat Epiſcopis, vt vnà cum miſſis regiis diligenter inſpiciant vtrum monaſteria Canonicorum, Monachorum & puellarum ſint conſtituta in loco apto, & omnibus neceſſariis inſtructa, ita vt non ſit illis neceſſitas vagandi foras, ſi cógruenter ſanctæ Profeſſioni compoſita, ſi clauſtrum ſit firmum. Clauſuræ igitur cura Epiſcopalis ſolicitudinis erat. Quod verò magis ad noſtrum inſtitutum facit Turonenſ. 2. coactum imperante Magno Carolo cap. 30. prohibet Abbatiſſis, *Abſque ſui Epiſcopi licentia foras monaſterium egredi, niſi cum ad piiſſimum Imperatorē proficiſci voluerint.* Quā ſanctionem intelligendam eſſe exiſtimamus congruenter iis, quæ Concil. Vernenſe ſub Pipino edixerat cap. 6. quod nullam Abbatiſſam exire vult è ſuo monaſterio, niſi ſemel in anno vocata à Rege ipſum adeat cum conſenſu Epiſcopi, ſi neceſſitas fuerit. Quare iudicio Epiſcopi relinquebatur examinare, an eſſet neceſſe Abbatiſſam Regem adire. Concil. verò Cabilonenſ. II. ſub Carolo etiam cap. 37. *Abbatiſſa* (Canonicarum) *quæ in ciuitate monaſterium habet, nequaquam de monaſteriò egrediatur, niſi per licentiam Epiſcopi ſui, aut qui eius vicem obtinet, niſi fortè aut imperialis iuſſio eam cogat, aut itineris prolixitas id facere minimè permittat.* Nimirum non patiatur licentiam Epiſcopi expectare. Mogunt. Concil. ſub Carolo Magno cap. 13. tum de Monialibus S. Benedicti, tum de Canonicis ſic ſtatuit: *Sub diligenti cura cuſtodiam habeāt, & in clauſtris ſuis permaneant, ne-*

quæ foras exitum habeant, ſed & ipſæ Abbatiſſæ in monaſteriis ſedeant, nec foras vadant ſine licentia & conſilio Epiſcopi ſui. Licentiam refero ego ad facultatem & poteſtatem exeundi; conſilium ad examen cauſæ egreſſus, an propter illam congruum foret Abbatiſſam è ſuo monaſterio exire. Nannetenſe cap.19. eandem Epiſcopi licentiam non modò ad egreſſum Abbatiſſæ, ſed cuiuſcumque Monialis poſtulat, vbi enim acriter caſtigauit quaſdam mulierculas, quæ contra diuinas, humanáſque leges attrita fronte impudenter agentes, *Placita generalia & publicos conuentus indeſinenter adeunt.* & vbi id ſeuerè prohibuit, de Sanctimonialibus ſic addit: *Idcirco ex authoritate canonica interdicimus, vt nulla Sanctimonialis Virgo, vel vidua conuentus generales adeat, niſi à Principe fuerit euocata, aut ab Epiſcopo ſuo, niſi fortè propria neceſſitatis ratio impulerit, & hoc ipſum cum licentia Epiſcopi ſui.* Vides igitur etiam vbi neceſſitas cogebat Sanctimonialem exire è ſuo monaſterio, licentiam Epiſcopi poſtulatam fuiſſe à Patribus, atque adeò veteris & noui iuris conſenſum habes in hac parte.

§. III.

De licentia ingrediendi monaſteria Monialium.

6. DIxi quartò licẽtiam ingrediendi in monaſteria Monialium ab Epiſcopo, vel ſuperiore regulari dandam eſſe: ab Epiſcopo in monaſteria ſibi ſubiecta poteſtate ordinaria; in monaſteria verò Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiecta poteſtate ſibi delegata & extraordinaria. A Superiore denique Regulari in monaſteria exempta & Regularibus ſubiecta. Ita Nauarrus comment. 4. de Regular. num. 60. Azor. 1. part. lib. 13. cap. 8. quæſt. 7. Rodriq. tom. 1. qq. regular. quæſt. 46. art. 2. Barboſa de poteſtate Epiſcopi allegat. 102. n. 40. & 41. Graſſis 1. part. deciſionum lib. 4. cap. 23. numer. 6. Confectius in priuilegiis mendicantium tit. 20. c. 6. Llamas in methodo curationis in appendice §. 5. De Peïrinis in conſtitut. 6. Pij V. quæſt. 7. num. 29. Suar. tract. 8. de Relig. lib. 1. cap. 10. n. 15. Sanch. lib. 6. in Decalogum cap. 16. numer. 13. Campanil. in diuerſorio iuris Canonici rubric. 12. c. 16. n. 31. Victorell. de origine & clauſura Monial. Tamburin. de iure Abbatiſſ. diſput. 23. quæſit. 1. Ferdinand. à Caſtro Palao tractat. 16. diſput. 4. punct. 10. §. 2. Bonacin. quæſt. 4. de clauſura punct. 2. Quod oſtenditur primò ex Bonifacij conſtitutione; ait enim ingreſſum nemini patere debere, niſi de illius, *ad quem pertinuerit, licentia:* Ille verò alius fingi nequit, quam ſuperior, qui monaſterio præeſt, vti Archidiaconus num. 2. verſ. pertinuerit. Ioan. Andr. num. 2. & Ancharan. num. 5. not. 4. ſapienter explicat: quia verò aliquibus monaſteriis præeſt Epiſcopus; aliis verò ſuperior Regularis; idcirco Trident. dum Bonifacij conſtitutionem confirmat, & ſimul explicat, dixit licentiam dandam eſſe ab Epiſcopo, vel ſuperiore: qua diſiunctione ſignificat Epiſcopum in monaſteriis, quibus præeſt vel ordinaria, vel delegata authoritate; in aliis verò Superiorem eiuſmodi licentiam concedere debere: niſi enim ea diſiunctiua capiatur cum partitione accommoda, ſed in ſenſu merè diſiunctiuo, ſufficeret licentia Superioris Regularis in monaſteriis ſubiectis Epiſcopo, ſicut ſufficere

volunt licentiam Epiſcopi in monaſteriis regulari Superiori ſubditis. Deinde dare poſſet licentiam iſtam Epiſcopus etiam reluctante Superiori regulari, vnde naſceretur magna perturbatio: neque Concilium ſuo Decreto ſuperiorum authoritatem imminuere voluit, aut exemptionem eiuſmodi monaſteriorum abrogare: ideóque dixit licentiam dandam eſſe à Superiore, vel Epiſcopo: quibus ſignificat & licentiam Superioris ſufficere, & Epiſcopum vt licentiam hanc dare poſſit Superiorem illius monaſterij eſſe oportere. Secundò, non poſſunt Epiſcopi vllam in monaſteria ſibi non ſubdita iuriſdictionem exercere, niſi quatenus ſpecialiter deputantur tanquam Sedis apoſtolicæ delegati: atqui conſtat in monaſteria exempta non deputari ad has licentias ingreſſus, aut etiam egreſſus, quia ſæpiùs dicuntur deputari in monaſteria Sedi apoſtolicæ immediatè ſubiecta, nunquam autem in exempta. Deinde licet etiam in illis debeant cauſam egreſſus approbare, non tamen licentiam dare, vti explicuimus. Quod cum ſignanter ſit de egreſſu, non eſt, cur eiuſmodi licentiam ad ingreſſum quoque extendamus contra apertum ius. Tertiò Concilij mentem declarauit apertiſſimè Pius in ſua conſtitutione; *etſi mendicantium ordines.* ann. 1567. 17. Kalend. Iunias. Pontific. an. 2. *Cúmque,* inquit §. 7. *inhoneſtum ſit quemlibet in alienam meſſem falcem inijcere, cúmque Monialium monaſteria non niſi de Epiſcopi, vel Superioris licentia, & in caſibus neceſſarijs aliquis ingredi præſumat in ſeſſ. 25. cap. 5. prohibetur: hoc tantùm in illis monaſterijs locum habere volumus, quæ ordinarijs ipſis pleno iure ſubſunt: in quibus caſibus neceſſarijs ipſi dare licentiam poſſint, non tamen in alijs monaſterijs.* Pergit deinde prohibere Epiſcopis omnem omnino ſuperioritatem & iuriſdictionem in eiuſmodi monaſteria, eorúmque Moniales. Quæ verba adeò clara ſunt, vt nullo indigeant interprete: quare mirum non eſt, ſi deinde ſacra congregatio Cardinalium Tridentini Interpretum ita definierit, cuius decretum à Cardinali Merlino ſubſcriptum vidiſſe ſe teſtatur Barboſa allegat. 102. cit. num. 41. & ex illo referunt Tamburin. de iure Abbatiſſ. diſp. 23. quæſit. 1. Lezana in ſumm. Regular. cap. 25. num. 25. & alij. Neque ſecum pugnat eadem congregatio, dum definiuit hanc licentiam pertinere, vel ad ſolum Epiſcopum, vel ad illum & Superiorem regularem coniunctim, vbi conſuetudo ita præſcripſit, vti refert Piaſecius in noua praxi Epiſcop. p. 2. cap. 3. num. 34. Quia, vti obſeruauit quoque Suar. tunc hanc poteſtatem habebunt Epiſcopi non vi decreti Tridentini, aut conſtitutionis alicuius Pontificiæ, ſed legitimæ conſuetudinis, cuius vires in conferenda iuriſdictione, eadémque minuenda fusè expendimus in noſtra ſcientia Canonica. Neque aliter interpretor eam eiuſdem congregationis declarationem, quam adducit Lælius Zecchius de Republ. eccleſiaſt. tit. de Regularib. num. 15. ver. 8. Solos Epiſcopos in monaſteriis, quæ Regularibus ſubduntur, iſtam licentiam facere, nempe vbi id obtinuit conſuetudo. Et ſanè ipſe Zecchius nihil audet definire. Eiuſmodi autem conſuetudinem vigere Neapoli teſtatur Thomas Zerola in praxi Epiſcop. ver. Moniales ad 8. quæſt. 1. ver. 4. in fin.

7. Ad extremum moneo, quæ ha-

ctenus hoc §. diſputauimus, ex mente iuris communis dicta eſſe: non attendimus enim priuata quorumdam Ordinum iura. Nam ad ingreſſum in monaſteria S. Claræ, exigitur venia ſummi Pontificis, præterquam in caſibus in regula expreſſis, vltra quos Superiores licentiam facere nequeunt ex Iulio I I. in cap. 9. regulæ, & ex aliis, quæ adducit Collector compendij priuilegior. mendicant, ver. ingreſſus ad monaſteria Monial. à num. 2. neque huic ſtrictiori clauſuræ derogauit Trident. cap. 5. citato, vbi licentiam huius ingreſſus pertinere ad Epiſcopum, aut Superiorem in caſibus neceſſariis voluit. Nam deinde cap. 22. vniuerſim pronunciat ſe ſuis illis decretis nihil voluiſſe derogare ſtrictiori Obſeruantiæ, ſi alicubi vigeat: *Si qui verò Regulares tam viri, quàm mulieres ſint, qui ſub arctiori regula, vel ſtatutis viuunt, eos ab eorum inſtituto & obſeruantia ſancta Synodus amouere non intendit*. Cum igitur S. Claræ monaſteria ſtrictiorem clauſuram ex ſua regula obſeruent, quæ ipſius ſummi Pontificis facultatem in caſibus non expreſſis in regula, poſtulat; illam ſeruare omnino vult Synodus. Quare non placet quod Rodriq. qui tom. 1. qq. Regul. q. 46. art. 6. fuſiùs diſputat de hac re, exiſtimat Superiores S. Claræ, hanc licentiam dare poſſe etiam extra caſus Regulæ, non ſua quidem authoritate, ſed Tridentini, quod illam poteſtatem omnibus Superioribus fecit. Nam reuera Trident. noluit ſuo illo Decreto, aut ſtrictiorem clauſuram, ſicubi ſeruaretur, laxare; aut illam laxandi poteſtatem ſuperioribus concedere, vti ſignificauit cap. 22. Quare aut ſeruanda eſt ſtricta illa regula, aut ad noua priuilegia, vel conſuetudinem, quibus antiquis ſtatutis derogetur, prouocandum erit, vti ſapienter monuit Sanchez cap. 16. cit. num. 20. Qua de re conſule Ordinis S. Franciſci Doctores, vt Mirandá de ſacris Monialib. quæſt. 2. art. 3. Rodriquez cit. & alios eiuſmodi.

Quod ipſum dixerim de fratribus quoque Minoribus, quibus ſua Regula prohibet ingreſſum ad monaſteria Monialium, niſi ex licentia ſummi Pontificis. De cuius regulæ ſenſu vide Collectorem compendij priuilegiorum mendicantium, ver. Ingreſſus ad monaſteria Monialium, num. 1. Rodriq. art. 3. quæſt. 46. citat. & alios ipſorum Doctores: nos enim priuata iura non moramur.

§. IV.

Qualis ſit iſta licentia, & quomodo concedenda.

PROPOSITIO Vniuerſalis.

LIcentia egreſſus & ingreſſus ad monaſteria Monialium non eſt vera diſpenſatio; requirit tamen cauſam legitimam, & in ſcriptis tradi debet: alioquin ex rigore iuris nulla eſt.

Expoſitio & confirmatio Propoſitionis.

8. DIxi primò, hanc licentiam veram diſpenſationem non eſſe: quia vera diſpenſatio fit in lege obligante; at verò cum datur iſta licentia, impletur ipſa lex, cuius materia eſt prohibitio ingrediendi, aut egrediendi abſque facultate Superioris tali

tali modo & ratione conceſſa, quando itaque conceditur eiuſmodi facultas ab ipſamet lege præſcripta, ſeruatur lex; non autem diſpenſatur in illa: alioquin quotieſcumque Superior vtitur poteſtate ſibi à regula, aut lege conceſſa:& permittit actum,. quem lex & regula ex illius permiſſione fieri volunt, diſpenſaret in lege, quod nullus omnino dixerit. Adde nullum aut Epiſcopum, aut alium Prælatum in lege Pontificia, aut Concilij diſpenſare poſſe: itaque non faciunt Pontifices, & Concilium ſuperioribus & Epiſcopis poteſtatem diſpenſandi in lege clauſuræ, dum permittunt ingreſſum,& egreſſum cum licentia Superioris vel Epiſcopi eo modo, quo in lege indicente clauſuram & omnem alium egreſſum, & ingreſſum prohibente præſcribunt, ſoluſque Pontifex in ea lege diſpenſare poterit, & licentiam iſtam egrediendi vel ingrediendi facere abſque cauſa, atque alio modo & forma, quàm lex ipſa præſcribat.

Neque dicas in quibuſdam caſibus, in quibus aut non eſt recurſus ad Pontificem, aut aliqua grauis neceſſitas vrget,poſſe Epiſcopum in lege Pontificia, atque conciliari diſpenſare;quod fuſiùs in noſtra ſcientia canonica docuimus: nam nullus fingi poteſt caſus in materia, de qua agimus, in quo ex quodam veluti accidenti neceſſaria ſit diſpenſatio Epiſcopi. Quia vrgente eiuſmodi neceſſitate lex facit facultatem Epiſcopo dandi licentiam; ea verò ſufficit ad licitum egreſſum vel ingreſſum, qui poſtulatur: eſſétque inutilis diſpenſatio, vti vides, cum tunc impleatur ipſa lex, fiátque quod ipſa præſcribit. Si verò nulla ſit neceſſitas, poſtulans hunc egreſſum, aut ingreſſum: nihil etiam eſt, quod requirat diſpenſationem Epiſcopi.

Dixi ſecundò hanc licentiam exigere cauſam legitimam: Ita enim 9
Bonifacius, Tridentinum,& alij deinceps Pontifices volunt, qui *rationabilem & manifeſtam* cauſam poſtulant. Itáque docent Ancharan. Franc. Dominic. Ioan. Andr. & alij ſcribentes in c. periculoſo de ſtatu Regular.in 6.ſed de huius cauſæ qualitate dicemus duobus proximis capitibus.Cùm igitur Superior & Epiſcopus nequeant in illa lege diſpenſare, vti iam monuimus, vtpotè à ſuperiore lata, Concilio nimirum & Pontifice, nequeunt eam facultatem dare, niſi ex cauſa & eo modo, quo illis à lege ipſa permittitur.

Dixi tertiò tradendam eſſe in 10.
ſcriptis eiuſmodi licentiam. Ita enim de licentia egreſſus iuſſit Pius V. in ſua conſtitutione *Decori*.Quod omiſerat Bonifacius & Tridentinum. De licentia verò ingreſſus idem omninò præſcripſit Tridentinum ſeſſ.illa 25. cap.5. vbi igitur habemus ius perſpicuum, non eſt, quod Doctorum ſenſa inquiramus.

Dixi quartò licentiam ſine cauſa 11.
legitima & ſine ſcripto datam inualidam eſſe. Et quidem nullitatem iſtam defectu cauſæ concedunt paſſim omnes cum Suar. cap.9.num.14. tum ex illo principio generali in opere noſtro de ſciētia canonica ſtabilito, inferiorem in lege Superioris ſine cauſa inualidè diſpenſare: quod tum de propria, tum de impropria diſpenſatione intelligendum eſt:tum quia actus factus contra formam præſcriptā à lege inualidus eſt, quod etiam vniuerſale principium in eodem opere demonſtrauimus. Præterea, quia Pius V.dum in conſtitutione *Decori*, requirit cauſam legitimam egreſſus ab Epiſcopo cognoſci,

& licentiam in ſcriptis dari : aliter quam vt præfertur egredientes , & licentiam concedentes excommunicatione,aliiſque pœnis afficit : quod profectò non faceret, ſi illæ Moniales ex legitima & valida licentia exirent. Denique nihil poſſunt Prælati & ſuperiores circa hanc legem clauſuræ , & prohibitionem , tum egreſſus , tum ingreſſus , niſi quod ipſis à Pontifice , vel Concilio legis illius authoribus conceditur : illi verò non concedunt facultatem dandi licentiam huius ingreſſus, aut egreſſus , niſi ex cauſa legitima ſiue iuſta & rationabili : ergo niſi ſubſit eiuſmodi cauſa , & licentiam iſtam faciat Epiſcopus & Superior , agunt ſupra ſuam poteſtatem , ac proinde nihil prorſus operantur , neque tuti ſunt in conſcientia , aut euitant pœnas & cenſuras Eccleſiaſticas , qui eiuſmodi licentia vtuntur per ſe loquendo , quia non impletur conditio poſita à Concilio , ac proinde manet prohibitio ab ipſo facta : per accidens tamen excuſari poterunt, cum aut defectum cauſæ ignorant, aut exiſtimant Superiorem, vel Epiſcopum prudenter & validè operari.

12. Hæc omnia probant etiam ſolemnitatem ſcripturæ ad validam licentiam neceſſariam eſſe , cum illam Tridentinum & Pius V. eodem planè modo, quo legitimam cauſam requirant. Itáque communiter omnes ſentiunt , vt tradunt Ferdinand.à Caſtro punct.10. §.2. num.6. Sanch. cap.16. num.32. Et ſanè contractus, qui ex lege aut partium conuentione ſcriptura indiget , ſine illa irritus eſt. l. contractus 16. C. de fide inſtrument. cum Gloſſa ibid. verſ. in ſcriptis.

§. V.

Conſectaria ex doctrina Superiori

CONSECTARIVM I.

An Præpoſita Sanctimonialium poſsit dare licentiam exeundi è monaſterio , aut in illud ingrediendi.

RAtio dubitandi eſt , quia Concilium & Pontifices volunt hãc licentiam dari ab Epiſcopo , vel Superiore , cuiuſmodi non eſt Abbatiſſa , & quocumque alio nomine appelletur Sanctimonialium Præpoſita , vel Superioriſſa,cum nullam habeat iuriſdictionem ſpiritualem , & ſolum poteſtatem quandam œconomicam ad regimen domeſticum.Qua de re fuſiùs Tamburin. de iure Abbatiſſ. diſputat. 12. & 32. & nos in ſcientia canonica 2. part. diſputantes de ſubiecto iuriſdictionis ſpiritualis. Non poterit igitur hanc licentiam dare. 13.

Aliunde tamen Abbatiſſa propter adminiſtrationem monaſterij,& poteſtatem , quam habet in Moniales, quæcumque tandem illa ſit , Prælata & Superioriſſa dicitur monaſterij. Itáque omnino ſupponit Honor.III. in cap. dilecta de exceſſib. Prælatorum , vbi Clericos & Presbyteros Iotrenſis Eccleſiæ,Meldenſis diœceſis *ob vſum proprij ſigilli* contra voluntatem Abbatiſſæ Iotrenſis , *quæ ipſorum caput & patrona erat* cohiberi mandat. Quæ verba quandam Abbatiſſæ etiam in iſtos Clericos iuriſdictionem & ſuperioritatem oſtẽdunt. Deinde in Clement. Attendentes.

dentes. §. ſtatuimus de ſtatu Monachorum, ſtatuit Clemens, vt quæ *ad regimen Abbatiarum aſſumuntur*, intra annum benedicantur, in monaſteriis, quibus Abbatiſſæ ſolitæ ſunt benedici. Vides itaque regimen monaſteriorum penes iſtas Præpoſitas & Abbatiſſas eſſe, ac proinde illas iure optimo ſuperiorisſas nominari: & cum nomine maſculino fœmininum genus paſſim in iure comprehendatur, maximè in fauorabilibus, cur nomine Superioris Regularis, qui licentias, de quibus hoc loco agimus, concedere poteſt ex decreto Concilij Tridentini, & conſtitutione Bonifacij, quibus adhærent reliqui Pontifices, non intelligetur quoque ipſa Abbatiſſa, & Superioriſſa? ad id enim non requirit veram ſpiritualē poteſtatē in Moniales, ſufficerétque domeſtica & ciuilis, qualem habent matres familias in liberos, & magiſtratus in ciues; & vt quæ ad domeſticam gubernationem & regularem diſciplinam pertinebunt, imperare poſſit: quod Abbatiſſæ conuenire certum eſt, immò illi, non communicari quidem clauem iuriſdictionis, ſed aliquem vſum clauium; conſentiunt Sylueſter verb. Abbatiſſa initio, Armill. eodem ver. num. 1. Tabien. num. 5. Sanchez verò lib. 6. in Decalog. c. 1. num. 28. fatetur, Abbatiſſæ iuriſdictionem aliquam conceſſam eſſe à confirmante regulam, quia poteſt cogere ad regularum obſeruationem, & earum trangreſſionem punire: & ad hunc vſum etiam clauium, vti ipſe appellat, pertinere correctionem Monialium ob periculum habitationis virorum cum ipſis, dixit S. Thom. in 4. diſt. 19. quæſt. 1. art. 1. quæſt. 3. ad 4. & diſtinct. 25. quæſt. 2. art. 1. q. 1. ad 2. vbi ait, Abbatiſſam, non habere prælationem ordinariam, ſed quaſi ex commiſſione propter periculum cohabitationis virorum: quia nimirum non poſſet honeſtè illis præfici Prælatus, qui ſimul cum illis habitet, adminiſtratio, & quæ ad illam neceſſaria eſt, iuriſdictio, vni ipſarum cæteris Præpoſitæ commiſſa fuit: atqui ad gubernationem domeſticam, quietem & pacem, ſcandala amouenda & famam monaſterij ſeruandam pertinet omninò clauſura; illi igitur inuigilare debebit, & attendere Abbatiſſa, vt & diligenter ſeruetur, & quod ex eius violatione periculum immineret, cauere ex illa ſua ſuperioritate & prælatione, quaſi ex commiſſione, vt loquebatur S. Thomas, & paterno ac domeſtico regimine, quod illi tribuunt. Victoria, relectione de poteſtat. Eccleſiaſt. quæſt. 2. num. 4. & in ſumm. de Sacrament. vbi de clauib. n. 325. Soto in 4. diſtinct. 20. quæſt. 1. art. 4. verſ. hinc fit, quod Abbatiſſæ. Henriquez lib. 6. de pœnitent. cap. 2. n. 3. & 4. aliique paſſim. Nomine igitur Superioris comprehendetur quoque Abbatiſſa, quoties de clauſura agetur, cum ad illam ſe porrigat illius ſuperioritas, vtpotè ad regimen domeſticum, & obſeruationem regularum, quam vti & votorum vrgere debet, pertinentem.

Confirmatur, quia Abbatiſſa poteſt ſuis Monialibus eandem licentiam concedere aliquid accipiendi, aut expendendi, quam ſuis Religioſis Prælatus. Nam æquè liberam adminiſtrationem bonorum ſui monaſterij habere, atque ipſum Abbatem docent Abbas in cap. 2. num. 4. de his, quæ fiunt à Prælat. Cardin. conſ. 17. num. 5. Rodriquez tom. 1. qq. Regul. quæſt. 17. art. vlt. ſub fin. Rota verò Romana in nouiſſimis. 2. p. deciſ. 216.

num. 12. diſertè affirmat Monialem poſſe de licentia Abbatiſſæ, vel Ordinarij retinere propria, vbi Abbatiſſam Ordinario comparat hac in parte & omnino hanc licentiam capiendi, vel expendendi, ab Abbatiſſa obtineri ſicut & à Superiore tradunt Sorbus in compend. priuileg. mendicant. ver. dare: & qui hanc ſummam ad decem ducata reſpectu vtriuſque limitant Nauarra lib. 3. de reſtitut. cap.1. part.3. dub.1. Corduba in ſumm.quæſt.54. dub.vlt.dict.1. Ludouicus Lopez inſtruct.conſcient. cap.155. & lib.2. de contractib. c.40. qui etiam omnes volunt Abbatiſſam concedere poſſe facultatem retinendi peculij in caſibus, in quibus id Superior permittere poterit: quod etiam dixit Vega tom.2. ſumm. c.32. cap. 19. & Roderiq. tom. 1. ſumm. cap.90. num.9. 2. editione.

Ex qua certa doctrina ſic colligo: non minus obligat Moniales votum paupertatis, quàm clauſura: Si ergo ex eo quod Abbatiſſa habeat adminiſtrationem monaſterij, poterit concedere licentiam circa huius voti materiam: & illa omnia, quæ permittuntur à Superiore, quo nomine in ea cauſa ipſa cenſetur; cur ratione poteſtatis, quam habet gubernandi monaſterij, & vrgendi obſeruantiam regularem, non poterit circa clauſuram illa ipſa, quæ à iure conceduntur Superiori? & cur eo nomine non cenſebitur, maximè cum habeamus hanc cetiſſimam Regulam, omnem tam temporalem, quàm ſpiritualem adminiſtrationem monaſteriorum Monialium pertinere ad Abbatiſſas, vel Præpoſitas, niſi quoad ea, quorum fœmina eſt incapax. Vnde fit vlteriùs, vt quoad alia omnia intelligantur in iure nomine Superioris. Cur autem fœmina eſt incapax poteſtatis dandi licentiam ad exeundum è monaſterio, aut in illud ingrediendum? Cur hæc poteſtas ſupponit in ſuo ſubiecto iuriſdictionem ſpiritualem, potiùs quàm licentia habendi peculij, aut quidpiam retinendi, accipiendi, aut expendendi, quod ſine eiuſmodi licentia nefas eſſet ex voto paupertatis, atque adeò ex diuini, & naturalis iuris obligatione; cum ingreſſus & egreſſus monaſterij ſine licentia Superioris ex lege tantum eccleſiaſtica imperante clauſuram prohibitus ſit? Sanè non apparet, quid inter iſtas licentias habendi peculij, & exeundi è monaſterio interſit, quoad iuriſdictionem ſpiritualem, quam in dante eiuſmodi licentiam ſupponunt: & cur licentia circa clauſuram ſit actus iuriſdictionis ſpiritualis, cuius fœmina eſt incapax: & licentia vtendi re quapiam non ſit eiuſdem iuriſdictionis ſpiritualis actus, ſed ſimplicis tantùm adminiſtrationis paternæ & regiminis domeſtici; & cur cum agitur de iſta licentia, quæ reſpicit votum paupertatis nomine Superioris intelligatur, ex communi iuris interpretum ſenſu Abbatiſſa. Non verò cum agitur de licentia clauſuræ; ſed reuera neutra pertinet ad iuriſdictionem ſpiritualem, ſed eſt actus adminiſtrationis ſpiritualis, quam habere Abbatiſſam nemo negabit, cum in eius benedictione illam ipſi conferat Epiſcopus his verbis: *Accipe poteſtatem regendi hoc monaſterium ſpiritualiter & temporaliter.* Et ſanè cum adminiſtratio Abbatiſſæ tendat ad finem ſpiritualem, & ſpiritualia quoque habeat pro obiecto, nequit eſſe merè ciuilis, & temporalis, ſicut œconomia ſæcularium; poteſtas verò adminiſtrationis ſpiritualis, quæ ſufficit ad licentiam circa

ca votum paupertatis, & obedientiæ, cur non etiam ſufficiet circa clauſuram, vt dixi.

Denique vbi ſaltem ex priuilegio Pontificio Abbatiſſa habet iuriſdictionem aliquam ſpiritualem, cuius capacem eſſe, modò non ſit neceſſariò annexa cum ſacris Ordinibus tradunt Panormitan. Felin. aliíque in cap. dilecta, de maioritate & obedientia, Victoria relect. 2. de poteſt. eccleſiaſt. Suarez tom. 5. in 3. part. diſput. 2. ſect. 3. num. 7. Azor. tom. 1. lib. 13. cap. 11. Layman. lib. 2. tract. 5. part. 1. cap. 3. num. 4. & cæteri paſſim, qualem iuriſdictionem habere dicitur Fontis Eberaldi Abbatiſſa totius ordinis caput in Gallia ex antiquo more, & Pontificum priuilegiis. Tunc igitur poterit licentiam circa clauſuram concedere, vti Bonifac. & Trident. Superiori concedunt.

15. His omnibus accedit ex antiquo iure clauſuram quamuis non adeò rigidam ſanctimonialibus imperante, facultatem fuiſſe Abbatiſſæ exitum è monaſterio ſuis Monialibus, vbi ratio ita poſtularet, permittendi, quamuis ipſa exire non poſſet ſine Epiſcopi facultate, vti retulimus. Concil. Trullan. cap. 46. permittit aſceticam vitam ducentibus, vt ſi neceſſitas inexcuſabilis poſtularit, exeant cum benedictione & cura Præpoſitæ cum Senioribus ſociis, & mandato Præpoſitæ, & ne foris pernoctent. Monachos quoque exire prohibet ſine benedictione Præpoſiti. Quare quoad iſtam exeundi facultatem faciendam comparat Concilium Præpoſitam cum Præpoſito Monachorum. Concil. Cabilon. 2. cap. 62. eumdem egreſſum è monaſterio prohibet ſanctimonialibus Canonicis, *niſi fortè Abbatiſſa pro aliqua ſua neceſſitate incumbente illas mittente.* Ad extremum ſuos etiam authores habet hæc opinio: nam illam docuit Nauar. in ſumm. cap. 28. addit. 2. ad num. 143. cap. 25. exiſtimat Abbatiſſam poſſe permittere ex iuſta cauſa ingreſſum in ſuum monaſterium.

Exiſtimo nihilominus nefas eſſe diſcedere à communiſſima ſententia negante Abbatiſſæ facultatem dandi licentias iſtas egrediendi & ingrediendi: quam opinionem quoque Nauarrus docuit comm. 4. de Regularib. num. 59. Doctores in cap. periculoſo, de ſtatu Monach. in 6. Monach. num. 1. & 2. Dominicus n. 10. Franc. num. 5. Archidiacon. Ioannes Andreas & alij. Azor. 1. part. Inſtit. lib. 13. cap. 8. quæſt. 6. Roderiq. qq. Regular. tom. 1. quæſt. 46. art. 2. Bonacin. quæſt. 1. de clauſura punct. 8. num. 2. & quæſt. 4. punct. 2. num. 5. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 16. num. 22. & cap. 15. num. 28. Suarez tract. 8. de Relig. lib. 1. cap. 10. n. 14. Ferdinand. à Caſtro Palao tract. 16. diſp. 4. punct. 10. §. 2. num. 3. Confectius in priuilegiis mendicantium, tit. 20. cap. 6. Tamburin. de iure Abbatiſſ. diſp. 23. quæſit. 3. Probant vulgò, quia non eſt Abbatiſſæ indicere clauſuram, ipſáque illa tenetur: Quæ ratio vti aduertit Suarez, nihil vrget: poterit enim Abbatiſſa teneri clauſura, & ſine ſui Superioris facultate exire non poſſe, & tamen habere facultatem permittendi aliis aut egreſſum, aut ingreſſum: & quamuis illa nequeat clauſuram indicere; tamen vbi indicta eſt, illi inuigilare debebit, atque adeò, quæ ad illam pertinebunt, ipſi permitti potuerunt, ſicut quæ pertinent ad materiam paupertatis, & aliorum votorum religioſorum, quoties iu- 16.

riſdictionem ſpiritualem non neceſſariò poſtulant, ſed ſolius adminiſtrationis actiones ſunt, illi committuntur, vt dicebat obiectio. Quare exiſtimat Suar. in cap. periculoſo in illis verbis: *Ac de illius, ad quem pertinuerit licentia*, poſſe comprehendi Abbatiſſam ſi antea, aut ex regula, aut ex conſuetudine ad illam id pertinebat. Itaque idem Suárez communem ſententiam probat ex eo quod Concilium vbi dixit Epiſcopum tantum & Superiorem dare poſſe licentiam iſtam ingrediendi, addat: *Neque alius vllo modo poſſit etiam vigore cuiuſcumque facultatis, vel indulti hactenus conceſſi, vel in poſterum concedendi.* Quibus verbis ait Cōcilium reuocare omnem conſuetudinem, vel priuilegium, vel alium quemlibet titulum, qui hanc poteſtatem Abbatiſſæ, aut alij cuicumque non Superiori illius monaſterij contuliſſet. Verùm non docet Suar. cur nomine Superioris, non intelligatur quoque Abbatiſſa, maximè ſi ex antiqua conſuetudine & iure fuerit Superior in hac re, vtpote ad iuriſdictionem ſpiritualem non pertinente; ſicut quando dicitur Monachum nihil proprium habere, aut poſſidere poſſe, & ſine licentia Superioris, nomine Superioris intelligitur quoque Abbatiſſa, vti pluribus docuit obiectio. Quia ſimili ratione reiicitur quod Bonacin. & Tamburin, dicunt per dictionem excluſiuam *tantum*, qua vtitur Tridentinum, excludi illum omnem, qui non ſit, aut Epiſcopus, aut Superior. Nam reſpondebitur Abbatiſſam eſſe Superiorem, vt in aliis allatis caſibus. Quod amplius confirmatur ex eo, quod, ſi nomine Superioris intelligatur eo loco ille duntaxat, qui habet plenam iuriſdictionem ſpirituale in monaſterium, atque adeò excludatur Abbatiſſa, cū Concilium dicat nullum alium vigore cuiuſcumque facultatis etiam in poſterum concedendæ, dare poſſe hanc licentiam: ſequetur Epiſcopum, aut Superiorem, non poſſe delegare hanc facultatem Abbatiſſæ, quam conſequentiam fatetur vltrò Suarez, negant tamen paſſim alij; immò Bonacin. cenſet hanc delegationem, ſiue commiſſionem factam Abbatiſſæ ſæpiùs neceſſariam eſſe. Denique Sanchez ait ex verbis & totius contextus ſerie, atque rei ipſius grauitate colligi mētem Concilij non fuiſſe licentiam iſtam permittere prudentiæ mulieris. Quod tamen ſingillatim non oſtendit Sanchez.

Mihi tamen ſatis perſpicuum videtur ſi Concilij Tridentini verba cum Pij V. qui illud declarauit, conſtitutione componamus. Atque in 17. primis cum omnia monaſteria Monialium, vel ſubiecta ſint pleno iure Epiſcopis, vel Sedi Apoſtolicæ immediatè, vel denique Superioribus Regularibus, quæ exempta dicuntur, eo quod per priuilegium iuriſdictioni ordinariæ Epiſcoporum ſubducta fuerint. In monaſteriis non exemptis Epiſcopus ſolus facit has licentias, vt diſertè habet Tridentinum & Pius V. illud declarans, vel ordinaria ſua poteſtate, vel ſibi ab Apoſtolica Sede delegata. Neque in his monaſteriis poteſt Abbatiſſa ſibi hoc ius tribuere; quamuis enim non excedat ius adminiſtrationis ſpiritualis, & non magis requirat iuriſdictionem ſpiritualem, quàm licentiæ, quæ ab ipſa dantur in materia paupertatis, aut obedientiæ; tamen propter rei grauitatem, & maxima incommoda, quæ inde timebantur,

mebantur, voluit Concilium & Pius hanc facultatem reſeruare Epiſcopo in eiuſmodi monaſteriis. Quod attinet ad alia monaſteria exempta, relinquit eam facultatem Superiori, quo nomine non intelligit, niſi illum, cui pleno iure monaſterium ſubiicitur, non autem Abbatiſſam: illa enim non habet in eiuſmodi monaſteria exempta aliam poteſtatem, quam habeat in monaſteria non exempta. Si ergo in iſtis monaſteriis noluit hanc poteſtatem credere Abbatiſſæ Concilium & Pontifex; ſed ſoli Epiſcopo, cui in eo caſu dedit poteſtatem etiam in monaſteria ſoli Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiecta, ne ea videlicet facultas in manibus ſolius Abbatiſſæ, aut Præpoſitæ remaneret, quis dicat illam tribuiſſe Abbatiſſæ in aliis monaſteriis exemptis, quæ ſuis Superioribus Regularibus ſubiiciuntur, cum ex ea facultate Abbatiſſæ relicta in illis monaſteriis eadem omninò incommoda & pericula timeri debeant, quæ in aliis non exemptis, vt patet? Deinde cum Epiſcopum & Superiorem, nominat Concilium cum particula excluſiua *tantum*, ſanè Superiorem opponit Epiſcopo, eóſque quoad iuriſdictionem in illa monaſteria comparat: ita vt Superior ille poſſit in monaſteriis ſibi ſubiectis quod poteſt Epiſcopus in aliis. Eiuſmodi autem Superior eſt illo duntaxat, qui plenò iure Superior eſt, non autem Abbatiſſa, aut alius quicumque propter aliquam adminiſtrationem ſpiritualem, licet nomen Superioris aliqua ex parte, ſiue ſecundum quid & minus propriè participet. Vndè Rodriquez & alij quidam per Superiorem eo Concilij loco intelligi volebant Generalem, aut Prouincialem; eo quod iuriſdictionem veluti Epiſcopalem habeant. Præterea ſi agamus de licentia faciendi facultatem Monialibus exeundi è ſuo monaſterio, manifeſtum eſt eam ab Abbatiſſa fieri non poſſe: Nam illius cauſa approbanda eſt ab Epiſcopo, vt ait Concilium, quod etiam in monaſteriis exemptis ſeruandum eſſe voluit Pius V. Et quamuis approbatio cauſæ & conceſſio licentiæ non ſint vnum & idem; cum tamen licentia illa non detur ab Abbatiſſa in monaſteriis non exemptis, ſed à ſolo Epiſcopo; non dabitur etiam in aliis exemptis, cum Pius V. requirat approbationem cauſæ ab Epiſcopo præter licentiam Superioris Ordinum illorum, quo nomine nequit intelligi Abbatiſſa, neque enim illa Superior Ordinis vnquam dicitur. Denique eodem modo de licentia egrediendi, atque de licentia ingrediendi ſentiendum eſt. Quare ſi licentia ingrediendi non permittatur Abbatiſſæ; neque etiam licentia egrediendi facienda Sanctimonialibus, immò multo minus, cum licentia egrediendi difficilius multò concedatur; vnde illius cauſam vult Tridentinum approbari ab Epiſcopo; quod ad monaſteria quoque exempta extendit Pius V. Licentiam verò ingrediendi pertinere ad ſolum Epiſcopum & Superiorem, qui Epiſcopo in ſibi ſubiectis monaſteriis comparatur, iam diximus. Et ſanè Pius V. in conſtitutione nuper citata, *Etſi mendicantium Ordines*, in qua plurima Tridêtini loca explicat, quibus aliqui aduerſus ordines mendicantes abutebantur, vbi cap. 5. ſeſſ. 25. de ingreſſu iſto monaſteriorum exponit illud, *De Epiſcopi, vel Superioris licentia in caſibus neceſſariis*, intelligendum eſſe ait de monaſteriis, quæ Ordinariis pleno iure ſub-

ſunt, in quibus ſolis & non aliis Ordinarij licentiam illam dare poſſunt: ergo qui eam licentiam facit, debet habere pleno iure ſibi ſubditum monaſterium. Quare neque Epiſcopus, neque Superior eam licentiam validè concedunt, niſi in monaſteriis ſibi pleno iure ſubditis, quod nunquam conuenit Abbatiſſæ. Neque obiicienda eſt antiqua praxis; tum quia ſtrictior multò eſt clauſura poſt Bonifacij, Tridentini & conſequentium Pontificum ſanctiones, quàm fuerit priſcis illis temporibus: tum quia nunquam Præpoſitæ monaſteriorum fecerunt illas licentias, niſi in caſibus à Synodis præſcriptis; & eo modo, ac ratione, quam ipſæ ſanctiones eccleſiaſticæ iubebant: Exitum verò permittebant in excuſabili neceſſitate vrgente, aſſignatis ſenioribus aliquot ſociis, neque pernoctare extra domum permittebant: qua vrgente neceſſitate neque hodie fortaſſis Superioris conſenſus expectandus erit. Viris autem quibus ſolis ingreſſus in monaſteria prohibebatur, nunquam illum permittebant Abbatiſſæ, niſi illis, quibus leges eccleſiaſticæ permitti volebant; Clericis nimirum ad diuina officia & *vaſſis, ac ſeruis, vbi neceſſitas operandi incumbebat*; vti conſtat ex canonibus ſæpiùs relatis, in quibus nunquam reperies fuiſſe in arbitrio Præpoſitæ has licentias darè, illámque debuiſſe mendicare facultatem ab Epiſcopo, vti etiam retulimus, ſi quando exire è monaſterio cogeretur. His omnibus tandem accedit Doctorum vnanimis ſenſus, neminem enim vnum vidi, qui hanc facultatem tribuerit Abbatiſſæ. Nauarrus enim ſibi non conſtitit, & noſtram ſententem apertè docuit; vbi verò de mente legis dubitatur, omnium Interpretum & Doctorum nemine repugnante conſenſus magnam apud ſapientes, authoritatem habere debet.

Consectarium II.

An, quando non licet ſuperiorem adire, Abbatiſſa poſſit dare licentiam ingrediendi monaſterium; an ea facultas illi delegari poſſit, & an eius conſenſus ſit neceſſarius?

Hæc tria dubia ſequuntur tum ex doctrina vniuerſali à nobis tradita, tum ex Superiori conſectario: nam quamuis Præpoſita monaſterij non habeat facultatem ordinariam dandi iſtas licentias; poterit illam tamen extraordinariam habere ex mente ipſiuſmet Eccleſiæ in quibuſdam vrgentibus caſibus, in quibus Superior adiri nequit: tunc enim æquitas poſtulare videtur, vt Superioriſſa hanc obtineat facultatem, vti in aliis multis caſibus occurrit, in quibus inferiores diſpenſant in lege Superioris, quem adire non patitur neceſſitas tunc vrgens: quod verius fuerit, quando non eſt opus propria diſpenſatione, ſed ſola licentia in caſibus à lege præſcriptis. Secundò, poterit eiuſmodi poteſtatem Abbatiſſa ex commiſſione & delegatione Superioris, vel Epiſcopi accipere. Cur enim cum non pertineat neceſſariò ad iuriſdictionem ſpiritualem, non poterit Abbatiſſæ committi, maximè ſi id neceſſarium eſſe videatur? Denique cum in pluribus aliis negotiis neceſſarius ſit monaſterij conſenſus, atque ipſius Abbatiſſæ, cur in iſta re non requiretur, quando ita poſtulare videtur monaſterij quies, 18.

quæ

quæ ingreſſu illo perſonarum externarum perturbari poterit, & quem ea de cauſa prohibet Eccleſia, vti diximus cap. 1. maiórque profectò erit illa perturbatio, ſi externi ex licentia ſolius Superioris reluctante Præpoſita, ipſóque aliquando monaſterio ingrediantur.

19. Ad primam quæſtionem reſpondeo & dico primò, quando Abbatiſſa habet à Prælato generalem facultatem concedendi licentiam, & vrgente neceſſitate ipſe Prælatus adiri nequit: tunc habenda eſt licentia Abbatiſſæ, quia illa tunc eſt legitima Prælata; neque vlla neceſſitas excuſat ab obtinenda huius licentia. Ita Nauarr. comm. 4. de Regular. n.60. Graffis 1. part. deciſion.lib.4.cap.23. num.6. Sanchez cap.16. num.35.

20. Dico ſecundò: quando Abbatiſſa nullam habet facultatem concedendæ licentiæ ex commiſſione ſibi facta à Prælato, & caſus vrget, neque licet Prælatum adire; poſſe tamen illam concedere, & neceſſariò ab illa petendam eſſe. Ita Roderiq.q.46. cit. art.2. & quæſt. 47. art.4. fin. vbi præterea licentiam diſcretarum requirit. Sanchez verò cap.16.cit.n.37. contentus eſt licentia Abbatiſſæ, ſicut & Barboſa allegat. 102. cit. num.39. niſi aliud priuatæ Regulæ & conſtitutiones poſtulent; quia ex præſumpta Prælati voluntate, tunc ad Abbatiſſam pertinet ea licentia, ſicut vbi periculum eſt in mora conſulendi Pontificis expectanda eſt Epiſcopi diſpenſatio, eáque neceſſaria eſt, vti ſuperiùs dicebamus.

21. Ad ſecundam quæſtionem reſpondeo delegari poſſe Abbatiſſæ, ab Epiſcopo facultatem dandi licentias iſtas; immò ita fieri debere exiſtimant. Nauarr. comm. 4. de Regularib. num. 60. Graffis q. pr. deciſion. lib.4. cap.23. num.6. in fin. Sanchez cap.16. num.23. Tamburin. diſp.23. de iure Abbatiſſ. quæſit.3. Bonacin. quæſt.4. de clauſura punct.2. num.5. Negat verò Suarez lib.1. tract.3. de Relig. cap.10. num. 14. Quia Concilium cap.5. ſæpiùs cit. negat vllum præter Epiſcopum, vel ſuperiorem habere poſſe hanc facultatem vi illius indulti, & priuilegij aut conceſſi hactenus, aut in poſterum concedendi. Nequit igitur illi, qui non fuerit Superior conuentus, fieri illa facultas, cùm id apertè prohibeat Concilium, quod non agit ſolùm de facultatibus hactenus conceſſis, quas reuocat; ſed etiam de concedendis, quamquam non adimat poteſtatem Pontifici illas concedendi, vt patet ex aliis principiis vniuerſalibus in noſtra ſcientia Canonica ſtabilitis.

Quia tamen vrgent varij caſus, qui hanc facultatem permitti Abbatiſſæ poſtularent, ſapienter exiſtimauit Ferdinand. à Caſtro Palao diſp.4. cit. punct. 10. §.2. num.4. Prælatum concedere poſſe facultatem ingrediendi illa monaſteria, cui Abbatiſſa, vel Confeſſarius iudicauerit expedire; quo caſu reuera Abbatiſſa non dabit licentiam; ſed ipſe Prælatus, qui ſolùm iudicium cauſæ ingreſſus permittit Abbatiſſæ: atque ita occurritur variis incommodis quæ oriri poſſent ex rigidiori illa Concilij conſtitutione, & illa integra ſeruatur.

Ad tertiam quæſtionem reſpondeo licentiam ordinariam ingrediendi, immò & egrediendi ſemper ſupponere conſenſum Abbatiſſæ & conuentus; alioquin eſſet magna perturbatio: & non credendum eſt ſuperiorem contra voluntatem Abbatiſſæ eam licentiam dare. Ita Ferdinand. 22.

nand. §. 2. cit. num.8, Suar. cap.10. cit. num. 12. qui tamen addit poſſe aliquando, ſi res ita poſtulet ſuperiorem non modò dare licentiam ingrediendi; ſed etiam præcipere, atque cogere Moniales, ne ingreſſum illum impediant. Neque aliud voluit Barboſa allegat. 102. num.40. cum dixit ſolùm conſenſum Epiſcopi, vel Superioris ſufficere. Loquitur enim de licentia ordinaria, & non de præcepto, quod aliquando Superior, ſi cauſa id exigat, poterit imponere.

CONSECTARIVM III.

An quilibet & ſolus monaſterij Prælatus poßit licentiam in illud ingrediendi concedere.

23. POteſt aliquando monaſterium alicui peculiari, & priuato Clerico, aut etiam Religioſo pleno iure propter varias cauſas à Pontifice ſubiici: quo caſu duo quæruntur; an ille Clericus, aut Religioſus poſſit dare licentiam, de qua agimus; an verò quærendus etiam ſit Epiſcopi, vel illius qui Religioſi Superior eſt, conſenſus? Secundò an licet iſte Clericus, vel Religioſus poſſit eam licentiam facere, idem quoque poſſit facere Epiſcopus, & Religioſi Superior?

Reſpondeo cum Sanchez cap.16. num. 16. Roderiq. tom.1. quæſt.46. art.5. ſub fin. Bonac. diſput. de clauſura quæſt.4. punct.2. num.4. Solum iſtum Prælatum, ſiue ſuperiorem hanc licentiam dare poſſe: quia illi ſoli ſubditur monaſterium, non Epiſcopo; aut illius Religioſi Superiori: quare nihil iuris ſibi in illud monaſterium arrogare poſſunt, etiamſi Superiores ſint illius, qui eiuſmodi monaſterio præficitur. Poterunt tamen inquirere, dum viſitant, an hic Prælatus peccauerit in iſtius facultatis vſu, ſicut & de aliis criminibus ab ipſo in ſacros Canones commiſſis: Sic enim nullam exercent iuriſdictionem in monaſterium, aut in Moniales ſibi non ſubditas, ſed in monaſterij Prælatum ſibi ſubiectum. Neque enim illum monaſterij cura eximit à ſui Superioris iuriſdictione & correctione, niſi dum præficitur illi monaſterio quoad illa, quæ circa illud geret, eximatur peculiari priuilegio.

CONSECTARIVM IV.

An vicarius generalis Epiſcopi poßit cauſam egreſſus approbare & iſtas licentias dare?

AGo de Vicario generali Epiſcopi, non de Vicario, vti appellant Foraneo, qui in aliqua tantùm ſpeciali parte diœceſis, aut ad certam aliquam cauſam delegatur: & proinde habet tantùm poteſtatem delegatam, & non iuriſdictionem ordinariam: vnde ab ipſo ad Epiſcopum prouocari poteſt: quia non facit vnum cum ipſo Tribunal. At verò Vicarius generalis & ordinariam habet iuriſdictionem, & vnum facit tribunal cum Epiſcopo, & nomine ordinarij in omnibus decretis etiam Tridentini intelligitur, & illi ex officio Vicariatus competunt omnia, quæ pertinent ad Epiſcopum ex ordinaria poteſtate, & non ex iure aliquo ſpeciali, ratione dignitatis aut alio quopiam particulari titulo non comprehenſo in iuriſdictione ordinaria Epiſcopali. Quæ omnia 24.

fuſiſſimè

ſuſiſſimè demonſtrat Sanchez lib. 3. de matrim. diſput.29 .& nos 2. part. ſcientiæ Canonicæ agentes de iuriſdictione ſpirituali.

Vicarium itaque generalem Epiſcopi poſſe approbare cauſam egreſſus Monialium è monaſterio, quam ab Epiſcopo approbandam vult Tridentin. cap.5. & Pius V. in ſua conſtitutione *Decori & honeſtati*, atque etiam tum licentiam exeundi, tum ingrediendi concedere reſpectu monaſteriorum ſubditorum Epiſcopo; non verò circa monaſteria exempta aut Sedi Apoſtolicæ ſubiecta docent Sanch. lib.6. in Decalog. c.15. n.30. Merolla tom.1. diſput.Theolog.Moral. diſput.1. cap.2. differentia 4. numer.488. Bonacin. quæſt.4. de clauſura punct.2. num.2. & q.1. punct.9. num.3. Llamas in methodo curationis in appendice. §. 5. Qui duo poſtremi extendunt hanc Vicarij iuriſdictionem etiam ad monaſteria Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiecta. Indefinitè etiam loquitur Barboſa allegat.102.num.28. Qui tamen ad licentiam ingrediendi concedendam requirit in vicario ſpeciale mandatum eadem allegatione n.38. Quod non faciunt circa approbationem cauſæ egreſſus & licentiam exeundi Victorell.de origin. & clauſura Monialium §. an ſolus Epiſcopus. Tamburin. diſputat.20. de iure Abbatiſſ. quæſt.5. diſput.verò 33. quæſt.1.n.3. exigit ad licentiam ingreſſus ſpeciale mandatum. Quod diſcrimen inter licentiam ingrediendi & egrediendi, atque cauſam egreſſus approbandi diſplicet Sanch. cap. 16. num. 14. Cum in his omnibus idem dicendum ſit, eodémque modo loquatur Concilium & Pius V. & nulla ſit ratio, propter quam potius licentia ingrediendi indigeat ſpeciali mandato, quam egrediendi & cauſam egreſſus approbandi. Probant autem ſuam ſententiam: quia nomine Epiſcopi intelligitur eius vicarius in omnibus, quæ ad eius ordinariam iuriſdictionem ſpectant, niſi res aliena ſit à Vicario. Deinde in citata conſtitutione Pij V. dicitur cauſa egreſſus è monaſterio approbanda eſſe per Epiſcopum, aut alium ordinarium: ille autem alius Ordinarius Vicarius Generalis eſt, qui nomine Ordinarij ſępius in iure ſignificatur, vti iam monuimus. Denique quia eodem modo monaſteria Monialium ipſi atque Epiſcopo ſubduntur, vt ait Nauar. conſil.9. num.2. de ſtatu Monach. in 2. editione, niſi igitur ſibi aliquid reſeruarit Epiſcopus, poterit Vicarius Generalis omnia, quæ poteſt Epiſcopus. Vnde cum Epiſcopus non habeat poteſtatem ordinariam in monaſteria Sedi Apoſtolicæ ſubdita, neque in exempta & Regularibus ſubiecta, non poterit in illis Vicarius Generalis, aut cauſam egreſſus approbare, aut licentiam ſiue egrediendi ſiue ingrediendi concedere: quod tamen diximus poſſe Epiſcopum modo ſuperiùs explicato §.1. Quia poteſtas extraordinaria, & Epiſcopo delegata non communicatur eius Vicario Generali.

Exiſtimo nihilominus Vicarium indigere ſpeciali mandato ad dandas omnes iſtas licentias & approbandam cauſam egreſſus pro quibuſcunque monaſteriis etiam Epiſcopo ſubiectis. Ita Ferdinand. à Caſtro diſputat.4. citat. punct.9. num.10. Suar. lib.1. tract.8. de Relig. cap.10. n.11. & alij, qui referunt apud Barboſam num.28. & 38. allegationis 102. ita fuiſſe deciſum à ſacra congregatione, quæ illam facultatem concedit 25.

N Vicario

Vicario Generali, ſed ſpeciale mandatum habenti: quod fortaſſis etiam volunt plures ex aduerſariis, dum abſolutè affirmant eam poteſtatem eſſe penes Vicarium generalem: nihil enim aliud volunt, quàm quod ſignificat ſacra Congregatio, nimirum hanc facultatem, cum pertineat ad iuriſdictionem Ordinariam eſſe delegabilem Vicario; non intelligi tamen conceſſam, niſi ſpecialiter exprimatur propter rei grauitatem. Fauet omninò Pius V. quem malè pro ſe adducunt aduerſarij. Cum enim vult cauſam egreſſus approbari per Epiſcopum, aut alium Ordinarium, non ſignificat Vicarium generalem, qui non eſt alius Ordinarius à ſuo Epiſcopo. Intelligit itaque Prælatum quemlibet non Epiſcopum, habentem tamen iuriſdictionem Epiſcopalem. Neque omnia, quæ iure Ordinario conueniunt Epiſcopo, intelliguntur commiſſa Vicario generali, ſed aliqua requirunt ſpeciale quandoque mandatum: quia in generali illa clauſula: *Dantes & concedentes plenam & liberam poteſtatem*, non continentur ea, quæ veroſimiliter non eſt conceſſurus Epiſcopus, neque quæ mandatum ſpeciale exigunt; immò etiamſi adderetur clauſula, qua concedantur omnia, quæ ſpeciale mandatum poſtulant, niſi tamen ea ſigillatim exprimantur, non cenſentur eſſe conceſſa, vt disertè tradit Gloſſa vlt. in cap. 2. de offic. vicarij in 6. & fuſiùs Molin. tract. 5. de iuſtitia diſp. 10. n. 9. Sic in generali vicariatus conceſſione non venit beneficiorum collatio, niſi ſpecialiter ſit commiſſa cap. vltim. de officio vicarij in 6. & ibi Doctores, Marcheſan. de commiſſiòn. part. 1. cap. 6. num. 68. Anaſtaſ. Germon. de indultis Cardinal. §. tibi quoad vixeris num. 86. 87. Zerola in praxi ver. vicarius §. 9. Couar. lib. 5. variar. cap. 20. num. 7. Flamin. de reſignat. lib. 7. quæſt. 21. num. 9. & q. 24. num. 4. & 52. Sbrozi. lib. 1. quæſt. 7. cap. 1. num. 11. & lib. 2. quæſt. 71. num. 1. Azor. tom. 2. lib. 5. cap. 44. quæſ. 1. Garcias part. 5. de benefic. cap. 8. num. 8. Vgolin. de poteſtate Epiſcopi cap. 4. §. 7. num. 2. Filliuc. tract. 41. cap. 2. num. 48. Ferdinand. à Caſtro Palao tract. 13. diſputat. 2. punct. 30. & alij. Quis tamen neget collationem beneficiorum pertinere ad iuriſdictionem ordinariam Epiſcopi? Nequit etiam Vicarius ſine ſpeciali mandato beneficiorum reſignationes admittere & approbare, aut præſentatum à Patrono inſtituere, beneficium ſupprimere, aut erigere, & iuriſpatronatus fundationi conſenſum præſtare, beneficia vnire, aut è contrario vnionem irritare, & Eccleſias diuidere, aliáque quamplurima, quæ latè proſequitur innumeris Doctoribus allegatis Barboſa de poteſt. Epiſcop. allegat. 54. à num. 60.

Ex quibus videas non bene colligi ab aduerſariis facultatem Vicarij generalis circa licentias egrediendi, aut ingrediendi in monaſteria Monialium, eo quod illa pertineat ad poteſtatem ordinariam Epiſcopi; inde enim non ſequitur commiſſam fuiſſe neceſſariò eius Vicario abſque ſpeciali mandato; cùm illud in pluribus aliis, quæ non minus pertinent ad ordinariam iuriſdictionem, exigatur, vt vides; atque vt aliquid afferam quod magis ad facultatem, de qua agimus, accedat, indiget Vicarius ſpeciali mandato, vt iuxta Trident. ſeſſ. 25. cap. 17. puellæ habitum regularem ſuſcipere, aut profeſſionem emittere volẽtis animum exploret.

exploret, ex Sbroz. lib.2.quæſt.208. & vt authoritatem ædificationi monaſterij ex teſtamento relictam præſtet ex eodem Sbroz.lib.2.q.199.n.1. & Calderin. conſ. 3. de officio Vicarij: Neque in locis,in quibus Epiſcopus eſt loco Abbatis, poteſt eius Vicarius impertiri licentiam Monacho ſtudiorum cauſa è monaſterio in vniuerſitatem proficiſcendi.Ita Abb. conſil.88.num.5. Sbroz. lib.2.q.200. num.2.& 3. Quæ ſanè non ſunt tanti momenti, quanti eſſe videtur licentia, de qua agimus, quam idcirco Tridentinum Epiſcopo videtur reſeruaſſe.

CONSECTARIVM V.

An Capitulum ſede vacante poſſit has licentias concedere?

26. RESpondeo poſſe, quod omnes æquè fatentur: quæ enim ad Epiſcopi iuriſdictionem ſpectant,Sede Vacante pertinent ad Capitulum: & ideò hanc facultatem etiam circa monaſteria Sedi Apoſtolicæ ſubiecta agnoſcit Ferdinand. aliique. Neque obſtat, quòd ea, quæ conceduntur Epiſcopo iure ſpeciali tanquam delegato Sedis Apoſtolicæ, non deueniant ad Epiſcopum:id enim verum eſt de iis, quæ conueniunt iure ſpecialiſſimo, non autem iure ſpeciali, & niſi prohibeantur, vide Barboſam de officio Epiſcopi, allegat. 39. num.8. Inde quoque fit, vt Capitulum hanc facultatem concedere poſſit Vicario generali, aut prouiſori etiam monaſterij à ſe conſtituto, vti docuit Ioan.de la Cruz lib.1.de ſtatu Religioſo cap.5.concl.3. notab.1.

CONSECTARIVM VI.

An Prælatus, qui poteſt aliis facere licentiam ingrediendi monaſteria Monialium poſſit illam ſibi ſumere?

RESpondeo & dico illum,& omnẽ Prælatum, vbi eædem vrgebunt cauſæ, propter quas aliis licentiam concederet, poſſe illam ſibi ſumere. 27.
Ita Sanchez lib.6. in Decalog. c.16. num.25. Nauar. conſil. 6. aliàs 9. de ſtatu Monach. Azor.1.part. inſtitut. lib.13. cap. 8. quæſt. 9. Rodriquez tom.1. qq. Regular. quæſt. 46. art.5. Barboſa allegat. 102. de officio Epiſcopi. num. 43. Ferdinand. à Caſtro Palao tract.16. diſput.4. part.10. §.2. numer.5. Miranda de ſtatu Monial. quæſt. 2. art.14. concluſ. 1. Corduba quæſtionarij lib.5. quæſt. 31. Bonac. quæſt.4. de clauſura punct.2. num.9. Suarez tract.8. de Religione cap.10. num.23. Tamburin. de iure Abbatiſſ. diſputat. 24. quæſit. 8. & alij paſſim; quia vbi iuriſdictio non eſt ſacramentalis, neque contentioſa, ſed voluntaria, poteſt illam idem in ſeipſum exercere, & plurium perſonas ſuſtinere, modò exercitium vnius actus non pugnet cum exercitio alterius, quod fuſiùs probat Abb.c.ex literis num.11. de probat. Sanè ex l. ſi conſul. ff. de adoption. filiusfam. qui præſes eſt, poteſt ſeipſum emancipare & in adoptionem tradere. Et ex l. vna. ff. de offic. conſ. conſul poteſt apud ſemetipſum ſeruum manumittere, atque ita perſonam Domini & Conſulis ſimul ſuſtinebit: quod æquè in aliis omnibus contingere poſſe contendit Abb. in caput citatum num.12. niſi in aliquo caſu, id iure ſpeciali interdicatur, ſicut

prohibetur collatori beneficij ſibiipſi illud conferre cap. fin. de inſtitut. quia, vt ibid. diſput. Abb. num. 5. res eſſet pernicioſi exempli. Quod verò in eo textu dicatur inter dantem & accipientem neceſſariam eſſe diſtinctionem, atque adeò neminem poſſe ſibiipſi conferre beneficium: non eſt ratio vniuerſalis & adæquata vti ibid. diſſerit Abbas multis adductis textibus, in quibus idem plures perſonas ſuſtinere poteſt, vt diximus. Eſt itaque ſpecialis ratio ad vitãdum ambitionis exemplum: quæ eadem ratio affertur in cap. per noſtras de Iurepatronatus. Cur Patronus nequeat ſeipſum præſentare: *Quia nullus ingerere ſe debet Eccleſiaſticæ prælationis officiis.* Ex quibus aliiſve quamplurimis oſtendimus 1. parte noſtræ ſcientiæ Canonicæ cum communi Doctorum poſſe ſuperiorem cum ſeipſo diſpenſare in illis ipſis caſibus, in quibus cum aliis diſpenſare poſſet, quod veriùs multo fuerit, quando non eſt vera, ſed impropria tantum diſpenſatio, & quædam licentia duntaxat, qualem eſſe in noſtro caſu diximus ſuperiùs §. 2. poſſe enim ſuperiores vti licentia quam poſſunt aliis concedere conſtans eſt Doctorum ſententia S. Thom. 2. 2. quæſt. 185. articul. 8. Turrecrem. in cap. de Monachis 16. quæſt. 1. Angelus verb. Monach. n. 7. Tabiena verb. Epiſcopus quęſt. 6. Armilla eod. verb. num. 8. Syluest. verb. Relig. 6. quæſt. 10. & eod. 7. q. 12. & verb. teſtamentum 2. quæſt. 2. Corduba in addit. ad Collectorem compendij priuileg. mendicant. ver. accedere ad monaſteria Moniali ad fin. vbi eundem collectorem, qui licentiam, de qua agimus, negarat Epiſcopis, arguit, ratio eſt: quia Prælati peioris omninò conditionis eſſent, quàm ſubditi: cum enim careant ſuperiore, aut illum ſaltem facilè adire nequeant, vix vnquam aliquid facere poſſent eorum, quæ Regula facere permittit cum licentia & venia Superioris.

Secundò, vt omnem dubitationem, quam aliqui malè excitabunt 28.
in hac parte remoueret Greg. XIII. in ſua conſtitutione *dubiis, quæ emergunt* an. 1581. die 25. Decemb. *Declarauit tam ſæculares, quàm Regulares, quibus cura & regimen monaſteriorum Monialium quouis modo incumbit, facultate ſibi ex officio attributa ingrediendi monaſteria prædicta, ita demum vti poſſe, ſi id faciant in caſibus neceſſariis & à paucis, iiſque ſenioribus ac Religioſis perſonis comitati.* Quibus verbis Pontifex tanquam certum & indubitatum ſupponit eiuſmodi Superiores habere, *facultatem ſibi ex officio attributam ingrediendi prædicta monaſteria:* Neque illam, aut denuò confert, aut reſtituit, ſed ipſius vſum moderatur, vt ſcilicet in caſibus duntaxat neceſſariis ea vtantur, & cum certo quodam comitatu, quem præſcribit. De quibus duabus conditionibus dicemus inferiùs: modò contendimus duntaxat Superiores licentia, quam aliis concedunt, ingrediendi monaſteria Monialium, vti poſſe, vbi eadem vrgebit neceſſitas & cauſa legitima.

Neque nomine Superioris intelligimus hoc loco eum duntaxat, qui iure Ordinario Superior eſt, ſiue qui habet iuriſdictionem Ordinariam; ſed illum etiam, qui delegatam accepit, ſiue vniuerſalem, ſiue limitatam ad certas perſonas & officia, modò in illis perſonis ipſe contineatur & officium illud exercere poſſit. v. g. quis habet poteſtatem

dandi

dandi licentiam confeſſario ingrediendi monaſterium, ſi ipſe ſit Confeſſarius, poterit illa licentia vti: ſi autem ſit licentia pro ſolis Confeſſariis Monialium, ipſéque vnus ex illis non ſit, nequaquam licentiam ſibi ſumere poterit: ſi licentia ſit pro ruſticis, nequaquam illi ſit ea licentia.

Consectarium VII.

An ſi Epiſcopus nolit approbare iuſtam cauſam egreſſus Monialis, poſſit illa nihilominus exire?

29. Diximus §.1. ad Monialis è monaſterio exitum non modò neceſſariam eſſe iuſtam cauſam & licentiam Superioris; ſed præterea debere eam cauſam probari ab Epiſcopo: quod locum duntaxat habere poteſt in monaſteriis exemptis, in quibus Superior eſt diſtinctus ab Epiſcopo: in illis enim alius licentiam egrediendi donat; alius verò cauſam egreſſus approbat: nam quando Superior eſt ipſe Epiſcopus, qui licentiam dat, ſimul & ipſe cauſam probat; alioquin licentiam non daret: & negata approbatione, negatur ſimul ab illo licentia. Ponimus igitur Epiſcopum nolle approbare cauſam huius egreſſus; alioquin legitimam: quærimúſque an iniuſtè negante approbationem Epiſcopo, poſſit nihilominus Monialis tuta conſcientia & abſque clauſuræ violatione exire?

Et quidem ſi dubium ſit de iuſtitia cauſæ, tunc nequit exire Monialis: quia reuera in dubiis ſtandum eſt iudicio Superioris, qui eſt in poſſeſſione imperandi, quod principium fuſiſſimè probauimus in ſcientia noſtra Canonica diſputantes de iure naturali, & conſcientia dubia; quando verò manifeſta eſt cauſæ æquitas, & ideò eius approbationem iniuſtè negat Epiſcopus; Superior verò licentiam dat, poterit exire Monialis, quia tunc non obligatur cum tanto diſcrimine ſeruare externam ſolemnitatem, & iam ſatisfecit Religioni: quandoquidem habet licentiam ſui Prælati, quæ etiam impediet omne ſcandalum, quod oriri poſſet ex eiuſmodi egreſſu inuito Epiſcopo. Itaque neque per ſe tunc obligabitur, neque ratione ſcandali ad non exeundum è monaſterio tanta, támque manifeſta vrgente neceſſitate. Ita Suar. tract.8. de Relig. lib.1. cap. 10. num. 16. & alij in ſeq. conſectario adducendi.

Consectarium VIII.

An iniuſtè negata licentia à Superiore fas ſit Moniali è monaſterio exire, aut alijs in illud ingredi?

In Superiori conſectario agebamus de negatione approbationis cauſæ, cum qua poterat reperiri licentia Superioris: nunc agimus de ipſa negatione licentiæ, quam Superior iniuſtè recuſat, ſiue ille idem ſit Epiſcopus, qui cauſam approbare debeat, ſiue ab illo diuerſus, vti contingit in monaſteriis exemptis. Deinde ſupponimus manifeſtam eſſe cauſam & neceſſitatem huius egreſſus: Si enim dubia foret, non liceret abſque venia Superioris exire; vti iam monuimus. At verò vbi cauſa eſt manifeſta, omnino exire poterit Monialis: ita Suar. loc.cit. Sanchez cap. 15. num. 51. Ferdinand. à 30.

Caſtro Palao tract.16.diſp.4.punct.9. num.11. Quia neque lex eccleſiaſtica, neque votum cenſetur per ſe obligare cum graui detrimento vel propriæ vitæ, vel boni communis, quæ ſunt ſolæ cauſæ legitimæ egreſſus, vti videbimus cap. proximo. Neque inde ſequitur in manifeſtis eiuſmodi cauſis Monialem non teneri licentiam petere: quia cum clauſura (ſiue ex lege eccleſiaſtica, ſiue ex voto obſeruetur) obliget, ne ſine cauſa & licentia Superioris Monialis egrediatur, habenda omnino eſt eiuſmodi licentia, ſi obtineri poſſit, alioquin peccatur in clauſuræ legem. An verò ſi ex egreſſu illo Monialis reluctante Prælato, graue aliquod ſcandalum, & Religionis infamia naſceretur, teneatur Monialis etiam cum vitæ periculo ſeruare clauſuram pendet ex principio vniuerſali de obligatione vitandi ſcandali: de quo fuſiùs in noſtra ſcientia Canonica.

Quod attinet ad ingreſſum in monaſterium Monialium graui vrgente cauſa, & Superiore malè licentiam negante, quamuis de eo Doctores non inquirant, idem dicendum mihi videtur, quod diximus de egreſſu, cum eadem vrgeat ratio, ſeueriórque multò ſit clauſura, quoad egreſſum, quàm quoad ingreſſum, vti monuimus hac ipſa quæſtione, & ſenſus quoque Doctorum facilè colligitur ex iis, quæ docent de caſibus repentinis, in quibus nequit adiri Superior, neque obtineri licentia, de quibus ſit

Consectarivm IX.

An quando vrgens neceſſitas non patitur adire ſuperiorem ad obtinendam licentiam fas ſit Moniali exire è monaſterio, & alijs in illud ingredi?

Repentinæ ſunt aliquando cauſæ, quæ non patiuntur ſuperiorem conuenire, aut Superior aliquando ita diſtat, vt res peragenda non ferat tantam moram: quæritur itaque an eo caſu poſſit Monialis inconſulto Superiore egredi? 31.

Reſpondeo poſſe. ita Doctores in cap. periculoſo, de ſtatu Monach. in 6. Dominic. & Franc. Sylueſter verb. Religioſ. quæſt. 16. Roderiq. tom.1. qq. Regular. quæſt.49. art.2. ſub fin. Collector priuileg. mendicant.ver. clauſura Monialium caſu 1. Llamas in method. curat. in appendice §.1. Layman.lib.4. tract.4. c.12. num.1. ver. 4. Sanchez lib.6. in Decalog. cap. 15. num. 62. Ferdinand. à Caſtro loco cit. ſuperiori conſectario. Tamburin. de iure Abbatiſſar. diſput.20. quæſit.5. Lælius Zecchius de eccleſiaſt. Republica tit. de Regularib. cap.3. num. 15. Bonac. q.1. de clauſura princip. 8. num.5. Quia neceſſitas adeò grauis excuſat à lege poſitiua, neque Eccleſia voluit ſine dubio caſum eiuſmodi ſua lege comprehendere. Addit Zecchius, aliíque teneri Monialem egreſſam, quam primùm poterit monere ſuperiorem de ſuo egreſſu: quod tamen Sanch. & Bonac. ſapienter intelligunt durante egreſſu eſſe faciendum; non verò vbi iam ſuo ſe monaſterio reddidit: quia durante egreſſu, poterit Superior, ſi cauſam minimè probet,

Monialem

Monialem reuocare, atque quod malè fit, emendare: quæ ratio ceſſat, vbi Monialis iam ſe recepit in ſuam clauſuram, poterit nihilominus Superior inquirere, an verè ea fuerit cauſa, quæ moram non ferret, aliáque eiuſmodi.

De ingreſſu idem dicendum erit; ſi enim aut incendij extinguendi cauſa, aut alicui alteri neceſſitati improuiſæ ſuccurrendi quis ingrediatur non conſulto Superiore, non damnabitur tanquam violatæ clauſuræ reus: quod docent quoque Nauar. comm.4. de Regul. num. 60. & Graffis 1. part. deciſ. lib.4. art.15. num.6.

Consectarium X.

An in caſibus ordinarijs & manifeſtis licentia ingrediendi monaſterium ſcripto tradi debeat?

32. Llamas in method. curationis in appendice §.6. negat exigi licentiam ſpecialem, & in ſcriptis, in cauſis ordinariis & manifeſtis, vt ad ingreſſum Confeſſariorum, Medicorum, Latomorum, & aliorum eiuſmodi: quia his omnibus permiſſus eſt ingreſſus à Gloſſa in cap. periculoſo, ver. cauſa: & ſatis comprehenduntur in licentià ædificandi, conſtruendíque monaſterij; conceſſo ſiquidem principali, acceſſorium conceſſum eſſe intelligitur, quod idem exiſtimauit Ioan. de la Cruz lib.1. de ſtatu Religioſ. cap.5. dub.2. concl.3. notab. 3. & Barboſa allegat. 102. de officio Epiſcop. num. 57. & in collect. ad cap.5. Trident. ſeſſ.25. Villalabos tom.2. ſumm. tract.35. diffic.46. num.4. Hieronym. Roderiq. in compend. qq. Regular. reſolut.26. n.8.

Iſtos tamen omnes indigere licentia, eáque in ſcriptis, exiſtimat Sanchez cap.16. num.33. Ferdinand. à Caſtro punct. 10. ſuperiùs cit. §.2. num.7. aliíque; ita vt Sanchez dicat ſe neminem reperiſſe, qui contràriam ſententiam docuerit, præterquam in caſu quodam repentino, de quo ſtatim. Quia Tridentinum ſimpliciter & abſolutè ſcripturam hoc loco deſiderat, neque caſus ordinarios & neceſſarios excipit. Et ſanè non eſt inutilis iſta obligatio petendæ licentiæ: quamuis enim iſtarum perſonarum ingreſſus in caſibus neceſſariis permittatur à iure, expediet aliquando ſuperiorem, tum eam neceſſitatem examinare, tum quibuſdam perſonis concedere; aliis verò negare, varias ob cauſas: quare ſcripto tradi debet, vt maturiori iudicio concedatur: quæ cauſa eſt, propter quàm Concilium in omnibus caſibus ſcripturam exigat. Mihi dicendum videtur ex rigore iuris in his etiam caſibus ordinariis, & à Gloſſa expreſſis opus eſſe licentia ſcripta; conſuetudinem tamen pluribus in locis, iuris illum rigorem molliuiſſe: Vnde factum eſt, vt tot Doctores nobiles Sāche poſteriores, eam ſcripturam in eiuſmodi caſibus minimè requirant, vt dixi.

In caſibus verò repentinis, in quibus vrgens neceſſitas non patitur moram, ſufficiet licentia ſine ſcripto; alioquin non ſatis conſultum foret eiuſmodi neceſſitatibus; immò nequidem in ſimili caſu expectandam eſſe licentiam, diximus Superiori conſectario. Itaque affirmant Sanchez cap.16. num.34. Ferdinand. aliíque proximè allati, & qui plures dabit Tamburin. diſp.23. de iure Abbatiſſ. quæſit.6. 33.

Conse

Consectarivm XI.

An facultas dandi licentiam egreſſus, aut ingreſſus in monaſteria ſcripto tradi debeat?

34. Diximus ſuperius facultatem, quam habet Prælatus permittendi egreſſum, aut ingreſſum in monaſteria eſſe delegabilem, & poſſe à Prælato alteri committi, ſiue quia reuera confert alicui, vt ſuo Vicario generali, aut alteri inferiori Superiori monaſterij, facultatem dandi iſtas licentias, ſiue quia reuera dat licentiam ingrediendi.v.g.omnibus; quos aut Abbatiſſa, aut Confeſſarius, aut alius quiſpiam iudicauerit ingredi debere, haberéque cauſam ad id ſufficientem. Quæritur itaque an hæc facultas ſcripto mandari debeat, quandoquidem licentiam ingrediendi in ſcriptis tradi voluit Tridentinum, quod etiam de licentia egrediendi ſanciuit Pius V. vti ſuperiùs docuimus. §.2.

Reſpondeo non eſſe opus ſcriptura, quando datur vera facultas dandi licentiam ingrediendi, aut egrediendi, quia illa non eſt licentia egreſſus, aut ingreſſus, ad quam ſolam Tridentin. requirit Scripturam, quam etiam adhibere debebit ille, qui ex facultate ſibi ore tenus à Superiore delegatâ, dabit deinde eiuſmodi licentiam, alioquin non ſatisfacit Tridentino, neque Pij V. conſtitutioni: ſi verò Superior relinquat tantum arbitrium cauſæ, aut perſonarum, Abbatiſſæ, vel Confeſſario, aut alteri cuipiam, cui curam monaſterij commendauit: quia dat licentiam ingrediendi iis, quos voluerit in tali caſu Abbatiſſa, aut alius quiſpiam: tunc ea licentia danda erit in ſcriptis: quia eſt vera licentia, quam confert ipſe Superior, non verò Abbatiſſa, aut ille alius, cui arbitrium, aut iudicium cauſæ, aut perſonæ commiſit; facultas verò ita arbitrandi, aut iudicandi: quia licentia non eſt egrediendi, aut ingrediendi, ſcripto non indigebit. Ita Sanch. cap.16. num.38. Ferdinand.à Caſtro punct.10. cit. §.2. num.6.

Consectarivm XII.

An licentia exiſtente legitima, omiſſio ſcripturæ ſit lethalis.

Ratio dubitandi eſt, quia cum Tridentin.cap.5.ſeſſ.25. excommunicatione perculerit aliter ingredientes, quam licentia ex legitima cauſa in ſcriptis obtenta: quam pœnam Pius V.ad Moniales aliter quoque egredientes ampliauit. Hæc grauis adeò pœna & cenſura grauem quoque culpam ſupponit. Aliunde tamen cum & Tridentinũ & Pius V. præter ſcripturam requirant cauſam legitimam & Superioris licentiam: atque aliter egredientes & ingredientes excommunicent, videtur excommunicatio ſolum ingredientes, aut egredientes ſine cauſa iuſta, vel ſine licentia ferire; non autem ſi ſola ſcripturæ ſolemnitas deſit: quia pœnæ contra legis alicuius violatores non afficiunt eos, qui in leui tantùm ſolemnitate, qualis videtur eſſe hoc loco ſcriptio, peccant, grauis ſiquidem pœna grauem culpam exigit, qualis vix committitur in omittenda leui ſolemnitate, quæ ad præcepti ſubſtantiam non pertinet, cuiuſmodi eſt ſcriptura hoc loco, illam enim non exigit, aut Concilium, aut Pontifex, niſi, vt conſtet de licen- 35.

tia

tia conceſſa ; & proinde faciliùs caueatur omnis fraus. Confirmatur ex Clement. VIII. conſtitutione de largitione munerum, vbi Pontifex ad eiuſmodi largitionem poſtulat licentiam in ſcriptis, aliáſque conditiones; omiſſionem tamen, tum ſcripturæ, tum aliarum conditionum, quæ ad ſubſtantiam non pertinent, leuem eſſe, & minimè pœnarum, quas infligit Clem. reum conſtituere docet, Soſſa in eius conſtitutionis declaratione num. 98. & in ordine tantum ad forum externum illam exigunt à S. Fauſto in Theſauro Religioſ. lib.8. quæſt.219. num.5. & Valerius in differentia vtriuſque fori ver. munera. numer.83. & in noſtro caſu ſic quoad forum conſcientiæ dixit Homobonus de caſibus reſeruatis part.2. caſu 5. quæſt.2.

36. Dicendum nihilominus eſt hanc omiſſionem ſcripturæ, niſi neceſſitas aliqua grauis & repentina excuſet, eſſe lethalem ſiue potiùs ingreſſum aut egreſſum, cum tali licentia ſolum ore tenus conceſſa non excuſari à culpa, neque à pœnis in violantes clauſuram latis., niſi aut neceſſitas non patiatur moram obtinendæ ſcripturæ, aut in caſibus Ordinariis & iure expreſſis conſuetudo rigori iuris aliquid detraxerit, vti diximus conſectario 9. & 10. Noſtram porrò ſententiam tradit Sanch. lib.6. in Decalog. cap.16. numer.31. Ferdinand. à Caſtro tract.16. diſp.4. punct.10. §.2. num.6. Confectius in priuileg. mendicant. titul. 20. cap.6. Bonac. quæſt.4. de clauſura punct.3. num.2. Tamburin. diſput.23. de iure Abbatiſſ. quæſt.5. Llamas in Methodo curat. in appendice §.6. & maniſeſtiſſimè ſequitur ex doctrina noſtra §.3. ſtabilita, diximus enim licentiam iſtam ſine ſcripto traditam ex rigore iuris nullam eſſe. Qui igitur cum eiuſmodi licentia ingredietur in Monialium monaſterium, & Monialis, quæ ex eo egredietur, eodem modo peccabunt, atque ſi id facerent ſine licentia, quia licentia nulla nunquam facit actum, aut legitimum, aut validum, ſi ad illius legitimitatem, aut valorem licentia requirebatur. Vnde vides ſcripturam hoc loco non eſſe leuem duntaxat ſolemnitatem, ſed ad ſubſtantiam præcepti & legis de clauſura pertinere. Et ſanè non multùm profeciſſet, aut Tridentinum, aut Pius V. ſi dum ius antiquum ſuis ſanctionibus reſtringere volunt circa clauſuram & licentiam à Superiori circa illam faciendam, addidiſſent leuem duntaxat ſolemnitatem quandam, quæ neque ab ſubſtantiam licentiæ eiuſmodi pertineret, neque grauiter obligaret, poſsétque facilè omitti, abſque graui, aut culpa, aut pœna. Quidquid verò ſtatuatur de eadem conditione ſcripturæ requiſita à Clem. VIII. in largitione munerum à Regularib. de qua modò non diſputo, non licet ab vno caſu ad alium arguere. Concedo quidem vulgò ſcripturam non requiri, niſi in ordine ad forum externum, vt illi conſtare poſſit de actu, aut licentia, quod tradunt Doctores nuper allati, id minimè tamen impedit, quin aliquando ex priuata conuentione partium, aut diſpoſitione legis ſcriptura pertineat ad ſubſtantiam actus; vti de contractu aliquando defectu ſcripturæ irrito monebamus §.3. Et ſanè quoties qualificatus actus requiritur, puta licentia ſcripta, non ſufficit actus ſimplex ſine illa, vt ait Nauarrus conſil. 22. de Clerico non reſidente, num.5. Gloſſa in cap.1. de cenſib. in 6. ver. *in ſcriptis* enume-

rat 34. caſus, in quibus ſcriptura requiritur, *quamuis non ex neceſſitate in omnibus*, inquit, ſupponit autem in aliquibus omnino exigi, de quibus nos alibi fuſiùs in noſtra ſcientia Canonicæ.

CONSECTARIVM XIII.

Quandonam finiatur licentia ingrediendi in monaſterium Monialium, aut ex illo egrediendi.

37. HÆc quæſtio ſoluitur ex hactenus diſputatis. Nam primò, licentia non intelligitur data niſi pro vna vice, & primo actu completur, quoties indefinitè datur, & non deſignatur aliquod certum tempus, quare qui ex facultate ſibi conceſſa ſemel in monaſterium ingreſſus eſt, non poteſt iterum ingredi. Ita Tamburin. diſp.23. de iure Abbatiſſ. quæſit.5. num.5. & diſput. 26. quæſit.1. num.2. Riccius qui ita iudicatum eſſe refert in praxi fori eccleſ. deciſ.649. 1. editionis. Barboſa de poteſtate Epiſcop. allegat. 102. num.59. Vgolin. de offic. Epiſcop. cap.21. §.3. Salas de legib. diſput.17. ſect.13. n.62. Azor. 1. part. Inſtitut. lib.5. cap.23. quæſt.5. Iacob. Sbrotius de Vicario Epiſcopi lib.2. quæſtione 211. Diana tract.2. de dubiis Regularib. reſol.48. ver. nota decimò: & alij qui id affirmant de licentia colloquendi cum Moniali, quam per primam collocutionem finire volunt, ſi fuerit conceſſa indefinitè: quia priuilegium primo actu finitur ſaltem in odioſis, quod fuſiùs probat Felin. in c.2. de treuga & pace. Rochus à Curte de iure Patrum, ver. honorificum, quæſt.10. Nauar. in cap. placuit, de pœnitent. quæſt.6. num. 166. & nos in noſtra ſcientia Canonica. Atqui hæc facultas ingrediendi monaſterium Monialium, aut ex illo egrediendi eſt odioſa, & contra ius commune, quod eiuſmodi ingreſſum, & egreſſum ſeueriſſimè prohibet. Vnde reiicias Bonacin. quæſt. 3. de clauſura punct.5. num.8. qui contrarium docuit: eo quod priuilegium indefinitè, & abſolutè conceſſum ad iteratos actus extēdatur. Nam quamuis id daremus, quod loco citato diſputauimus: hoc priuilegium ingreſſus, egreſſus, & acceſſus ad monaſteria non eſt fauorabile, ſed odioſum, quandoquidem ægrè conceditur propter grauem reſiſtentiam iuris communis, vt loquuntur Doctores.

Secundò ceſſat iſta licentia ceſſante cauſa legitima, propter quam conceſſa fuerat. Ita Doctores omnes in 38.
conſectario proximo allegandi, tum ex vniuerſaliſſimo illo principio, de quo fuſiſſimè egimus in ſcientia Canonica, ceſſante cauſa ceſſat effectus: tum quia cum licentia ſine cauſa legitima conceſſa nulla ſit, vti euicimus §.3 vbi deſinit cauſa, iam deſinit licentia eſſe legitima, ac proinde nulla; quare nefas erit ampliùs illa vti. Id tamen non ita intelligendum eſt, vt in eodem momento mathematico, & indiuiſibili cauſæ finitæ & negotio propter quod data fuerat licentia, ſi quis pergat aliquo tempore ipſa vti, violare clauſuram cenſendus ſit, atque pœnas ea de cauſa inflictas incurrere; quia cum iſtud clauſuræ præceptum morale ſit, intelligi quoque morali modo debet; quare niſi ſit ea mora, quæ in fraudem clauſuræ cenſeri poſſit, non cenſebitur quis per illam peccaſſe, & licentia ſua abuſum fuiſſe. Quod colligitur ex cap. periculoſo, de

ſtatu Regular. in 6. vbi enim Bonifac. VIII. clauſuram præcepit & inhibuit, ne Moniales è monaſterio egrederentur; permittit tamen Abbatiſſæ, vt pro fidelitatis & homagij ſacramento præſtando Principi, *cum honeſta & decenti ſocietate è monaſterio exire poſſit. Verùm homagio facto quamprimùm commodè poterit ad ipſum monaſterium è veſtigio reuerſura; ſic quod in fraudem reſidentiæ, ſiue moræ clauſtralis, nihil omnino fiat.* Quibus verbis Pontifex noſtrum conſectarium omnino docet, nempe negotio finito, propter quod data fuerat licentia egrediendi è monaſterio, redeundum eſſe ad illud è veſtigio, hoc eſt interprete Gloſſa, ſtatim vel continuò, quo ſenſu vſurpatur idem verbum l. diuortio poſt principium, ff. de negot. geſt. Idem verò de licentia ingreſſus in monaſterium dicendum omnino eſt, nẽpe peracto negotio, propter quod permiſſus fuerat, exeundum omnino eſſe. Vnde Doctores in illud cap. periculoſo, & in verba citata *è veſtigio*, inferunt conceſſa ſpecialiter & contra ius ſuis terminis continenda eſſe, & expedita conceſſionis cauſa ad ius commune redeundum eſſe. Ita ibi Ioannes Andr. num. 3. Archidiacon. ibid. num. 3. ver. reuerſura. Dominicus, §. verùm, num. 4. Franc. eod. §. num. 2. notab. 3. Idem etiam tradit Pius V. in ſua conſtit. *Decori & honeſtati:* vbi enim cauſam, propter quam permittendus eſt egreſſus Monialibus, aſſignauit, addit: *Sed nec in prædictis caſibus extra illa,* monaſteria ſcilicet, *niſi ad neceſſariam ſtare licere.* Quod verò dixeram hanc moram eſſe morali quodam modo capiendam, ſignificauit quoque Bonifacius his verbis, *ſic quod in fraudem reſidentiæ, ſiue moræ clauſtralis nihil omnino fiat.* Itaque mora, quæ damnatur, eiuſmodi eſſe debet, vt in fraudem *reſidentiæ clauſtralis* cenſeatur, eiuſmodi non erit breuis aliqua mora intra, aut extra monaſterium. Quare Roderiq. tom. 1. qq. Regular. quæſt. 47. art. 11. ait non eſſe finitis negotiis punctualiter egrediendum, aut redeundum in monaſterium: quia res morales non conſiſtunt in indiuiſibili, ſed earum latitudo remitti debet arbitrio prudentum, vti docuit Palat. in 4. diſt. 20. diſp. 3. concluſ. 8. & in dubiis ſenſus communis prudentium, & piorum debet attendi, vti fuſiùs diſputat Cordub. lib. 3. qq. quæſt. 13. Reg. 4.

Consectarium XIV.

Caſus ſingulares ex ſuperiori conſectario.

EX hac certiſſima doctrina plures caſus ſingulares diſſoluere licebit. Primò enim Monialis legitimè ex monaſterio ſuo egreſſa finito negotio, propter quod egreſſa fuerat, recuperata, v. g. ſanitate, ad illud redire debet quamprimùm; tradunt Mirand. quæſt. 1. de Monialibus art. 5. ſub fin. Roderiq. tom. 1. quæſt. 49. art. 9. Sanchez lib. 6. cap. 15. num. 60. & alij paſſim; quia, vti iam monuimus ita definit Bonifacius VIII. & Pius V. & ratio in Superiori conſectario allata euincit. 39.

Secundò illa eadem Monialis non debet, vt loquebatur Rodriquez, ità punctualiter finito ſuo negotio redire, vt non poſſit aliquantulum ſubſiſtere, cum Eccleſiæ præcepta morali modo ſint explicanda. Sic etiam de obligatione ad reſtituẽdum, quam habet Canonicus abſens ab horis Canonicis, & beneficiarius non reſidens docent communiter Doctores: nam 40.

nam debet eſſe tanta mora, quæ in fraudem legis exiſtimetur. Hinc eiuſmodi Moniales poſſe per vnum, aut alterum diem ſubſiſtere exiſtimauit Sanchez lib.6.cap.15.num.60. Bonac.quæſt.1.de clauſura punct.vlt. ſub fin. Ferdinand.à Caſtro tract.16. diſput.4. punct.9. num.19.

41. Tertiò, Monialis egreſſa è monaſterio ob aliquod negotium & ex iuſta cauſa non tenetur vrgere eiuſmodi negotium, ſed ſuo commodo illud præſtare, quod apertè dicit Bonifacius de Abbatiſſa ad præſtandum homagium egreſſa: *Homagio,* inquit, *facto quàm primùm commodè poterit.* Nihil igitur, aut præcipitare tenetur, aut diligentiam extraordinariam adhibere in ſuis perficiendis negotiis, ne diutiùs extra monaſterium commoretur, ſatíſque fuerit, ſi eam diligentiam, quam natura negotij poſtulat, & prudentia permittit, ac quæ vulgò ſolet adhiberi, ipſa etiam conferat, immò etiam ſi negligentior foret in eo negotio, quamuis in ea negligentia peccaret; non tamen violaret clauſuram, niſi animo extra ſuum monaſterium viuendi, longius traheret illud negotium, quo tamen caſu non incurreret pœnas propter violationem clauſuræ inflictas: quia reuera eam non violaret.

42. Quartò Monialis dum aliquò extra monaſterium proficiſcitur, & in illud deinde reuertitur, via recta incedere debet, alioquin in illa diuagatione peccat: quia reuera trahit moram extra monaſterium ſine cauſa: licebit tamen illi diuertere per octo, aut nouem leucas cauſa inuiſendæ cognatæ, amicæ, monaſterij, templi, imaginis, quia & conſuetudo id patitur, & nemo prudens id in fraudem clauſuræ factum iudicabit. Ita Bonacin. Ferdinand. locis citat. Sanch. num.61. Gutierrez lib.1. qq. canonic. cap.14. ad finem, quod ego quoque exiſtimarem de itinere duorum, aut trium dierum, non videtur enim mihi ea mora eſſe diuturna. Non tenebitur etiam Monialis magnis itineribus incedere, ſed paruis omninò vti poterit, atque interpolatis, provt ſe dabit occaſio, aut aliqua ratio & commoda valetudo, aut quidpiam aliud ſimile poſtulabit.

Quintò, qui obtinuit licentiam ingrediendi monaſterium propter cauſam, quæ reuera tunc ſuberat, ſed tempore ingreſſus ceſſauit, peccat: quia vti iam diximus conſectario ſuperiori ceſſante cauſa ceſſat licentiæ validitatis: & ceſſante cauſa diſpenſationis ceſſat diſpenſatio. Et Gregor. XIII. conſtit. *Vbi gratia*, excommunicat ingredientes ſine iuſta cauſa, quamuis ex licentia ingrediantur. Ita Bonacin. quæſt.4. punct. 4. num. 19. 43.

Sextò, qui obtinuit licentiam ingrediendi ex falſa cauſa, ſi deinde tempore ingreſſus alia cauſa, eáque iuſta & legitima reperitur, nihilominus peccat & incurrit pœnas, quia reuera violat clauſuram, cum ingrediatur ſine licentia: quam enim habet, nulla eſt, ob defectum cauſæ, vti diximus §. 2. Et quamuis alia cauſa modò exiſtat, propter quam ea licentia concederetur; propter eam tamen non fuit conceſſa, & ratione illius licentiæ eſt inuoluntaria prorſus, ac proinde nulla. Si tamen illa ipſa cauſa, propter quam fuit petita & conceſſa licentia, & quæ tunc falsò ſuppoſita fuerat Superiori, qui deluſus fuit, nunc reuera exiſtat quando quis ingreditur, non quia reipſa exiſtit cauſa, propter quam 44.

quam licentia data fuit : neque apparet vnde irrita & nulla fit, non defectu cauſæ, quæ ſubſiſtit, neque defectu voluntatis. Nam propter illam ipſam cauſam Superior licentiam fecit, quamuis falsò exiſtimaret illam tunc ſubſiſtere; nunc autem reuera ſubſiſtit, & voluntaria omnino eſt licentia : quare eiuſmodi ingreſſum minimè damnare auderem.

45. Septimò, qui ingreditur monaſterium cum licentia, quam Superior cōceſſit, conſcius nullitatis cauſæ, aut qui abſque cauſa illam dare voluit, peccat, ſi ipſemet ſit conſcius eiuſmodi nullitatis, quia vti dixi §.2. cum Suarez Sanch. & aliis, licentia illa nulla eſt : tum quia Bonifacius ad illam, *rationabilem & manifeſtam cauſam* exigit, tum quia in iure communi nomine licentiæ non intelligitur tantum libera voluntas & arbitrium illam concedentis, ſed voluntas prudentiæ accommodata, vti docet Menoch. lib.1. de Arbitr. quæſt.8. num.45. & 49. Quod maximè verum eſt, quando illa licentia fit ab inferiore in lege Superioris concedentis illi facultatem faciendi licentiam : ſemper enim ea intelligitur ex cauſa rationabili & ex prudentia : cuiuſmodi dici nequit licentia merè arbitraria, aut ex nulla & falſa cauſa, cuius nullitatem & falſitatem nouit, qui licentiam donat. Requirebam tamen, vt qui eiuſmodi licentia vtitur, nouerit, aut ſine cauſa datam fuiſſe illam licentiam, aut ex cauſa falſa, vel nulla; alioquin bona fides ipſum excuſabit, vti diximus alibi.

46. Octauo, qui ingreditur monaſterium ex cauſa alicuius miniſterij præſtandi, & ſimul ex curioſitate, vel viſendi monaſterium, vel aliquam Monialem, ſi reuera illud miniſterium præſtare intendit, non violat clauſuram, quia ingreditur ex licentia & cauſa legitima, quamuis ſimul aliquam aliam intentionem habeat, quæ non tollit priorem, quod in multis aliis contingit; ſi verò non haberet animum præſtandi illud miniſterium, ſiue quia id fingit tantum, ſiue quia illud ſe præſtare non poſſe exiſtimat, ſiue alia de cauſa, vtitúrque tantum illo prætextu, reuera peccat contra clauſuram, quia ſine cauſa iuſta, & qualem iura poſtulant, ingreditur : quo prætextu & ſimulatione ſæpiùs peccant mulieres, quæ eiuſmodi inutilium obſequiorum prætextu licentiam ingrediendi obtinent.

Nonò, qui cum licentia Superioris ex cauſa alicuius miniſterij neceſſarij ingreditur monaſterium ex intentione tamen ſacrilega turpe aliquid cum Moniali committendi, non peccat contra clauſuram, quamuis aliunde graue ſcelus admittat. Sanch. lib.6. cap.16. num.69. Zerola in praxi ver. Moniales ad 8. quæſt. Bonacin. quæſt.4. punct.4. num.18. licet malè contrarium probabile eſſe dicat: quia cum praua illa intentio, aut opus non tollat cauſam rationabilem, propter quam licentia fuit à Superiore conceſſa, non annullat eam licentiam; eſto eam non dediſſet Superior, ſi prauum illum petentis animum ſciuiſſet, cum tamen reuera dederit ex iuſta cauſa, validè omninò dedit : in clauſuram itaque non peccat, neque cenſuras vllas ea ex cauſa incurrit; ſed ex alio capite peccat, & pœnis obnoxius eſt. 47.

Decimò, qui peracto ſuo negotio moratur diutiùs in monaſterio, peccat cōtra clauſurā, licentia enim non fuit conceſſa, niſi ob cauſam, quæ 48.

iam omnino ceſſauit, vti ſupponimus, vtrum verò ob eam diuturnam & culpabilem moram cenſuras aliquas incurrat, dicemus cap. 8. Si verò aliquandiu tantùm remaneat intra monaſterium ad viſitandas officinas, luſtranda cubicula & domum, colloquendum cum aliqua Moniali ex quadam curioſitate, non peccat ne quidem leuiter ex Sanchez cap. 16. num. 69. Rodriq. qq. Regular. tom. 1. quæſt. 47. art. 11. Miranda de Monialibus quæſt. 2. art. 20. Bonac. punct. 4. cit. num. 22. Molfeſ. in ſumm. tract. 7. cap. 20. num. 4. Collector compend. priuileg. mendicant. ver. Ingreſſus in monaſteria Monialium, §. 34. Quia vti monuimus, præceptum iſtud eſt morali modo intelligendum, & id vſu receptum eſt apud viros timoratæ conſcientiæ. Quod ſi ob malum finem, fornicandi, v.g. moretur diutiùs, & peccabit contra clauſuram, & contra aliam etiam virtutem propter diuturnam illam moram. Nam ſi breui ſpatio moraretur, peccaret quidem ex malo illo animo, quem habet, & prauo opere, quod facit, non tamen contra clauſuram, quam ob breuem illam moram reuera non violat, vt diximus, & conſentit omnino Sanchez. An verò ex diuturna mora cenſuras incurſurus ſit, dicemus inferiùs cap. 8. Paruitatem moræ exiſtimat eſſe vnius horæ quadrantem Villalob. tom. 1. tract. 35. difficult. 29. num. 1. Diana tract. de dub. Regul. reſolut. 51. idem refert, ſed ſuo more nihil definit: mihi prudentis arbitrio relinquendum videtur. Certum eſt ad culpam contrahendam debere eſſe eam moram, quam pareat eſſe in fraudem legis, vt ſapienter dixit Ferdinand. à Caſtro punct. 10. §. 3. num. 12. Eiuſmodi autem non cenſebitur illa, quæ neceſſaria erit ad viſendas officinas, & domum.

CAPVT VI.

Quibus ex cauſis liceat permittere Monialibus egreſſum è monaſterio.

FACVLTATEM egrediendi è monaſterio concedi non poſſe Monialibus, aut externis in illa ingrediendi abſque cauſa legitima conſtat ex hactenus diſputatis; nunc verò quænam ſit eiuſmodi cauſa, inquirendum eſt: neque enim relinquitur arbitrio & prudentiæ Superioris, qui quod lex eccleſiaſtica præſcribit, in hac parte, ſequi omnino debet. Ordior verò à cauſis egreſſus.

§. I.

Doctrina vniuerſalis.

DIcendum eſt, exitum è monaſterio permittendum eſſe Moniali propter ineuitabile aliarum periculum ex eius commoratione, vti contingit in Epidemia, lepra, incendio, aliiſque caſibus ſimilibus & vrgentioribus, ad quos extendi debet conſtitutio Pontificia. 1.

Expoſitio & confirmatio Propoſitionis.

COncilium Trullan. cap. 46. *inexorabilem*, vti loquitur, *neceſſitatem*, ad egrediendum è monaſterio poſtulabat: eam deinde neceſſitatem

tatem Bonifac. VIII. dum ſeueriori diſciplina clauſuram ſeruari à Monialib. voluit, clariùs explicuit cap. periculoſo, nullam enim egrediendi monaſteria facultatem concedi permittit. *Quacumque ratione, vel cauſa, niſi fortè tanto, & tali morbo euidenter aliquam earum laborare conſtaret, quod non poſſet cum alijs abſque graui periculo, ſeu ſcandalo commorari.* Itaque ſolam cauſam egrediendi Bonifacius, iure dixit eſſe morbum cui intra monaſterium ſine aliorum periculo, & offenſione remedium afferri non poterat. Quem rigorem videtur molliuiſſe Trident. quod cap. 5. ſæpiùs citato ſeſſ. 25. de Regular. poſtulauit duntaxat legitimam cauſam ab Epiſcopo approbandam. Quare totum iudicium de ſufficientia, & honeſtate cauſæ relinquit arbitrio Epiſcopi. Itáque cenſet Suar. lib. 1. tract. 8. de Relig. cap. 9. num. 2. & Nauarr. comm. 4. de Regular. num. 40. vbi & rationem reddit huius benignioris, laxioríſque legis, vt loquitur, ſeueritatem antiquioris illius clauſuræ, fragilitatem ſexus fœminei, difficultatem, quam in admittenda clauſura patiebantur, & quæ ideò neque in Galliis, neque in pleríſque Hiſpaniæ locis, neque etiam alicubi in Italia, vt Venetiis ſuſcepta fuerat, aut non ſine magna perturbatione.

2. Negat tamen Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 15. num. 31. hanc Concilij legem continere correctionem conſtitutionis Bonifacij, ſed declarationem potiùs, cùm apertè profiteatur ſe eam innouare conſtitutionem & confirmare. Voluit itaque non quamcumque ob cauſam, quæ Epiſcopo legitima, id eſt, rationi conſentanea videretur, exitum permitti poſſe Moniali; ſed ſolum propter illam, quæ in conſtitutione & lege Bonifacij tradebatur: reliquit tamen Epiſcopi iudicio probare, an ea cauſa morbi, quæ obtenderetur talis foret, qualis poſtulabatur in cap. periculoſo; quare non modo non molliuit Bonifacij legem, ſed illam reſtrinxit potiùs, ſicut cum licentiam ingrediendi in ſcriptis dari voluit, quod non poſtulabat Bonifacius: Et quod deinde Pius V. ad licentiam exeundi extendit.

Placuit ſubinde Pio V. in ſua conſtitutione. *Decori & honeſtati*, ſingillatim has cauſas enumerare, tréſque aſſignauit, Epidemiæ ſcilicet & lepræ morbum, & magnum incendium, cum particula taxatiua omnes alias cauſas excludente. *Nulli de cætero etiam infirmitatis, ſeu aliorum monaſteriorum etiam eis ſubiectorum, aut domorum, parentum, aliorúmve conſanguineorum viſitandorum, aliáve occaſione & prætextu, niſi ex cauſa magni incendij, vel infirmitatis lepræ, Epidemiæ &c.* Quibus verbis exiſtimat Suarez cap. 9. citat. num. 3. Pium Concilij legem reſtrinxiſſe, & Bonifacij conſtitutionem ampliaſſe. Quia cauſam legitimam quam Concilium Epiſcopi iudicio permiſerat, ad tres illos caſus reſtrinxit, & Bonifacius, qui vnicam cauſam aſſignarat, morbum contagioſum, & ſcandaloſum, ita declaratur à Pio V. vt incendium quoque inter legitimas cauſas exitus è monaſterio enumeret.

Verùm ſi bene expendatur Pij mens, neque Concilij, neque Bonifacij leges, aut reſtrinxit, aut ampliauit, ſed declarauit duntaxat. 3. Nam Concilium, vti iam monuimus, non ita reliquerat iudicio Epiſcopi cauſæ legitimæ probationem, vt quæcumque iuſta videretur Epiſcopo,

ſcopo, talis reuera legitima cenſeretur, ſed ſolum vt legitima illa foret, quam Epiſcopus iudicaſſet talem eſſe, qualem Bonifacius in ſua conſtitione poſtulabat, quæ erat morbus contagioſus & ſcandaloſus, eiuſmodi ſunt duo illi morbi, quos ſingillatim expreſſit Pius, videlicet Epidemiæ & lepræ. Quare tum Nauar. comm.4.citat. num.48. tum alij paſſim fatentur duas illas cauſas à Pio recenſitas, ſub cauſa allata à Bonifacio fuiſſe comprehenſas, quod verò dicunt tertiam, nempe incendij addidiſſe, eámque nouam, neque Sanch. neque alij quidam iure merito probant. Cum enim in magno incendio nequeant Moniales ſine manifeſto vitæ periculo intra monaſterium, quod conflagrat, permanere, declarauit Pius eiuſmodi caſum in cauſa illa à Bonifacio explicata contineri, propter identitatem rationis, nempe periculum, aut ſcandalum monaſterij. Nihil itaque immutauit Pius in prioribus illis legibus, ſed illas duntaxat explicuit,& quæ ſuboriri poterant, dubia ſuſtulit. Ex quibus ita expoſitis facilè fuerit doctrinam & aſſertionem noſtram confirmare.

4. Dixi igitur primò cauſam legitimam permittendi Moniali exitum è monaſterio eſſe ineuitabile aliarum periculum ex eius commoratione, quod colligitur apertè ex Bonifacio, qui illam cauſam eſſe dixit talem ac tantum morbum, vt eo laborans *non poſſit cum aliis abſque graui periculo & ſcandalo commorari*. Deinde cauſæ ſingulares allatæ à Pio V. idem oſtendunt, nempe Epidemia & lepra: in iis enim & periculum infectionis reperitur, & ſaltem ſcandalum ſiue horror & offenſio quædam. Itaque vniuerſalem iſtam propoſitionem admittunt omnes, cum enim ideò morbus aliquis ſit cauſa legitima egreſſus, quia cæteris, aut periculum, aut ſcandalum generat, quoties eadem ratio, aut periculi,aut ſcandali reperietur ex commoratione alicuius Monialis, extra monaſterium exire poterit, neque tunc fiet extenſio propriè dicta legis: illa enim non contingit, vbi eſt identitas rationis:quia tunc omnes illi caſus, cum ſint iidem, ſub lege comprehenduntur, vti fuſiùs docuimus in ſcientia canonica. Vnde fatentur paſſim Doctores etiam in caſibus enumeratis,à Pio V.non eſſe faciendam exeundi facultatem, vbi illis occurri poterit efficaci remedio intra monaſterium, vt ſi curari poſſit morbus abſque infectione aliarum, aut extingui incendium, eo quod ſit in ſeparata aliqua parte monaſterij, aut qua alia ratione abſque Monialium egreſſu. Itaque Rodriquez qq. Regular. tom.3.quæſt.31.artic.1. Llamas in methodo curation. in appendice §.10. & cæteri.

Ratio huiuſce aſſertionis eſt,quia commune monaſterij bonum priuato præualere debet, & exitus vnius Monialis in eo caſu non nocet Communitati, quam tamen eius commoratio in euidens periculum adducit, aut illi grauiſſimam moleſtiam affert, qua magis omninò perturbatur diſciplina & quies omnium, quàm alicuius Monialis egreſſu, præter quàm quod videretur durior lex Eccleſiaſtica, quæ Communitatem obligaret cum tanto diſcrimine vnam aliquam retinere.

§. II.

§. II.

Difficultas circa cauſam Epidemiæ à Pio V. allatam.

5. SEcundò enumeraui ſingillatim cauſas exitus Monialis è monaſterio à Pio V. recenſitas in ſua conſtitutione *Decori*, quarum prima eſt Epidemia, quo nomine quidam intelligunt duntaxat veram & propriè dictam peſtilentiam, quæ non modò graſſatur in plures, ſed etiam pleroſque extinguit. Ita Guttier. lib. 1. qq. Canonic. cap. 24. quæſt. 7. Llamas in methodo curationis in appendice §. 1. Sorbus in compendio Mendicant. ver. Ingreſſus monaſteriorum Monial. annot. 6. Zechius in Republ. Eccleſ. tract. de Regularib. c. 3. num. 15. ver. 9. Hieronymus Rodriquez in compendio qq. Regular. Reſolut. 98. num. 19. Et demum ſic declaraſſe ſacram Congregationem Cardinalium refert Diana tractat. 1. Miſcellan. Reſolut. 23. Alij verò Epidemiam intelligunt quemlibet morbum popularem, qui ſuo contagio ſerpit, & alios inficit, licet neque ita pernicioſus, neque vera peſtis ſit. Nauarr. comm. 4. de Regular. num. 48. Rodriquez tom. 1. qq. Regular. q. 49. artic. 4. Miranda de ſacris Monialib. quæſt. 3. artic. 5. Portell. in dub. Regular. ver. clauſura num. 18. Ioannes de la Cruz lib. 1. de ſtatu Relig. cap. 5. dub. 4. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 15. num. 35. Ferdinand. à Caſtro tractat. 16. diſput. 4. punct. 9. num. 12. Bonacin. diſput. de clauſura quæſt. 1. punct. 8. num. 2.

Ego ſacræ Congregationis Regularium veſtigiis inſiſtendum mihi eſſe cenſeo, quæ ſapienter omninò Ludouici de la Valle, aliorúmque Medicorum ſenſum audire voluit, antequam certi aliquid in iſta controuerſia definiret. Medicorū itaque ſcholam circa morborum Epidemiorum & contagioſorum naturam conſulere placet, vt de propoſita quæſtione liquidò pronunciemus, & quinam tandem morbi ſint cauſa legitima permittendi exitum Monialibus è monaſteriis definiamus. Quare neque inutilis, neque iniucunda erit iſta.

§. III.

DIGRESSIO MEDICA.

De morbis Epidemiis & contagioſis.

OBſerua igitur primò morborum duo eſſe genera, vti docet Galen. in prooem. lib. 1. Epidem. & alibi, alij enim dicuntur σποράδες, ſeu σποραδικοὶ, hoc eſt, diſperſi, ſiue vagantes, qui genere & ſpecie diuerſi cum ſint, ſingulos ſeparatim corripiunt, non ab aëre, aut alia cauſa omnibus communi, ſed à proprio cuiuſque vitio profecti, qui ratione materiæ, temporis, cauſæ, partis affectæ, & effectuum variè diuiduntur in bilioſos & pituitoſos vernos, æſtiuos, hyemales, autumnales, lethales & ſalutares, particulares & vniuerſales, cuiuſmodi ſunt Ophtalmiæ, dyſenteriæ, Pleuritides, variæ febres & alij affectus, de quibus Hippocrates in Epidem. 6.

Alij morbi dicuntur κοινοὶ, ἢ παγκοινοὶ καὶ πάνδημοι, hoc eſt communes, ſiue populares, qui paſſim in obuios quoſque ſæuiunt, & cum omnibus communes ſint & vniuerſales, communem cauſam habeant neceſſe eſt, quæ nullo modo vitari poteſt, vt cibum, aut potum vitia-

tum, aut aërem, quem omnes pariter inſpiramus. Horum morborum communium alij dicuntur, ἔνδημοι, ſiue ἐνδήμιοι, alij ἐπιδήμιοι; primi ſunt patrij, vernaculi & alicui regioni familiares, quia in illa frequentes ſunt, & omnes ex æquo corripiunt propter cauſam aliquam, quæ in ea regione omnibus quoque communis eſt: de his diſſerit Hippocrat. lib. de aëre, locis & aquis: Eiuſmodi ſunt ſtrumæ Hiſpanis familiares, Phthiſis Luſitanis, βρογχοκήλη Alpi- vnde Iuuenalis, quis tumidum guttur miratur in Alpibus, quod aquarum vitio tribuit Plinius lib.1.c.37. Oribaſ.lib.5.ſub finem, & Vitruuius lib. 8. cap. 3. Alexandrinis quoque Elephantiaſis vernacula eſt, Scythis Epilepſia, Icterus Apulis, Athenis Podagra, Achaiæ Ophtalmia, Incolis maris rubri Dracunculi, Romæ Hemitritæum, vt teſtatur Iulius Pollux, & Agatharcides, morborum, qui Dracunculi dicti ſunt, ſe rationem ignoraſſe ait Galen. lib. 6. de locor. affect. Mercurialis præfat. in lib. 2. Epidem. ex victu locuſtarum his populis familiari, vnde ἀκριδοφάγοι nominati ſunt, cauſam petit, qui paluſtria incolunt, tentantur morbis lienis ex Hippocrat. lib. de aëre, aqua & locis, ob vſum prauarum aquarum.

Ἐπιδήμιοι communes quidem morbi ſunt, & à communi cauſa nati; non tamen patrij & familiares, vt ἔνδημοι, ſed potiùs externi & aduentitij; quamquam Fernelius velit πανδήμους & παγκοίνους eſſe morbos, qui ex communis potus, & cibi vitio naſcuntur. Quorum verò cauſa ex corruptione aëris conſiſtit Endemios, vel Epidemios dici: Endemios, quando ab inferioribus, terreniſque cauſis alicuius regionis aër inficitur; Epidemios autem, quando malignitas aëris à Superiori aliqua cauſa & ſyderis influxu profluit. Nobis non licet minutius iſta concidere, ſufficitque endimios, tum epidemios ex cauſa communi proficiſci, & ea ratione à diſperſis diſtingui, qui ex proprio cuiuſque vitio originem habent: Endimios verò vni perpetuò regioni infeſtos eſſe, & Epidemiis varias regiones depopulari, & vni certæ neque affixos eſſe, neque in ea ſemper ſæuire; quam cauſam porrò communem morborum communium & popularium eſſe vnicam, aërem nimirum corruptum contendit Franciſc. Valeſ. in lib. 1. Epidem. initio, cum aliæ omnes, vt cibus, potus, ſomnus, vigilia, venus, otium, animi pathymata communia non ſint omnibus, aut eiuſdem regionis incolis; ſed in his omnibus ſuo quiſque vtatur more; quare qui ex aliqua eiuſmodi cauſa proficiſcuntur morbi diſperſi ſunt & vagantes, non communes & populares. Vnde fit, vt qui v. g. victum malum vitare poſſunt, vti diuites, morbum quoque ex prauo victu natum euitent; quia tamen contingit eadem tempeſtate plurimos ſimili modo errare in victu, fit morbus aliquo modo communis: Et quia aër ſæuientibus illis morbis ſæpiùs inquinatur, producit morbum popularem Endimium quidem ex Fernelio, ſi à cauſa inferiori aër inquinetur: quia illa cauſa ferè peculiaris alicui regioni eſt. Epidemium verò cum à ſuperiori & diuina cauſa; quia illa non inficit vnius tantum regionis aërem, aut ſaltem facilè communicatur aliis: vnde neque morbos in vna tantùm prouincia cauſat. Verùm, vt dixi noſtri inſtituti non eſt ſingillatim iſta proſequi.

Epidemij

Epidemij igitur ſunt morbi communes à communi cauſa, quæcumque tandem illa ſit, nati, non vni tantùm regioni vernaculi & familiares. Horum alij λοιμώδεις ſunt, & peſtilentes exiſtunt, qui plures ægrotos, quos corripiunt, interimunt: alij mitiores. Licet enim plurimos inuadant; non omnes tamen, vel plurimos interimunt: & cum proprio nomine careant, nomen generis retinent, dicuntúrque Epidemij & populares abſolutè. Eiuſmodi fuit illa tuſſis & catharrus, qui anno 1580. ſex hebdomadarum ſpatio vniuerſam Europam peruaſit; ita tamen vt vix milleſimus eo interierit: quod annotauit Foreſtus lib. 6. obſeruat.

8. Obſerua ſecundò, peſtem eſſe quidem morbum Epidemium non autem omnem Epidemium, aut peſtem, aut peſtilentem eſſe, vti iam diximus: quare definiunt peſtem Medici morbum communem, complures etiam diuerſarum regionum infeſtantem, perniciosum & lethalem, ac maximè contagioſum. Ita Mercurial. lib. de peſte cap. 4. morbum appellant ſimpliciter: quia non eſt vnus morbus determinatus; ſed quicumque morbus poteſt eſſe peſtis, modò plures eodem tempore corripiat, & maiorem ipſorum partem interimat. Quod ex Galen. in lib. 3. Epidem. comm. 3. t. 20. oſtendit Mercurialis, quamuis plurima in contrariũ adducat Sennertus de febrib. lib. 4. cap. 1. vt oſtendat peſtem eſſe peculiarem & vnum certum cordis morbum venenoſum à materia venenata, cordique tota ſubſtantia peculiariter aduerſa contagioſáque genitum, & proinde ipſum contagioſum, omnéſque cordis actiones ſubitò & ἀθρόως lædentem; maximè acutum, lethalem, omniſque generis pernicioſa ſymptomata inducentem. Galenum verò & Hippocratem, ita interpretatur, vt in peſte non vnum genus morbi, vel ſymptomatum graſſetur, ſed plurima, quæ peſtem vel ſequuntur vel comitantur; in iis tamen peſtis naturam & eſſentiam conſtituendam non eſſe, ſed in peculiari morbo illo venenato cordis, ex quo alij morbi, qui illi coniunguntur, pernicioſitatem hauriunt, & peſtilentes dicuntur. Illa verò morborum peſti coniunctorum diuerſitas ex veneni varietate, & cauſarum diuerſitate proficiſcitur, quod ex Galen. 3. Epidem. comm. 3. t. 70. probat.

Dicitur præterea peſtis morbus communis & epidemius: Communis quidem, quia licet vnus tantùm peſte laboret, cum tamen in plures alios diffundi poſſit per contagium, reuera communis eſt, nondum quidem actu, ſed potentia. Epidemius quoque eſt, & non Endemius. Cum enim morbi Endemij regioni alicui vernaculi, & cognati quodammodo ſint, atque eam perpetuò afficiant, non videtur aliqua regio homines perpetuò alere, & ſimul perpetuò cauſam peſtis domeſticam habere poſſe: quod enim dicunt peſtem Cairo familiarem eſſe, ſinguliſque annis vigere, Proſper Alpinus lib. 1. Medic. Ægyptiorum cap. 15. negat ex aëris vitio & domeſticis cauſis naſci, ſed ex Syria, Græcia, aliiſve plagis incolarum incuria aſportari. Lethalis eſt hic morbus: quia vti iam monuimus plurimos interimit. Quod verò dixit Hippocrat. 1. de acutis t. 9. morbos ſporadicos eſſe pernicioſos & maximè lethales, intelliges de ſporadicis acutis, qui omnibus lethaliores ſunt, exceptis

peſtilentibus. Vnde colligit Sennertus cap. citat. peſtem neceſſario eſſe morbum illius partis, à qua maximè vita pendet, cuiuſmodi eſt cor, vitæ fons, & vitalis caloris officina, vnde fit, vt in peſte derepente vitalis facultas concidat; animalis autem ſæpiùs integra perſeueret, & naturalis non multum labefactetur. Denique dicitur morbus contagioſus: quia licet ſint & alij morbi contagioſi. Peſtis tamen omnis contagioſa eſt, & omnium maximè, vt ait Ariſtotel. 1. problemat. ſect. 7. Quod etiam Baſil. homil. in primum Pſalm. dixit: ſanè id omnium ætatum experientia confirmauit hactenus & falsò adducitur Procop. lib. 2. de bello Perſico, quaſi dixerit, peſtem, quæ imperante Iuſtiniano Conſtantinopolim ferè deleuit, contagioſam non fuiſſe. Ea enim verba in eius Græco textu M.S. quem ſe habuiſſe teſtatur Mercurialis cap. 3. de peſte deſiderantur.

9. Cauſa communis huius morbi, ſicut & aliorum Epidemiorum eſt vnus & ſolus aër, ſed vitiatus, vti vulgò poſt Hippocratem tradunt Medici, quod vitium aëris eſt qualitas aliqua vitæ hominum inimica, quæ in corporibus diſpoſitis morbos peſtilentes producat, quam qualitatem occultam & ſecretam dixit Fernel. lib. 2. de abditis rerum cauſis, aduerſus quem fuſiùs diſputat Altimarus, docétque eſſe manifeſtam omninò, ortam ex putredine. Fernelio fauet Ariſtoteles lib. 2. de generat. animal. vbi qualitatem cæleſtem & genitalem in aëre fatetur, quidni & in illo interdū reperiri poterit qualitas abdita corruptrix? fauet quoque experientia, cum plurimæ peſtes remediis arcanis & ſecretis curatæ fuerint. Certum quidem eſt aërem, cum ſit ſimplex elementum ſubſtantialiter putreſcere & corrumpi non poſſe, quod obſeruauit Ariſtot. lib. de longit. & breuit. vitæ & 25. ſect. problem. probl. 2. Quia tamen permixtus eſt variis corpuſculis & impuratis, nulla enim elementa, vti oſtendimus aliàs in phyſicis, ſpura ſunt, eſſent enim inutilia, imò & nociua vitæ hominum, variam mutationem & conſtitutionem, κατάστασιν, vt vocat Hippocrates & temperamentum ſubire facilè poteſt, vnde & computreſcere & peſtifer, ac venenatus fiat. Quod in ſe & ſua ſubſtantia fieri nequit: tum quia ex Ariſtot. ſect. 25. problem. problem. 20. multo igne repletus eſt, qui venenis aduerſatur; tùm quia natura prouida & ſagax in animalium vita conſeruanda, venena in pauca copia generat: quare cum aër ab omnibus animalibus continuò in magna copia trahatur, illa omninò perderet, ſi ſua ſubſtantia venenatus foret. Quia igitur propter malignam conſtitutionem, quam tunc habet, aptus eſt in corporibus diſpoſitis producere venenum aliquod, corrumpi dicitur.

Ex triplici verò cauſa iſta aëris 10.
corruptio ſiue putrefactio, ſiue morbida conſtitutio, propter quam Endemiorum & Epidemiorum morborum opifex dicitur, oriri ſolet: primò enim vaporibus, qui ex putridis & inquinatis locis expirant, ita inquinatur, vt viuentium naturæ exitioſus, ac peſtilens euadat: quod experientia ſæpius docuit ex antris & ſpecubus, ex cadaueribus inſepultis, euulſis ſtirpibus venenatis, & ſordibus cōputreſcentibus, graues exhalationes excitatas hominibus infenſas & pernicioſas fuiſſe, aërémque exitiali labe conſpurcaſſe. Qui verò morbi ab hiſce aëris inquinamentis prodeunt populares & Endemi j,

mij, ſiue illi populo peculiares & vernaculi, non Epidemij dicti ſunt à Galeno, aliiſve Medicis: quia eiuſmodi inquinamenta, neque longiùs in varias regiones diſſeminari, neque diutiùs vigere poſſunt, ſed aëris puritate tandem vincũtur: ideóque non generant morbos omnibus communes, & Epidemios, niſi aliquando ea inquinamenta eiuſmodi venenum, ſiue conſtitutionem in aëre producant, quæ ab aliis cauſis in illo gigni ſolet. Verum tunc ex ea cauſa geniti morbi, Epidemij etiam peſtilentes non tamdiu ſæuiunt, nec tam multas regiones peruagantur: quia eiuſmodi, vt dixi, inquinamenta, ex quibus morbi ſeminarium acceperat aër, faciliùs diſſipantur.

11. Secundò inficitur aër, conſtitutionémque animantibus inimicam accipit, ex intemperie; & inæqualitate maxima primarum qualitatum, quæ ex temporum, tempeſtatúmque inordinatis mutationibus, atque variis intemperamentis, & inſolitis alterationibus oritur.: Vnde & graues putredines, & morbi Epidemij gigni ſolent, qui & diutiùs vigeant, & longius diſſeminentur quàm Endemij, qui tamen ordinariè peſtilentes non ſunt, quamquam & aliquando in aëre illo putri maligna & occulta qualitas generetur, aut facilè aliunde accipiatur, quæ febres peſtilentes producat, quæ & magis ſæuiunt, & latiùs diffunduntur, quàm quæ vel à putridis alimentis, vel ab inferioribus inquinamentis, de quibus paulo antè dicebamus, proficiſcuntur, ſúntque ferè putridæ conſtitutioni implicitæ, & ſecum multorum ſymptomatum ab humoris putredine & feruore profectorum ſyndromem trahunt. Quænam verò tempeſtatum mutationes malignam aëris conſtitutionem faciant. & morbos Epidemios procreent, tradit Hippocrat. in Epidemior. lib. & aphoriſ.3. & egregiè Palmarius lib. 1. de febre peſtilenti cap. 4. 5. & 10. Mercurial. de peſte cap. 8.

Tertiò inquinatur aër à qualitate venenata à cælis & ſyderibus in ipſum immiſſa, vnde fiunt morbi Epidemij, maximè vniuerſales, & omnibus regionibus communes & pernicioſiſſimi, atque propriè peſtilentes. Quamquam fortaſſis ſi illa qualitas cælitus in puriſſimum aëra decideret, ſeminarium peſtilentiæ non foret, ſed ex praua illa conſtitutione, ac vitio ex exhalationibus putreſcentibus, aut tempeſtatum & temporum inordinatis, inæqualibúſque mutationibus in aëre genito, maligna euadat, aut ab illis ipſis cauſis generetur, aut non niſi in aërem ita affectum & conſtitutum à ſyderibus immittatur. Atque ita facilè conciliantur Doctorum ſententiæ, quorúm alij ſolum aërem morborum Epidemiorum maximè peſtilentium cauſam eſſe volunt: alij etiam alimentorum vitium, putridas exhalationes, & tempeſtatum varias alterationes, mutationéſque, cum & aëris conſtitutionem certam, vel ex inquinamentis, vel ex inæqualitate tempeſtatum ortam & illam qualitatem à cælo defluxam ſimul concurrere neceſſe ſit, vti pluribus oſtẽdit Palmarius cap. 5. citat. diſputans aduerſus illos, qui hoc inquinamentum cælitus demiſſum naturæ hominum penitùs infenſam, ab intẽperie & putredine aëris lõgè diuerſum, ſed omnino occultũ, cum eius natura nos prorſus lateat, neque niſi ex effectibus deprehendatur, malè omnino reiiciunt. Atque hæc ſecreta qualitas eſt illud, quod diuinum τὸ θεῖον, 12.

in morbis appellat Hippocrat. quia à cœlo in aëre, ita conſtituto cauſatur, vti exiſtimauit Mercurialis de peſte cap. 8. Ea porrò qualitas præparationem & diſpoſitionem corporum poſtulat, & pro eius varietate variè quoque operatur, vti fuſiùs exponit Mercurialis cap. 10. & Palmarius cap.8. ipſáque qualitas modò intenſior, modò remiſſior eſt, modò malignior, modò mitior: quod etiam obſeruat idem Mercurial. cap. 11.

13. Obſerua tertiò, licèt peſtem dixerimus maximè contagioſam eſſe, quod ipſa experientia ſatis demonſtrat; præter illam tamen alios morbos contagioſos exiſtere. Malè enim Nyſſenus exponens illud Chriſti: Quod vni ex minimis meis: negat vllum morbum contagioſum eſſe: quia ſanitas contagioſa non eſt, cuius rei cauſam reddit Ariſtot. ſect.7. problém. problem.4. Eſt verò contagium vti definit Sennert. lib.4. de febrib. cap. 2. μιάσμα, ſeu ſeminium vitioſum è corpore ægro emiſſum, quod in corpore analogo receptum ſimilem in eo morbum producere natum eſt. Quibus verbis deſcribitur cauſa morbifica, quæ à corpore morboſo alteri communicatur & in eo deinde ſimilem morbum cauſat: neque enim transmittitur ipſe morbus ab vno corpore in aliud, vt patet: neque etiam ſymptoma, quod ſemper morbum ſequitur: ergo tranſmittitur ipſa cauſa morbi, vti argumentatur Mercurial. lib. de peſte cap. 12. Qui tamen maluit contagij nomen ipſi communicationi, ſeu productioni morbi in corpore tacto tribuere. Ideóque contagium definit communicationem morbi factam à corpore in corpus. A quo non multum abeſt Fracaſt. lib. 1. de morb. contagioſ. cap.1. cum ait contagionem eſſe conſimilem quandam miſti ſecundum ſubſtantiam corruptionem de vno in aliud tranſeuntem, infectione in particulis inſenſibilibus primò facta. Verùm quomodocumque contagium accipias ſiue pro cauſa morbi à corpore morboſo alteri communicata, ſiue pro ipſa communicatione morbi ab vno corpore morboſo alteri facta, ſemper in contagio quatuor conſiderantur, nimirum id, quod communicatur: ſecundò corpus, quod communicat; tertiò corpus, quod recipit; & quartò medium, per quod communicatur.

Primò igitur illud, quod in contagio communicatur, quódque contagium ipſum à quibuſdam, vti vidimus, nominatur, eſt cauſa morbifica, ſiue ſemen morbi: quia vti ſemen à corpore viuente deciſum aliud ſimile producit: ita effluuium illud, ſiue humor ſiue vapor, & ſpiritus ſit, ex corpore morboſo emiſſum, atque in alio corpore receptum ſimilem in illo morbum producit, & fermenti inſtar eſt, quod maſſæ alicui immixtum illam efferuere facit; atque ex omni quidem corpore morboſo exhalat aliquid, & in pleriſque morbis non contagioſis copioſius aliquando eſt effluuium & ἀπόρροια. Quia tamen illud vel facilè diſſipatur & reſoluitur, vel exiguam agendi vim habet, in corpore, in quo recipitur, ſimilem morbum non generat, ideóque neque contagium eſt: Quando verò hæc effluuia eiuſmodi ſunt, vt dum è morboſo corpore exhalant, neque ambientis aëris, neque aliarum cauſarum, aut corporum occurſu euaneſcant, & in minimas partes diuiſas ſuam etiam eſſentiam, atque totam agendi vim retineant, & corpora, quibus adhærent, facilè penetrent, illa 14.

inficiunt & contagia ſunt. Græci vocant νοσέρας ἀποκρίσεις, ἀποῤῥοίας, μιάσματα, σπέρματα. Inquinamenta, effluuia, ſemina; hoc verò ſemen, ſeu cauſa morbifica non eſt mera qualitas: illa enim vt vides non migrat de ſubiecto in ſubiectum, neque corpus aliquod ſolidum. Eſt igitur vel humor, vel vapor & ſpiritus infectus aliqua occulta qualitate, forma venefica, ac maligna, tota ſui natura, ſubſtantiæ noſtræ, vel alicui determinatæ parti inimica; ideóque prout ea forma in illo effluuio, & ſemine contagij diuerſa eſt, diuerſa quoque corpora, aut partes, & diuerſo modo inficit. Et quidem contagium aliquando eſſe humorem videmus in ſcabie, quam idcirco Ariſtot. 7. ſect. problem. problem. 4. & Alexand. lib. 2. problem. 44. contagioſam eſſe non hydropem dicunt; quia humor hydropici eſt in concauo corporis: ſcabioſi autem in ſumma cute, illéque tenax & adhærens. Idem videmus in lue venerea, elephantiaſi, ipſáque aliquando peſte, in contrectatione carbonum & bubonum; aliàs verò immò & ſæpiùs contagium, illúdque pernicioſiſſimum, eſſe vaporem & ſpiritum conſtat ex contagio peſtifero, quod per inſpirationem & halitum fit. Debet porrò eiuſmodi vapor eſſe feruidus & ſubtilis cum penetret, tenax cum adhæreat & venenatus, ac tota ſui ſubſtantia naturæ noſtræ inimicus, cum & inficiat partem ſibi contrariam, aut aliquando etiam interimat, ídque celerrimè, vti contingit in halitu peſtifero.

15. Ex veneni porrò ſiue qualitatis & formæ illius veneficæ diuerſitate, diuerſa contagij natura, vis & modus agendi, atque ſeſe communicandi naſcitur; quod eleganter explicat Euſtach. Rudius de morbis occultis lib. 1. cap. 8. Omnia quippe deleteria, vel intenſiſſima frigiditate, vel eroſione, vel putrefactione nos lædunt, duo illa priora contagioſa non ſunt, & niſi intra corpus ſumantur, non officiunt. Nam erodentia, quæ cálida & ſicca ſunt, vt Arſenicum, Calchanthũ & ſimilia cuti admota nihil obſunt, immò quandoque à Chirurgis vtiliter vlceribus curandis admouentur. Frigida verò, quia minùs efficaciora ſunt, ægriùs ſerpunt & penetrant, neque toto genere, ſed ſola qualitate deleteria ſunt, & niſi intra corpus aſſumantur, non nocebunt. Sola igitur putrefacientia contagioſa erunt; quia caliditate, humiditate, ſubſtantiæ tenuitate, & formæ ipſius malignitate pernicioſa ſunt & contactu, externáque occurſatione per putrefactionem vlteriùs ſerpunt, intimiúſque permeant, & tandem aliquando interimunt.

In his tamen magna eſt diuerſitas ex maiori minoríve ipſorum efficacitate, formæ pernicie, & ſubſtantiæ tenuitate: alia enim halitu, qui ex ipſis euaporat, & tenuiſſimam habet ſubſtántiam, atque in aëre tenuiſſimo, aut fomite recipitur, contagioſa ſunt, & omnium quidem pernicioſiſſima. Alia verò, quorum vapor virulentus paulò craſſior eſt, neque in ſolo tenuiſſimo aëre reſidet, ſed in tenuiori aliquo ſucco & humore, vt in ſaliua animalis, aliáve ſimili ſubſtantia validiorem contactum, nempe morſum, aut ictum poſtulant, vt contagioſa ſint; neque enim viperæ, aut rabidi canis, ſcorpij, aut phalangij halitus quemquam contagione polluit, ſed in partem morſu, aut alio ictu apertam ſaliuam, vel humorem, ſimilémve tenuem

tenuem ſubſtantiam virulentam immittit, vnde virus ſenſim in totum corpus euadit. Sed ſi illa ſaliua, aut ſuccus virulentus in ſolam cutim integram & non apertam incidat, nihil officit, quod contingit in omnibus animantibus venenatis, quæ quoties venenum ſuum eiaculantur, id non niſi humoris eructatione faciunt. Epidermis enim, quæ denſior eſt, craſſiorum venenorum ſubſtantia in altiùs penetrare non ſinit, niſi vel findatur, vel dilaceretur. Hinc eleganter Hieronym. Epiſt.8.ad Demetriadem nominat fiſtulatum vulnus. De Origeniſtis enim agens: *Cúmque hoc quaſi ſcorpionis ictu ſimplices quoſque percuſſerint & fiſtulato vulnere locum ſibi fecerint, venena diffundunt.* Sunt & alia contagioſa, quæ per contactum, aut mediante fomite, qui aëre atque euaporatione, tenuiſſimóque humore craſſior eſt; venenum communicant, hócque efficacius & ſubtilius eſt, quàm illud, quod cutis dilacerationem poſtulat; craſſius tamen & lentius illo, quod ſolo habitu communicatur, exiſtit. Vides igitur quid ſit illud, quod in morbo contagioſi proximè effluit ex morboſo corpore & alteri communicatur.

16. Secundò corpus, à quo effluit ille humor, aut halitus eſt corpus morboſum, & iam illa qualitate virulenta infectum; ſiue in ipſo genita fuerit, ſiue aliunde ipſi aduenerit, vt in lue venerea, quam quis contrahit à muliere, quæ paulo antè cum alio eadem lue infecto congreſſa erat. Debet autem eiuſmodi corpus eſſe feruens & calidum, vt in eo fiat ebullitio & putrefactio, ſiue fermentatio, atque actione caloris in humidum halitus, flatus & vapores educantur. Et ſi humor ex eo educitur & tranſmittitur, fiat aliqua neceſſariò putrefactio. Vnde ſolues vulgarem illam quæſtionem: Quænam corpora infecta magis contagioſa ſint, viuentia, an mortua? hæc enim contagioſa eſſe negat Rondelet. lib. de curat. febr. & mortuo animali Venenum omne interire affirmat: quia cadauera nihil, aut parum omnino expirationis ex ſe emittunt. Thomas Iordanus de peſtis phœnomenis tractat.1.cap.18. ſaltem viuentia contagioſiora eſſe contendit, quia virulenti ſpiritus, qui à viuente exhalant maiorem analogiam cum aliis ſpiritibus viuentium corporum habent, quàm qui è cadauere exhalant. Econtrario vero Laurentius Ioubertus lib. de peſte cap.3. periculoſiorem dicit contactum cadaueris, quàm adhuc viuentis hominis peſte laborantis: quia calor natiuus in viuente venenum obtundit, quod in cadauere extincto ſuo hoſte ferociùs graſſatur, & vniuerſum corpus occupat, augetúrque etiam putredine, & tabo, qui ex cadauere fluit. Hæc diſſidia ita componit Sennert. cap. illo 2. lib.4. de febrib. vt velit ægrotos, qui ſine periculo laborant peſte, minus contagioſos pleriſque cadaueribus: quia in illis calor naturalis venenum hebetat, & tandem vincit, vti dicebat Ioubert, & vix vnquam obſeruatum fuit quemquam ab iis, qui ex peſte conualuerunt, infectum fuiſſe, at verò ab ægroto iam morituro plus periculi imminet, quàm à cadauere: quia venenum deuicto calore naturali veluti triumphat, & vehementiùs ſæuit, & ex tali corpore nihil, niſi peſtilitas per omnes vias, ac ſpiracula maximè per expirationem exhalat, ex cadauere verò, quod extincto omni calore vitali reſilit, recluſi ſunt omnes pori & meatus,

tus, ceſſauitque pulmonum expiratio, nihil ferè vaporis emittitur, maximè accedente frigore externo: ſi tamē aliquid quandoq; expiret, quod ipſe grauis odor teſtatur: illud non niſi virulentum eſſe poteſt. Et ſanè ſi in pannis, aliáque ſupellectili ſemina veneni & contagij ſæpiſſimè remanent, vti dicam ſtatim, cur in ipſo cadauere non ſupererunt, quæ & ab illo expirabunt, & alia corpora inficient. Venatores qui lupum rabidum à ſe occiſum comederunt, in rabiē actos fuiſſe teſtatur Fernel. lib.2. de abditis rer.cauſ.cap.14. Idem contigiſſe conuiuis, quibus ſuem à cane rabido demorſam hoſpes appoſuerat; ait Ioan. Bauhin. tract. de lupor. rabie. Vbi verò cadauer putreſcit, cum ingentem vaporum contagioſorum copiam emittat, periculoſius longè erit corpore viuente.

17. Tertiò corpus, quod recipit contagium debet eſſe analogum corpori morboſo, à quo emittitur, aptum ad recipiendum contagium & facilè ab illo alterabile, debiléque ad reſiſtendum. Similitudo & analogia oritur primò ex arcana aliqua qualitate, cordis videlicet intemperie, propter quam facilè alteratur qualitate illa venenata, faciléque illam recipit: vnde vides aliquos valentes & benè conſtitutos ſubitò & contagio corripi & interimi. Secundò iſta ſimilitudo conſiſtit in temperamento & habitu corporis, aliiſque eiuſmodi: nam corpora calida, humida, laxa, prauis humoribus referta facilè contagium recipiunt. Indéque fit vt integræ aliquando familiæ ſimul, aut breui tempore contagio corripiantur: quia habent maiorem inter ſe ſimilitudinem, tum in arcana cordis, tum in manifeſta temperamenti qualitate; econtrario verò vix homines inficiuntur à belluis, aut belluæ ab hominibus? quia inter illos non reperitur iſta analogia & ſimilitudo.

18. Quartò denique medium, per quod communicatur contagium, aliquando nullum eſt: quia fit per immediatum contactū corporis morboſi & ſani, vt in ſcabie, lue venerea, & aliis contingit; aliàs verò eſt veluti vehiculum aliquod, quo iſtud ſemen & μίασμα, transfertur ab vno corpore in aliud, quod vehiculum duplex eſt, aër nimirum & fomes; per aërem enim ſemina illa contagij in remotas etiam aliquando partes propagari docet experientia, & plures ſolo halitu & vapore, & ſine alio contactu infici nemo negabit. Quod contagium aliqui cum Fracaſtorio vocant in diſtans, & diſtinguunt ab illo, quod per contactum, aut per fomitem fit, cum tamen illud quoque, quod fit per fomitem, dici debeat in diſtans: quia corpus morboſum inficit corpus ſanum à ſe diſtans, ſed aliquo medio interpoſito, aëre nimirum, aut fomite. Itaque duo tantum ſunt genera contagij ſtatuēda cum Mercuriali & aliis, immediatum & mediatum. Primum illud per contactum corporis ſani & morboſi: quia qualitas illa morbifica & venenata reſidet in craſſiore materia, ideóque per humores tantum, ſudores & ſordes cuti adhærentes communicatur, neque longiùs ſeſe diffundere poteſt; mediatum, quando corpus morboſum per effluuium quoddam & μίασμα, corpori ſano diſtanti morbum communicat, ſiue potius eius cauſam & ſemen per interiectum aërem, aut fomitem: ita enim appellant corpus, quod iſta effluuia μιάσματα, & ſe-

minaria contagionis in ſe recipit, ac retinet, donec deinde alteri illa communicet. De quo fomite Hippocratem, Galenum, alióſque veteres prorſus ſiluiſſe dixit Mercurial. lib. de peſte cap. 12. Quod tamen ipſa experientia comprobauit & ſcriptura ipſa teſtatur Leuit. 13. & 14. agens de leproſis. Corpus verò vt fomes exiſtat, debet eſſe rarum & laxum; quia corpora denſa non facilè admittunt vapores. Secundò nulla vehementi qualitate affectum, id eſt, neque multum frigidum, neque multum calidum: quia vtraque illa qualitas cum magna eſt, vapores peſtiferos extinguit; nam & igne & gelu diſſipatur contagium. Igitur neque marmor, neque ferrum, vllumve metallum fomes eſſe poteſt propter denſitatem & frigiditatem: ideóque moneta infici nequit, niſi propter ſordes viſcoſas, quæ illi adhæreſcunt: Corpora verò lanea, linea, pellicea, ſtaminea, & ligna quædam foraminulenta & rara poſſint eſſe fomites: Ex quibus intelliges, quæ enumerantur Leuit. 13. circa contagium leproſorum. Quod autem dicitur ibi cap. 14. deſquamandos eſſe parietes, & noua calce liniendos; id fit non propter ipſos parietes, ſi ex duro ſilice forent, ſed propter calcem, & incruſtaturam, cui contagioſi halitus adhærere poſſunt. Tertiò debet fomes eſſe in aliqua debita quantitate: nam illam requirit Galen. 3. de ſimpl. Medic. cap. 23. etiam in deleteriis, quæ intra corpus aſſumuntur: centeſima enim pars drachmæ cantharidum & ſcintilla ignis nihil omnino noceret. Vbi igitur fomes motu, compreſſione, aliáve ratione incaleſcit, venenum ex eius veluti ſinu excutitur: exhalant enim ſpiritus virulenti, ſicut quondam ex corpore morboſo exhalarunt, immò & aliquando teteriores, & magis putridi, & ſic alium fomitem inficere poterit, & vna veſtis aliam: quia calor attenuat vaporem illum, agitat & tranſmittit in alia corpora; alioquin vapor ille iners eſt & torpidus & tenaciter adhæret: Ideóque diutiùs in illo corpore & fomite conſeruari poterit. Quod conſtat ex morbis & variis affectionibus diu in humano corpore latentibus, antequam ſeſe prodant. Nam & mobus quidam in ſiniſtra vena per duodecim annos deliteſcens tandem in hydropem erumpit ex Hippocrate lib. de affectionib. rabidi canis venenum in corpore emorſo per plures menſes latet, ex Galen. & Auicenn. Refértque Albertus Magn. li. 7. de animal. cap. 2. per duodecim annos virus illud latens tandem erupiſſe; immò per quadraginta annos teſte Alpharabio.

Atque hæc pauca de morbis Epidemiis, peſtilentibus & contagioſis annotaſſe ſufficiat, ex quibus Bonifacij VIII. & Pij V. mentem in ſuis conſtitutionibus circa cauſam exitus Monialium è monaſterio inueſtigare liceat.

§. IV.

Solutio difficultatis circa mentem Pij V.

Aio igitur imprimis non eſſe intelligẽdam nomine Epidemiæ ſolam & veram peſtem. Primò, quia 19.
in lege odioſa, & difficili verba maximè propriè ſunt accipienda, & non ad vnam aliquam ſignificationem, ex qua grauior reddatur lex reſtringenda. Quod principium in legibus pœnalibus, aliiſque valere, fuſiùs alibi

bi oſtendimus: cum verò lex iſta clauſuræ ſeuera & dura admodùm ſit, immò cum eius rigorem temperare voluerit Pius V. in ſua conſtitutione, vt pleríque ex aduerſariis cenſent: ſanè eius verba in illa ſignificatione accipienda erunt, quæ molliat legem, non quæ duriorem faciat, & quæ illam antiquiori quàm noua iſta temperari dicunt, auſteriorem reddat; modò tamen ſignificatio propria verborum retineatur. Hoc autem omnino contingeret, ſi nomen Epidemiæ ad ſolùm morbum peſtilentem propriè dictum reſtringeremus. Nam cùm antiqua Bonifacij conſtitutio concedat exitum Monialibus, quoties laborabũt morbo, qui cæteris periculum, aut ſcandalum creabit, Pius eam conſtitutionem emendaret, & ad ſolam peſtilentiam propriè dictam reſtringeret, atque ita multò rigidiorem legem ferret. Nomine verò Epidemiæ ſignificari propriè quemlibet morbum popularem, qui contagio & infectione in multos graſſatur, ſiue plures interimat, ſiue non, certiſſimum eſt ex ſuperiori digreſſione.

20. Secundò mentem Pontificis apertè colligimus ex ratione, qua mouetur, vult enim prouidere monaſterij incolumitati, & conſtitutionem Bonifacij explicare, qui exitum Moniali conceſſerat propter vitandum aliarum damnum, quod ex morbis contagioſis ob anguſtiam loci facilè imminebat. Deinde cur non fuit vſus Pontifex vulgari peſtis nomine, vti facilè poterat, atque ita omnem dubitationem tollere? Cur & lepram adiecit, vti ſtatim dicam niſi ob infectionis & contagij periculum? Denique vel Bonifacium explicare duntaxat voluit Pius; vel emendare & corrigere. Si primum, quod veriſſimum eſſe conſtat ex eius verbis, aſſignauit duntaxat morbos, ex quibus cæteris Monialibus periculum, aut ſcandalum creari poteſt, cuiuſmodi non ſunt ſoli peſtilentes propriè dicti, ſed illi Epidemij, qui facilè ſeſe communicant, immò ſi peſtis aliquando accidere poſſet, ſiue contagio, quod de eius eſſentia contendit Alexand. Maſſaria lib. 1. de peſte: tunc non eſſet cauſa ſufficiens exitus: quia ex illa nullum crearetur periculum cæteris, & reuera non eſſet morbus Epidemius; atque ita neque in conſtitutione Bonifacij, neque in lege Pij contineretur. Ergo nomine Epidemiæ non intellexit Pius V. ſolam peſtilentiam propriè dictam.

Quod ſi dicas Pium emendaſſe Bonifacij edictum: Præter quàm quod ipſe Pontifex contrarium affirmat, quæro an emendarit molliendo, an reſtringendo? Si primum; ergo non debuit morbum contagioſum, quem ſufficientem cauſam exitus dixerat Bonifacius, ad ſolam peſtilentiam arctare: inde enim non mollior, ſed ſeuerior multò fit clauſuræ lex. Quod ſi illam reſtringere voluit, cur non vſus eſt nomine peſtis, & vocem ambiguam vſurpauit: cur & lepram addidit? Voluit igitur vterque Pontifex vnum & idem, nempe & totius monaſterij incolumitati, & clauſuræ ſimul proſpicere: quod vtrumque præſtitere conceſſo exitu Moniali laboranti morbo contagioſo, licet non peſtifero. Nam ea ratione neque aliæ periculum infectionis incurrunt, neque violatur clauſura, vti omnino violaretur. Neceſſe enim foret mulieres ſæculares admittere, quæ tot infirmis miniſtrarent: immò, ipſæmet Moniales infectæ cogerentur è monaſterio

tandem egredi: quibus incommodis facilè occurrit, cum Monialis morbo Epidemio affecta permittitur exire, ne contagio alias inficiat.

21. Aio ſecundò, Pium V. ſua conſtitutione non complecti omnes morbos Epidemios, cum enim plerique benigniores ſint, neque vulgò periculum creent, immò neque ſint omnes contagioſi, laxaret plus æquo Bonifacij legem, cuius tamen ſe veſtigiis adhærere ſæpius affirmat: quia cum illa loquatur de illis tantum morbis, qui cæteris Monialibus, aut periculum, aut ſcandalum pariunt; Pius de omnibus Epidemiis ageret, quorum tamen aliqui, neque periculoſi ſunt ipſis ægrotis, neque aliis, qui cum ipſis verſantur, atque ita ſtatim vbi popularis aliquis morbus ſæuiret, vt febres, catharri, diſtillationes, dyſenteriæ & alij eiuſmodi, laxanda eſſet clauſura, & Moniales illis laborantes illa ſoluendæ.

22. Aio tertiò, per Epidemiam non intelligi apud Pium morbos Endemios, & alicui regioni vernaculos ac familiares: alioquin cum illi morbi in eiuſmodi regione perpetuò ſæuiant, ſtatis ferè & certis temporibus, nunquam ferè poſſet in illa regione ſeruari clauſura; ſemper enim aliquæ Moniales tentarentur eiuſmodi morbo; quibus eſſet permittendus exitus è monaſterio, præterquam quod ad vitandum talis morbi periculum deſerenda eſſet ea regio, & in aliam aliquam tranſmigrandum; quod cùm non faciant ipſi ſæculares, quis id Monialibus concedat?

23. Aio quartò, Non ſignificari à Pio V. nomine Epidemiæ morbos Epidemios etiam lethales non contagioſos, neque etiam omnes contagioſos. Non primum, quia morbi Epidemij non contagioſi aliis quàm ægrotis periculoſi non ſunt: & tamen Bonifacius illum ſolum morbum, qui cum ægroto verſantibus periculum, aut ſcandalum parit, legitimam eſſe cauſam ſoluendæ clauſuræ dicit, cuius mentem declarauit Pius, vt dixi, & non ampliauit: Epidemios autem omnes quamuis lethales non eſſe neceſſariò contagioſos ex eo patet, quòd Epidemij ſint communes & populares; quia habent cauſam omnibus communem, vnde ab ea omnes, aut multi laborant; at verò morbi ſunt contagioſi, quia ſeſe per contagium, vti explicuimus ab vno in alium propagant: quæ duo non ſemper coniunguntur: nam ſunt aliquando febres, aut pleuritides plures, quæ non ſunt contagioſæ.

Secundò non ſignificari etiam per Epidemiam omnes morbos contagioſos inde colliges, quòd omnes contagioſi Epidemij non ſint, vt vides in lepra, lue venerea, ſtrumis, ſcabie aliiſque eiuſmodi. Præterea quia omnes contagioſi non ſunt, periculoſi, aut lethales, vt diximus: deinde quia aliquorum contagium faciliùs vitari poteſt; quare abſque periculo & graui ſcandalo licet cum eiuſmodi ægrotis commorari. Non eſt igitur ſoluenda clauſura ad vitandum illud aut periculum, aut ſcandalum.

Aio quintò. Ex contagioſis morbis grauibus & lethalibus eos, qui ſolo contactu corporis morboſi, aut fomite ſeſe communicant, non comprehendi à Pio V. in ſua conſtitutione nomine Epidemiæ. Primò, quia illi reuera Epidemij non ſunt, vti de elephantiaſi, lue venerea, phthyſi, dyſenteria & aliis conſtat, qui contagio ſuo inficere alios poſſunt: 24.

&

& tamen non ſunt Epidemij.

Secundò, quia quoties contagium per ſolum contactum, accubitum, aut concubitum ſerpit, propter lentius venenum quod humori quoque craſſiori inſidet, & non niſi per ſudores, aut ſordes communicatur, vix vllum periculum eſt ab eo contagio; quia facilè vitari poteſt, maximè in religioſa familia. Quod idem dicendum eſt, quando per ſolum fomitem, cui adhæret illa maligna ſubſtantia ſeu humor, ſeu vapor ſit, & non aliter quàm per contactum fomitis illius ſerpit. Cur enim linteamina, panni, aliáque ſuppellex eiuſmodi ægroti, ne quis ab illis inficiatur, detergi, aut ſeponi, facilè non poterunt.

25. Aio ſextò, Eos ſolos morbos communes & contagioſos, qui per halitum & vaporem ſubtiliorem, ſiue tranſpirationem & expirationem communicantur, ſiue eiuſmodi halitus ex ipſo corpore morboſo exhalet, ſiue etiam ex ipſo fomite, cui adhæſit, vbi incaleſcet aut motu aut compreſſione aliáve ratione expiret, nomine Epidemiæ intelligi debere à Pio V. quia & illi Epidemij verè ſunt, & periculum iis, qui cum ægroto commorantur, omninò creát; quod periculum eſt vnica cauſa, quam attendit Bonifacius, ipſique adhærens Pius, vt Communitatis totius incolumitati vnius Monialis tali morbo laborantis égreſſu conſuleretur, vti oſtendimus §. 1. Periculum verò ex morbis iſtis contagioſis grauiſſimum eſſe conſtat ex §. ſuperiori illorum enim venenum omnium efficaciſſimum & ſubtiliſſimum eſt, facillimè quoque communicatur, minimo nimirum halitu, qui neque occurſu aëris, neque aliorum corporum ita diſſipatur, aut diuiditur, vt in minima ferè ſui parte totam ſuam vim non retineat, immò ferè omnibus corporibus ſi laxa & rara ſunt, poroſa aut foraminulenta, aut ſitum, vel ſordes aliquo modo contrahant, adhæreat: vnde poſt plurimos aliquando annos excitatus ſæuiat. Denique quia eiuſmodi maligni & venenati halitus totum aërem vicinum facilè infeſtant, quem deinde alij haurire ſine periculo nequeunt: quod maximè verum eſt in iis, qui cum ægroto verſantur, aut eadem domo continentur: itaque totius monaſterij aërem infici à malignis eiuſmodi vaporibus facilè cõtinget. Conſultò igitur Pontifices Monialem eiuſmodi morbo aliquo contagioſo laborantem educi è monaſterio voluerunt, vt cæterarum ſaluti prouideatur. Quod verum omninò exiſtimò etiamſi ille morbus nondum popularis ſit, aut Epidemius: quia aut paucos hactenus inuaſit, aut aliquam Monialem primò & ſolam adhuc corripuit. Satis enim eſt, ſi à perito Medico iudicetur eſſe ex genere horum contagioſorum, quos deſcripſimus: quia reuera iam eſt Epidemius non actu, ſed potentia: poteſt enim ſuo virulento contagio quamplurimos inficere, idque profectò faciet, niſi maturè occurratur: alioquin ſi aliqua Monialis vera peſte laboraret, cuius tamen nulla veſtigia alibi deprehenſa ſunt, nulláque ſuſpicio eius pulſat, & quæ in illa primùm genita, & non aliunde communicata fuit, è monaſterio extrahi non poſſet: quia illa peſtis eſt actu Epidemius morbus, cum in illa ſola Moniali hactenus deprehenſa fuerit, quod nemo dixerit.

Aio ſeptimò, non ſolam itaque peſtilentiam, ſed alios quoque mor- 26.

bos Epidemios contagioſos, qui non ſolo contactu, ſed halitu & expiratione in plures propagantur modo explicato, nomine Epidemiæ capiendos eſſe in conſtitutione Pij V. quia in illis omnibus reperitur ratio allata à Bonifacio, & quæ Pio V. perſuaſit, vt Epidemiæ cauſa clauſuram laxaret, nimirum aliarum Monialium periculum, aut ſcandalum, id eſt, horror & offenſio, quæ in infirmiori ſexu plurimum poteſt, etiam ad concitandos morbos, vti ipſa docet experientia, atque ita facilè componuntur diſſidia Doctorum §. 2. allata, quorum alij ſolam peſtem; alij alios morbos Epidemiæ nomine interpretabantur. Nam neque illi omnes morbos communes benignos & mites intellexerunt, ſed contagioſos duntaxat. Verùm neque omnes contagioſi intelligendi ſunt, neque etiam peſtilentia propriè dicta, ſed illi omnes Epidemij contagioſi, qui ſicut ipſa peſtis ſerpunt per contagium ſolius vaporis & halitus ſubtilioris, & à quo vix quis ſe tueri poſſit, ſi cum ægroto, aut in eadem domo verſetur, aut communem, vel vicinum aërem hauriat. Quod ſi contendas illum omnem eiuſmodi morbum, eſſe veram peſtem, quæ ex pluribus Medicis, non eſt vnus aliquis morbus determinatus, ſed quicumque plures ægrotos interimit, quod habent morbi iſti contagioſi, quos deſcripſimus, cum fiant ab inimiciſſima ſubſtantiæ noſtræ qualitate, & veneno efficaciſſimo & ſubtiliſſimo, quod & facillimè ſpargatur, & citiſſimè interimat, Iam erit quæſtio de vocibus, & ſaltem in communi vulgi ſermone non cenſentur omnes iſti morbi vera & propria peſtilentia, quam etiam nobiles Medici §. 3. pugnabant eſſe morbum determinatum & certum ab aliis omnibus diſtinctum per ſpecificam, & eſſentialem proprietatem, & non ſolùm ex illo effectu plures interimendi. Itaque ſapienter omnino Pius V. qui Bonifacij conſtitutionem ſua explicabat, vt morbum omnem, qui cæteris Monialibus periculum, vel offenſionem & ſcandalum creare poſſet, ſignificaret, noluit vti nomine peſtis, ne vnum tantùm morbum determinatum comprehendere, alióſque omnes maximè contagioſos excludere videretur; ſed nomen commune adhibuit, quod omnes eiuſmodi morbos complectitur, ſiue ſint vera & propriè dicta peſtilentia, ſiue non: qua de re diſſident Medici.

Aio octauò, omnem morbum Epidemium contagioſum eo modo quo in proximis duabus aſſertionibus diximus, eſſe cauſam legitimam extrahendi è monaſterio Monialem illo morbo laborantem; at verò propter ſolam peſtilentiam propriè dictam, eámque iam ſæuientem, & graſſantem ferociùs fas eſſe permittere Monialibus non ægrotis aliò commigrare, & in tutum locum ſe recipere ad vitandum commune totius ciuitatis ex lue debacchante periculum; qua etiam ratione Doctores conciliabis: qui enim ſolam peſtilentiam idoneam eſſe cauſam ſoluendæ clauſuræ opinantur, verè ſentiunt, ſi de exitu omnium aut plurium Monialium etiam non ægrotantium agatur: Qui verò alios quoque morbos ſæuiores, & contagioſos ſufficere exiſtimant ad egreſſum Monialis, de Moniali tantùm ægrotante loquuntur. Vtraque verò pars huius aſſertionis liquidò colligitur ex diſputatis: iam enim oſtendimus ex ipſa Bonifacij mente eum morbum, 27.

bum, qui ſuo contagio aliis aut periculum; aut ſcandalum creat, cauſam eſſe ſufficientem extrahendi è monaſterio Monialem illo tentatam: idémque voluit Pius V. At verò tunc non eſſe licitum alias Moniales adhuc incolumes educere è monaſterio ſatis innuunt Pontifices maximè Bonifacius, qui agit tantùm de exitu Monialis ægrotæ. Deinde ratio ipſa id euidenter ſuadet; illius enim ægrotæ egreſſu reliquis conſulitur: cur igitur clauſura ſoluentur, niſi ſit aliquod aliud periculum, quod immineat omnibus Monialibus, ſi in illo reſidere pergant: tunc enim nemo affirmabit illas teneri cum eiuſmodi periculo intra ſepta monaſterij ſeſe continere. Hoc verò periculum ſæuiente & totam aliquam vrbem depopulante peſtilentia contingit, maximè cum monaſterium anguſtum eſt, & loco inſalubri collocatum, aut in media vrbis frequentia, & iam tentantur aliquæ Moniales, opſonia, ac reliqua neceſſaria niſi ex locis, aut infectis, aut ſuſpectis & per homines quoque ſuſpectos haberi nequeunt, neque cauetur periculum, ſi quæ ægrotant, mittantur extra monaſterum: immò neque ſæpiùs inueniatur locus idoneus, in quem iam laborantes dimittantur, & vti poſtularet morbi natura, curentur, ſatiúſque multò ſit illas in monaſterio iam infecto relinquere, vbi commodiùs curabuntur, & reliquas adhuc ſanas aliò deducere, vbi etiam quantum licuerit religioſa munia & penſa peragent. Quod nemini niſi ſeuerior, plus æquo ſit non perſuaſum eſſe exiſtimo: Primò, quia lex eccleſiaſtica non obligat cum vitæ periculo, niſi bonum commune ita exigat, vti conſentiunt Doctores, & iterum dicam inferiùs. Secundò Pontifices vnius Monialis ægrotæ exitu, permittunt, vt cæteris omnibus conſulatur: cur igitur quando eductione ægrotarum non cauebitur tale periculum, quod aliunde imminet, neque ſine cæterarum ac ferè omnium egreſſu vitari valebit, ille non permitti poterit? Tertiò permittit Pius V. vti referam inferiùs, exitum omnibus in cauſa magni incendij, non niſi ob periculum vitæ: atqui non minus vrget illud, quod ex incendio ſæuiſſimæ luis impendet; & vix aliter quàm deſertione ciuitatis incenſæ caueri poteſt. Quis igitur tunc mediis in illis flammis remanere Moniales voluerit? Et quamuis hanc quæſtionem non propoſuerint Doctores, quos vidi; illa tamen ſatis perſpicua mihi videtur, neque cum Pij conſtitutione pugnare. Et ſanè ſi iure dixit Sanch. lib.6. in Decalog. cap.15. num. 52. iuſtam eſſe egreſſus cauſam, quando ex authoritate Prælati totus Monialium conuentus locum mutat, quia tunc agitur de monaſterij totius vtilitate, cur ea mutatio fieri non poterit ad aliquod duntaxat tempus, ne totum monaſterium pereat.

§. V.

Alia cauſa egrediendi è monaſterio à Pio V. allata.

Altera cauſa, propter quam permitti egreſſum è monaſterio diximus ex conſtitutione Pij V. eſt lepra, ob infectionis ſcilicet periculum, propter quod non modò à Perſis, qui dicebant eiuſmodi morbum cœlitus immitti, quod homines in ſolem deliquiſſent, extra ciuitatem eiiciebantur, teſte Herodoto lib. 1. 28.

ſed

ſed etiam apud Iudæos Dei iuſſu. Leuit. 13. & 14. vnde huius morbi turpitudiné pluribus amplificat Nazianzenus orat. 30. in laudem Baſil. & non modò omnibus odioſi erant leproſi, ſed etiam Deo, quoque inuiſi exiſtimabantur: vnde de Chriſto dicitur Iſai.53. *Et nos putauimus eum quaſi leproſum & percuſſum à Deo, & humiliatum*. nimirum odioſum Deo, atque ideò ab illo fœda plaga percuſſum. Et ſanè Deus illam comminatur Ieroſolymæ & Eccleſiæ hoſtibus Zach. 14. ver.12. *Et erit hæc plaga, qua percutiet Dominus omnes Gentes, quæ pugnauerunt aduerſus Ieruſalem: tabeſcet caro vniuſcuiuſque ſtantis ſuper pedes ſuos*. Caro nimirum ipſorum adhuc viuentium, & vegetorum, & ſuis pedibus ſtantium, tabe reſoluta defluet. Quod de lepra plures interpretantur: quá etiam à Deo percuſſus Ozias 2. Paralip. c.26. & Maria ſoror Aaronis & Moſis Num.cap.12. de qua dicebat ipſe Aaron. *Ecce iam medium carnis eius deuoratum eſt à lepra*. Et Iobus ipſe ſe diuina manu tactum gemebat, indutámque carnem ſuam putredine, & ſordibus pulueris cutem ſuam aruiſſe atque contractam eſſe. Sic enim appellat ſquamoſam cutem ex concreta ſanie & puſtulis, quæ ex humore putri inoleuere corpori: quas cruſtas ſordes pulueris nominat; quia facilè ſoluuntur in puluerem, & furfures à Medicis appellantur, ſúntque albæ ſquamæ, ideóque leproſi hominis membra, candore probantur Leu.13. dum igitur ſcalpebat Iobus, ſquamoſum corpus, videbatur glebas detrahere. Vnde Lxx. in Caten. *Liquefacio autem glebas terræ de ſanie radens*. Quod tamen in eadem Catena Græci Patres paulò aliter explicant. Ea itaque de cauſa Iobus extra ciuitatem eiectus in ſterquilinio fuit, cùm id ſeruarent Idumæi circâ leproſos ex more patrio, quod deinde Iudæi diuina lege obſeruarunt. Sterquilinium verò Iobi ſubdio & extra ciuitatem fuiſſe affirmát Chryſoſtom. homil. 4. in Iob. Origenes lib. 2. in Iob. Beda, Polychron. Apollinar. aliique in Catena, atque recentiores Eugubin. Pineda, Sanch. & cæteri Commentatores. Denique ita à communi hominum conſortio prohibebantur leproſi apud Iudæos, vt ne quis incautus in illos incideret, iuſſerit Deus certis in veſtimentis notas habere, quibus ab eorum conuictu, congreſſúque cæteri prohiberentur, ne turpem illum, ac fœdum morbum imprudenter contraherent. Hinc illud Iobi 9. ver.31. *Sordibus intinges me, & abominabuntur me veſtimenta mea*. Quia Deus illum, licet ſibi integer videretur ac purus, contaminatum oſtendet, & abominabilem, ſicut leproſus ſuis ſordibus & veſtimentis abominabilis omnibus demonſtratur. Quid mirum igitur ſi ob abominandum morbum, & adeò contagioſum, vt Deus iuſſerit ad eius infectionem vitandam, ipſos deſquamari parietes, permiſerit Pius V. Monialem monaſterio egredi, ne alias in periculum adduceret, aut illis ſcandalum & horrorem pareret. Atque ita vides Pium veſtigia Bonifacij preſſiſſe. Et duntaxat explicuiſſe ſingillatim morbos, quos ille vniuerſalioribus verbis complexus fuerat, & non conſtituiſſe nouum ius, aut Bonifacij conſtitutionem laxaſſe vel ampliaſſe.

Dices: Alexand. III. vt refertur cap. 1. de coniugio leproſor. prohibet coniuges leproſos inuicem ſeparari, vúltque vxorem ſequi virum 29.

leproſum,

leproſum, & virum ſanum non deſerere vxorem leproſam, ſibique inuicem coniugali affectu miniſtrare. Quod ſi id nolint, cogantur cenſuris Eccleſiaſticis continenter viuere. cap. verò 2. non modò dimitti vxorem propter lepram non permittit; ſed etiam coniugem ſanum ad reddendum debitum leproſo petenti obligat. Vnde colligitur non eſſe tantum periculum infectionis in cóſuetudine leproſorum, vt ſoluat obligationem ſimul commorandi; ac proinde niſi Pius V. voluiſſet lepram eſſe cauſam legitimam ſoluendi clauſuram, propter ipſam ſolui non potuiſſet. Molliuit igitur Pius rigorem conſtitutionis Bonifacij, qui ob ſolum graue periculum, aut ſcandalum commorationis cum Moniali ægrota, illi permiſit exitum è monaſterio. Non fuit igitur ſolum declarata illa Bonifacij lex, ſed etiam correcta, contra quam hactenus diſputauerimus.

Reſpondeo ſanam coniugem non teneri leproſo petenti debitum reddere cum probabili periculo propriæ infectionis. Itaque omnino intelligendum eſſe Alexandri III. reſponſum quod ex communiori Theologorum, Summiſtarum, & Iuris vtriuſque Doctorum ſententia probat Sanch. illos recenſens lib. 9. de matrimon. diſput. 24. numer. 17. quem deinde ſecuti ſunt recentiores. Neque S. Thom. in 4. d. 32. quæſt. vnica articul. 1. ad 4. aliique veteres, qui abſolutè obligarunt coniugem ſanum ad hanc debiti ſolutionem nobis reipſa aduerſantur, rationem enim ſuæ ſententiæ reddunt, quod ex breui coniunctione ad copulam non adſit infectionis periculum; quare ſi illud eſſe exiſtimarent, non obligarent eiuſmodi coniugem cum tanto periculo, tum quia contractus humani, qualis eſt matrimonij contractus, non obligant cum diſpendio vitæ; tum quia, vt argumentatur ipſemet S. Thom. artic. citat. natura priùs prouidere vult incolumitati proprij indiuidui, quàm prolis generationi: idcirco non niſi ex alimento reſiduo ſemen prolificum præparat, & primò per potentiam nutritiuam indiuidui ſaluti incumbit; tum ſi quid ſupereſt, illud per potentiam generatiuam in prolis generationem, & ſpeciei propagationem impendit. Vbi igitur prolis generatio ſine proprij indiuidui periculo obtineri non poterit, matrimonij lex non obligabit coniugem eiuſmodi diſcrimini ſe exponere, quamuis alter coniux lepra, alióve ſimili morbo, à quo infectio grauis timetur laborans, incurrat aliquod incontinentiæ periculum: Nam ſanus non tenetur tanto ſuo damno illi occurrere, cum coniux æger non niſi voluntariè peccet, poſſitque, ſi velit, non peccare. Poterit tamen coniunx ſanus ex amore coniugali & ſalutis alterius, ſpreto ſuo periculo leproſo & lue venerea infecto debitum reddere, ſi velit, eo quod in morbis eiuſmodi habitualibus & diuturnis coniugalis amor & moleſtia luctandi ſemper cum incontinentia præferri poſſunt illi periculo, & coniux ſanus cedere iuri, quod habet vitæ ſuæ diutiùs conſeruandæ. Verùm agimus hoc loco de obligatione reddendi debitum cum tali periculo, quam omninò negamus imponi ab Alexand. III. Imò plures Doctores cum Sanch. diſput. 24. cit. n. 21. eiuſmodi obligatione ſoluunt coniuges, quoties (licet non ſit graue infectionis periculum) ingenti quodam horrore percellitur coniux

ſanus ex acceſſu ad leproſum, aut ſimili alio morbo infectum. Quod verò diximus de obligatione reddendi debitum coniugale, idem omnino dicendum eſſe cenſeo de cohabitatione in eadem domo, & mutuis aliis officiis, atque obſequiis, quæ ſibi inuicem reddere tenentur coniuges ex lege communis vitæ ſocietatis, quam contractus matrimonij poſtulat; pro ratione enim periculi infectionis pronunciandum omnino fuerit.

30. Quæ omnia vt clariora, certioráque reddantur, diſtinguenda ſunt cum Fracaſtor. lib.2. de morb. contagioſ.cap.13. & 14. Ruidio lib.5.de morbis occultis, Franciſco Valeſ. cap.19. de ſacra Philoſophia, aliiſque Medicis leprarum duo genera, quorum vnum Elephantia, Elephas, ſiue elephantiaſis dicitur;aliud commune lepræ nomen retinet.Eſſe porrò diuerſos iſtos morbos & malè ab aliquibus confundi inde conſtat, quod Galenus lib. de tumoribus dicat ex Elephantiaſis quoſdam factos fuiſſe leproſos ægritudine in melius conuerſa. Et ſanè de lepra agunt Græci ſimul cum pſora & ſcabie, quæ via quædam eſt ad Elephantiam: vnde Galen. loc.cit. *Sunt pſora & lepra melancholicæ paſſiones ſolius cutis, quæ ſi in venis & carne inualeſcant, cancer nominatur & Elephas.* Paulus Ægyneta de lepra agens & pſora ſimul: *Horum*, inquit, *morborum vterque ſummæ cutis aſperitas eſt cum pruritu & corporis attenuatione ex melancholico humore ortum habens.* Plin. lib.26. cap.1.nouos morbos dicit Elephantiam & Lichenas, & Elephantiam quidem ante Magni Pompeij ætatem non accidiſſe in Italia, & ipſam à facie ſæpiùs incipere, in nare prima veluti lenticula mox inualeſcente per totum corpus maculoſa, & variis coloribus & inæquali cute alibi craſſa, alibi tenui ac dura ceu ſcabie aſpera, ad poſtremum verò augeſcente intumentibus digitis in pedibus, manibúſque. Ægypto peculiare hoc malum, & quum in Reges incidiſſet populis funebre, quippe in balneis ſolia ſanguine temperabant. Arabes per Elephantiam intelligunt tumorem quemdam pedum ex humore melancholico, ceu è varicum genere, quia in ea lepræ ſpecie pedes, Elephantum more tument. Lepram autem vocant quod vulgò quoque lepram Græci, & Latini nominant. Verùm quidquid ſit de hac vocum contentione, dicendum eſt Elephantiam eſſe ſpeciem ſæuiorem, & tetriorem lepræ, quæ ita nominatur vel à morbi magnitudine, vel à ſimilitudine cutis Elephantis ſcabræ & aſperæ, vel aliis de cauſis, de quibus leuis eſt omnino contentio; lepram verò eſſe quamdam aliam leuiorem affectionem quam communi nomine deſignamus, & ferè quædam ſcabies eſt. Elephantiam ſic deſcribit Fracaſt.& alij ferè. Oritur primò ſine dolore ac febre, aliquandiu latet, & deinde ſe prodit paruula lenticula ſubnigra, ſub nare oborta; tum cutis varia fit colore, duritia, aſperitate, attenuatione: alibi quippe liuida, alibi alba, alibi atroruffa, dura hic, illic leuior, alicubi aſpera & ſquamoſa, craſſa, & veluti corium induratum igne: puſtulæ toto corpore naſcuntur duræ & ferè purpuraſcentes, quæ tandem exulcerantur, & pus aliquod emittunt, vicina membra intumeſcunt, aliáque contrahuntur, alia extenduntur: vnde quibuſdam excauatur naſus, os vtrinque contrahitur, oculi rotundantur

ſimi

ſimiléſque fiunt Satyris, vnde & ſatyriaſis dicitur, quamquam aliqui ſic nominari velint ab immodica veneris tentigine, tument pedum, manuúmque digiti inſtar Elephantum ſequitur ingens fœtor, & demum albedo totius cutis, & tunc inſanabilis exiſtimatur. Contagioſus porrò eſt hic morbus non contactu ſolo, ſed & fomite, & anhelitu, quamquam tardiùs irrepat; faciliùs ſe propagat in viros quàm in fœminas, & pauciſſimi Eunuchi illo corripi viſi ſunt. Vnde & aliqui in huius remedium ſe caſtrari paſſi ſunt. Eius materia eſt ſanguis melancholicus, qui tandem fit nigra cholera, vnde naſcitur cancer, , ideóque viri, quia plus habent melancholici ſanguinis quàm fœminæ; quæ pituita abundant, faciliùs illo tentantur & frigidæ regiones; quia ſanguine multo affluunt eóque pingui & vnctuoſo, in eóque fit plurima exhalatio, quæ vbi ad cutim peruenit, non euaporat propter denſitatem eius, & regionis frigiditatem, itaque craſſius illud, quod remanet, coit ſub cutem, atque illic exuritur propter vnctuoſitatem, & tandem putreſcit, labémque iſtam gignit. Quod idem contingit in calidioribus regionibus, in quibus quoque & craſſior eſt ſanguis, & denſior cutis. In mediis verò regionibus temperatior eſt ſanguis, & tranſpirabilis caro, ac rarior cutis, ideóque rarius in illis graſſatur hic morbus; mulieres autem & Eunuchi frigido & aquoſo ſanguine abundant, qui nec tam facilè coit & craſſeſcit. Denique quia huius morbi materia circa ſumma conſiſtit, & non reſidet circa neruos & lacertos; ideo nec dolorem, nec febrim excitat.

31. Lepra differt ab Elephantiaſi, quia materia Elephantiaſis craſſior eſt & profundatur magis, quia magis aduſta exiſtit. Deinde in lepra ſunt puſtulæ, ſed ſicciores, & magis ſquamantes quàm excedentes, pruritu laborat & macie eſtque delicatior quædam Elephantiaſis.

Pſora verò eſt ſcabies, quæ ſiccior eſt, quamquam & melancholiam admixtam habet. Sed prò varia illa materia, & admixtione ſalſæ pituitæ fiunt variæ infectiones cutaneæ, de quibus latiſſimè Fracaſtor. lib. illó 2. de morb. contagioſ. c.15. ex qua etiam permixtione pituitæ ſalſæ & melancholiæ varias fieri lepræ ſpecies, quarum aliquæ reuera malignæ non ſunt neque ita periculoſæ, oſtendit.

Sapienter igitur voluit Alex.III. coniuges leproſos habitare cum ſanis, vbi non fuerit, vti ex communi ſententia docuimus, infectionis graue periculum, quale reuera ſemper non eſt in pluribus lepræ ſpeciebus, & ſolum in Elephantiaſi ſuperiùs deſcripta: illa verò infrequentior eſt in hiſce partibus, teſtatúrque Fracaſtor. ſe ferè neminem hactenus deprehendiſſe in hoſpitalibus huic morbo deſtinatis, quæ Lazareta appellant; qui verè foret Elephantiacus, ſed leproſos duntaxat, aut impetigine quadam affectos vidiſſet: de illis porrò agit Alexand.III.

Ex quibus etiam efficitur lepram, quam Pius V. in ſua conſtitutione voluit eſſe cauſam permittẽdi egreſſum Monialibus è monaſterio eſſe ſæuiorem illam, quæ & contagio ſuo inficit, & ſcandalum etiam ac horrorem generat, atque ita non ampliat Bonifacij legem, ſed ipſam, vti diximus, explicat, quam vniuerſalioribus verbis ſcripſerat Bonifacius.

32. Tertia cauſa egreſſus Monialium dicitur à Pio V. magnum incendium, quod ſcilicet extingui nequeat, & vitari ſine graui periculo Monialium, niſi è ſeptis ſuis diſcedant. Nam ſi occurri poſſit abſque eiuſmodi exitu, permitti non debebit, vti ex communi ſententia retulimus §. 1. Et ſanè conſtantiam in retinenda clauſura hoc caſu etiam miraculo probauit Deus teſte Petro Venerabili lib. 1. de miracul. cap. 22. ex quo deſcripſit Baron. an. Chriſti 1094. Cum enim conflagraret monaſterium Marcianienſe ne imperante quidem Hugone Archiepiſcopo Lugdunenſi & Vrbani II. Legato in Galliis exire voluerunt nobiles virgines, & ipſarum vna Giſla nomine Hugonem rogauit, vt potiùs imperaret igni, vt è monaſterio diſcederet, quàm vt ipſæ ex illo contra votum ſuum exirent. Quod vbi fecit Hugo, derepentè ſubſtitit incendium, & velut iniecta frigida breuiſſimo tempore extinctum eſt.

33. Quarta cauſa continet caſus alios ſimiles iis, quos in ſua conſtitutione Pius V. aſſignauit. Etiamſi enim dictionem taxatiuam adhibuerit, dixeritque extra illos tres caſus nemini faciendam hanc licentiam egrediendi: illos caſus non ſumpſit materialiter, ſed formaliter, quatenus videlicet ſunt nociui monaſterio, totique communitati: quare extenſio quæ fit ad alios caſus, in quibus eſt idem, aut maius damnum communitatis & monaſterij, non eſt vera & propria extenſio, ſed declaratio, propter identitatem rationis, quod fuſiùs in noſtra ſcientia canonica docuimus, & in aliis legibus etiam pœnalibus & odioſis, quæ tamen ſtrictius interpretandæ ſunt, oſtendunt Anton. Gomes tom. 1. Variar. cap. 11. num. 12. variiſque exemplis confirmat hoc loco Sanch. lib. 6. c. 15. num. 37. aliique. Itaque noſtram hanc ſententiam docent, tum ipſe Sanchez, tum Nauarr. comm. 4. de Regular. num. 48. Gutierr. lib. 1. qq. Canonic. cap. 14. num. 9. licet in contrariam ſententiam inclinet. Azor. tom. 1. lib. 13. cap. 8. quæſt. 1. ad fin. Rodriq. tom. 1. qq. Regul. quæſt. 49. artic. 3. & art. 5. Cenedo collect. 31. ad ſextum decretal. num. 2. Suarez lib. 1. tract. 8. de Relig. cap. 9. numer. 3. Barboſ. de poteſt. Epiſcop. alleg. 102. num. 16. Ferdinand. à Caſtro tract. 16. diſput. 4. punct. 9. num. 13. Bonacin. diſput. de clauſura quæſt. 1. punct. 9. num. 6. Vgolin. de officio Epiſcop. cap. 21. §. 2. num. 3. Contra Mirand. de Monialib. quæſt. 3. n. 4. & Zerol. in praxi Epiſcop. ver. Moniales §. 16. vbi & adducit quandam declarationem ſacræ Congregationis Cardin. ſed ſanè de ea non conſtat.

§. VI.

Conſectaria ex doctrina tradita.

CONSECTARIVM I.

Caſus ſingulares circa morbos, propter quos permittendus eſt Moniali exitus è monaſterio.

Ex vniuerſali noſtra Regula, qua diximus propter morbos ita contagioſos, vt reliquæ communitati periculum, aut ſcandalum pariant, permittendum eſſe exitum è monaſterio, facilè fuerit diiudicare quid circa ſingulos morbos ſit ſentiendum: modò quæ fuſiùs de morbis 34.

Epidemiis

Epidemiis & contagioſis ex communioribus Medicorum placitis obſeruauimus, attendamus.

35. Primò igitur propter luem veneream permitti poſſe hunc exitum exiſtimauit Sanch. cap. 15. cit. n. 43. Llamas in methodo curation. in appendice §. 10. Bonacin. punct. 9. cit. num. 2. Quia morbus ille ſimilis eſt lepræ, immò aliqui Medici contendunt illum eſſe veterem Elephantiaſim, quos tamen eruditè caſtigat Fracaſtor. lib. 2. de morb. contagioſ. cap. 13.

Mihi ex iis, quæ de hoc morbo paucis, ſed eruditè ſcripſit Fracaſtor. lib. 2. de morb. contagioſ. cap. 11. & 12. non videtur eſſe cauſa ſufficiens extrahendi Monialem è monaſterio, niſi ita illam afflixerit, vt horridam, vlceroſam, exeſam & fœtidam reddat, vt omnibus ſcandalum & offenſionem ereet: & non ſint ædes intra ſepta monaſterij ita ſeparatæ, vt in illis ſine reliquarum periculo & ſcãdalo curari valeat, quod rariùs omninò continget. Ratio eſt, quia diximus morbos contagioſos, qui non niſi ſolo contactu, eóque valido ſerpunt, non continere ſufficientem cauſam iſtius egreſſus. Atqui hæc lues neque ex omni contactu, neque promptè ſeſe diffundit; ſed ſolum quando duo corpora contactu mutuo plurimum incaluerint, fomitem ferè non relinquit, quamuis infantes lactantes, à matre infecta contrahunt hunc morbum. Ratio eſt, quia illius materia eſt phlegma ſordidum & craſſum, quod indicant in primis puſtulæ pingues & mucore quodam incredibili manantes, deinde gummoſitates concreto phlegmone conſtantes, & denique dolores lacertorum diuturni, extenſiui, & noctu affligentes: quia enim materia craſſior eſt, quam vt penetrare iuncturas poſſit in neruis & lacertis reſidet; ſæuiunt hi dolores noctu: quia interdiu calor naturalis ſolet exteriora petere, à ſole excitatus ad membra operationi deſtinata fouenda, vnde & ventoſitates exoluit, quæ neruos & lacertos extendunt & vellicant, & ſimul materiam illam concoquit. Noctu vero calor introrſum recurrit, & externa membra deſerit: ideóque materia illa à aclore fouente, & ventoſitates diſſoluente deſtituta maiores dolores excitat. Itaque dubium nemini eſſe poteſt materiam huius contagionis eſſe mucoſum phlegma & ſordidum: quare cum huius morbi ſeminaria in lentore quodam ſepulta ſint, indigeántque concalefactione quadam corporum, vt fiant actu ſeminaria, & alteri agglutinari poſſint, non poteſt eſſe prompta contages. Sic diſſerit de huius luis contagio Fracaſtor. cap. 12. etiam vbi primum in Europa viſus eſt, & ſæuiebat magis hic morbus: additque futurum aliquando, vt ne per contagem quidem ſe propaget: quoniam materia in dies frigidior fit, & terreſtrior, in qua & pauciora ſeminaria, & debiliora gignuntur. Cum igitur facilè poſſit huius luis infectio & contagium à cæteris Monialibus vitari, non eſt quod, quæ eiuſmodi morbo laborabit, è monaſterio educatur, vti cæteras periculò ſubducamus.

Secundò Phthiſis contagioſa licet, non videtur cauſa ſufficiens permittendi egreſſum Moniali hoc vitio affectæ. 36.
Illam quidem contrahi ex conſuetudine, aut conuictu cum Phthiſico docet Fracaſtor. lib. 2. de morb. contagioſ. cap. 9. ipſáque vulgaris experientia: nam tanta tenacitate virus illud adhæret fomiti,

támque diu ſeruatur, vt Phthiſicorum veſtes etiam poſt biennium contagionem attulerint, & aliquando cameræ, lectuli & tabulata, in quibus phthiſici perierunt, contagioſa reddantur. Seminaria enim contagionis ex putrefactione, quæ in phthiſi fit, euaporantia tenacia ſunt, & fomiti agglutinantur, craſſa & lenta exiſtunt. Quia tamen dum iam tabidus pulmo deprehenditur, facilè poterit ægra ſeparari à conuictu cæterarum in ipſo monaſterio, non eſt quòd illius clauſura ſoluatur: & ſanè frequentiùs ob iſtum morbum ſoluenda foret.

37. Tertiò Rabies & Hydrophobia non communicatur, aut in diſtans, aut fomite, aut quolibèt contactu; ſed cum ita morſu canis rabidi cutis dilaceratur, vt ſanguis eliciatur, eáque contagio tam lentè ſerpit, vt rarò ante vigeſimum diem ſe prodat, & aliàs per plures menſes lateat: quia ſeminaria illius ſunt craſſiora; quare ſpuma, in qua latent, commiſceri debet ſanguini, vt illi ea ſeminaria agglutinentur, neque ſola cutis dilaceratione penetrabunt. Analogiam habent ad melancholicum humorem, vti diſſerit Fracaſtor. lib. 2. cit. cap. 10. Cum itaque hæc contagio difficiliùs ſeſe propaget, non erit cauſa egrediendi è monaſterio. Adde hos omnes morbos, etiamſi ſint contagioſi, non eſſe tamen Epidemios: cum igitur aliunde periculum, quod ex eorum contagio timetur, non ita difficulter ſuperetur, reuera dici non debent comprehendi à Pio V. nomine Epidemiæ.

38. Quartò variolæ, & morbilli ſunt contagioſi quidem & Epidemij, non tamen peſtilentes, quia plerúmque ſalubres: Contagioſi quidem, quum quod exhalat in illa putrefactione, lentum admodum eſt, & ſeminarium contagionis. Maiori verò ex parte ſalubres: quia ebullitio hæc purificatio quædam ſanguinis eſt. Ita diſſerit Fracaſtor. lib. 2. de morb. contag. cap. 2. Quare quamuis aliquando popularis ſit, & Epidemius hic morbus, non dabit cauſam legitimam Moniali exeundi è monaſterio, vt apparet ex dictis §. 4.

Quintò, idem dicendum erit de dyſenteria, quando popularis & Epidemius morbus fuerit: neque enim Monialis illa laborans ſoluenda erit idcirco clauſura, vt ſtatim vides & ſequitur ex §. 4. 39.

Sextò febris peſtilens, quæ vti definit Fracaſtor. lib. 2. de morb. contagioſ. eſt profundæ & ſordidæ putrefactionis, includens ſeminaria acutiſſimæ contagionis per ſe, propter quod & lethalis eſt, & contagioſa. Cauſam omnino ſufficientem præbet permittendi egreſſum Moniali è monaſterio: quia reuera eius commoratio creat aliis periculum, quando maximè eiuſmodi febris Epidemia eſt, & ſæuit paſſim atque plurimos interimit: Tunc enim habet ſine dubio locum conſtitutio Pij V. vti conſtat ex dictis. 40.

Septimò febris peſtilens in Britania, quæ ephemera eſt, quia vno die aut hominem perdit, aut liberat, contagioſa eſt, & ſerpit ab vno in alium, atque aliquando integras ciuitates percurrit, & in vicinum Belgium ſeſe propagat. Eius cauſam exiſtimat Fracaſtor. lib. cit. cap. 5. Vapores qui tempeſtate certa humida ex illo ſolo exhalant, & corrupti, ac ſubtiliſſimi ſunt, & ſubtilem etiam inferunt contagionem, cuius analogia eſt, vel ad ſpiritus, vel ad tenuem ſpumam, quæ ſanguini ſupernatat: & denique, quocumque nomine 41.

mine voces, ad ſubtile ſanguinis. Vnde vna die aut febris, aut æger extinguitur. Solo ferè ſudore ſanatur, quem idcirco incolæ diligenter procurant ægrotis, qui ferè omnes pereunt, niſi ſudore perfluant.

Hæc febris, vt dixi, quamuis contagioſa ſit, non ſufficiet ad ſoluendam clauſuram; primò quia non eſt morbus epidemius, ſed potiùs endemius, & Britanniæ familiaris: quare ſæpius & ferè ſemper laxanda foret clauſura. Secundò cum vno tantùm die perderet, ſtatim atque corripuerit Monialem, & antequam è monaſterio extraheretur, iam ſeminaria contagionis ſubtiliſſimæ exhalauit, creauitque periculum cæteris, propter quod vitandum permittebatur egreſſus ægroto. Denique quia cum hactenus vnicum remedium leuandæ huius febris ſit ſudor, illéque omnino impediendus ſit deportatione ægrotæ extra monaſterium, cum vel ſola mutatio ſitus & decubitus ægri ipſum nonnumquam impediat, non educetur illa Monialis è clauſtris, niſi certiſſimo vitæ periculo, atque in ipſa loci mutatione ſine dubio peribit.

42. Octauò ſunt quædam febres malignæ, quæ licet non omnes interimant; plures tamen interficiunt: lenticulas, aut puncticulas vulgus appellat: quia proferunt maculas lenticulis, aut pulicum puncturis ſimiles, quas etiam peticulas quidam dicunt. Familiares ſunt Cypro, & vicinis Inſulis: Italiæ tamen communicatæ anno 1505. 1528. plurimis fuere lethales: immò aliqui ex Italia profecti, eius peſtis ſeminarium detulere, ex quo tandem & ipſi periere, quod contigiſſe Andreæ Naugero Venetarum apud Chriſtianiſſimum Franciſcum Oratori pluribus quæritur Fracaſtor. lib. 2. cit. c. 6. vbi hanc febrim contagioſam eſſe dicit, ſed nec celeriter, nec per fomitem, & ad diſtans, ſed tantùm per tractationem infirmi, ideóque ex doctrina tradita §. 4. non erit cauſa legitima ſoluendi clauſura Monialem illa laborantem. Adde quód obſeruauit ibidem Fracaſt. paucas mulieres eiuſmodi febri periiſſe; ſed quidquid de eius malignitate diſputent Medici, cum eius contagio non communicetur, niſi per infirmi tractationem, facilè fuerit cæteras Moniales ab eius contagione eximere. Et ſanè eius ſeminaria non ſunt admodum acria, nec fortem, elaboratámque mixtionem habent, cum & alterentur faciliùs, & non agglutinentur, quemadmodum illa, quæ fomitem relinquunt.

Nonò febris verè peſtifera cum promptiorem habeat contagionem, 43.
atque celerrimæ ſuſceptionis fomitem relinquat, & ad diſtans ſeſe propaget per ſolam tranſpirationem, expirationémque, aut omnes, aut maiorem partem ægrorum perdat: cauſa ſufficientiſſima eſt Moniali exeundi è monaſterio. Illa enim maximè nomine Epidemiæ deſignata fuit à Pio V. ex omnium Doctorum ſententia, & ex §. 3. & 4. ſatis apertè conſtat.

Decimò ex omnibus infectionibus euitandis, de quibus fuſiùs di- 44.
ſputat Fracaſtor. cap. vltim. lib. 2. de morb. contagioſ. vix villæ ſunt, quæ præbeant cauſam egrediendi è monaſterio, niſi quæ ita horridam redderent ægrotam, vt cum aliis ſine ſcandalo, vti loquitur Bonifac. commorari nequeat; nam ratione infectionis & Epidemiæ vix licebit è monaſterio diſcedere, cum iſtas infectiones facilè fuerit, cæteris Monialibus vitare

vitare, præſertim in maioribus, laxioribúſque monaſteriis, vbi eiuſmodi ægrotæ à reliquarum conſortio poterunt ſeparari.

CONSECTARIVM II.

An quoties Monialis ægrota intra monaſterium ſanari nequit, & extra illud certò ſananda eſt, ſolui poſſit clauſura, ne pereat, licet morbus non ſit contagioſus.

45. CONtingit aliquando Monialem morbo lethali tentari, eóque interimendam eſſe, niſi è monaſterio exeat, eo quod vel ob aëris intemperiem, aut tædium, aut rerum penuriam, Medicorum abſentiam, remediorum inopiam, aliáſque eiuſmodi cauſas intra monaſterium perſanari non poſſit; & extra illud valetudinem recuperatura exiſtimetur. Quæritur itaque an eo caſu, quamuis non laboret morbo contagioſo aut Epidemio, poſſit illi concedi licentia egrediendi è monaſterio.

Affirmant omninò Nau.comm.4. de Regularib. num.49. Suar. tract.8. de Relig.lib.1. cap.9. num.9. Azor.1. part. lib.13. cap.8. quæſt.1. Nauarri enim opinionem affert, vt quæſito ſatisfaciat, & illam minimè improbat Ioan. de la Cruz lib. 1. de ſtatu Relig. cap.5. dub.4. concl.2. Peïryn. in conſtitut.6. Pij V. num.24. & in additionib.ad eand.conſtitut. num.8. Llamas in methodo curationis in appendice §.10. Penn. in lib.1. C.de commeat. lib.12. & multis id probat & addit quod voluit quoque Peïryn. loco vlt. citat. poſſe eiuſmodi Monialem petita licentia & non obtenta egredi, aut etiam inuitam & reluctantem è monaſterio extrahi. Graſſis 1.part. deciſion.lib.4. cap.23. num.17. Sorbus in annotat.ad compend. verb.ingreſſus monaſteriorum Monialium numer. 6. Tamburin. de iure Abbatiſſ. diſputat. 20. quæſit.3. Neque improbabile putat Ferdin. à Caſtro tract. 16. diſputat.4. punct.9. num. 14. quia leges humanæ etiam Eccleſiaſticæ, qualis eſt lex clauſuræ, non obligant cum periculo vitæ, & ſiue eam obligationem imponere poſſint; ſiue non, quando de ea obligatione dubium eſt, fauendum potiùs eſt iuri naturali tuendi propriam vitam, quod nullo alio tolli poteſt, vti dicitur Clement. Paſtoralis §. cæterum de ſentent. & re iudicata, & l. vt vim ff. de Iuſtit. & Iure, quàm legi humanæ adeò ſeueræ. Atque in hoc noſtro caſu idcirco Pius V. cauſis à Bonifacio allatis addidit magnum incendium: quia in eo agitur de vita Monialis, quæ ne quidem tunc, ſi aliter ſeruari nequeat, licentiam egrediendi, aut petere, aut expectare tenetur, ne interim flammis pereat. Quoties igitur de vita Monialis agetur, reuera exire poterit. Et ſanè ſi quis aggrederetur Monialem, neque illa, aut vim euadere, aut pudicitiam vel vitam ſeruare poſſet, niſi egrediendo è monaſterio, nemo prudens illam violatæ clauſuræ damnaret. Accedit Pontificis Gregor. XIII. qui eiuſmodi licentiam Sanctimonialibus illuſtris cuiuſdam monaſterij fecit Auctoritas, cuius reſcripti verba refert Nauarr.

Communior tamen ſententia negat licitum eſſe egreſſum è monaſterio eo caſu, quamuis nolit ſuperiores, qui tunc licentiam conceſſerint, aut Moniales, quæ ea fuerint vſæ pœnas vllas incurriſſe, cum ſententiam 46.

tiam probabile ſecutæ fuerint. Quæ ratio quoque probat neque eas peccaſſe, cum ſint operatæ ex conſcientia probabili. Ita cenſent Gutierrez lib. 1. qq. Canonic. cap. 14. numer. 7. Cenedus collect. 21. numer. 2. ad 6. Decretal. Roderiq. tom. 1. qq. Regul. quæſt. 49. art. 3. Zerol. in praxi verb. Monial. vbi & Declarat. Congregat. Cardinal. adducit. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 15. num. 39. qui & plurimos etiam Salmanticenſes idem opinatos fuiſſe poſt exactiſſimam totius controuerſiæ diſquiſitionem teſtatur, Layman. lib. 4. tract. 4. c. 12. num. 1. ver. 3. cauſa legitima, Barboſa allegat. 102. num. 21. de poteſtate Epiſcopi. Ferdinand. à Caſtro nuper allatus. Miranda de Monialibus q. 4. artic. 4. Bonacin. diſput. de clauſura quæſt. 1. punct. 9. num. 18. Roderic. in compend. Regul. reſolut. 26. num. 50. Diana 5. part. tract. 3. Reſolut. 137. probabiliorem dicit, & omninò docuerat 3. part. tractat. 2. Reſolut. 105. Fauſtus in theſauro Religioſ. lib. 6. quæſt. 163. Granad. 1. 2. controuerſ. 7. tract. 3. part. 1. diſput. 8. ſect. 5. num. 13. qui & Lorcam allegat. Ratio eſt, quia caſus iſte omninò diſſimilis eſt tribus illis à Pio V. propoſitis, in quibus ſolius Communitatis periculum, vel ſalutem attendit. Ad hunc igitur extendi nequit eius conſtitutio, tum ex principio vniuerſaliſſimo à nobis in noſtra ſcientia canonica pluribus demonſtrato, extenſionem legis ad caſus diſſimiles fieri nequaquam poſſe, tum quia particula taxatiua, quam adhibuit Pius, inutilis omninò & nullius efficaciæ foret, ſi neque caſus ſimiles, neque diſſimiles excluderet. Adde Pium V. confirmaſſe Bonifacij legem, & eam declaraſſe, non verò aut ampliaſſe, aut molliuiſſe, vti fuſiùs oſtendimus §. 1. atqui Bonifacius eam ſolam cauſam legitimam eſſe voluit, quæ vtilitatem totius communitatis, non priuatam alicuius Monialis reſpiceret, cui omnino adhæſit Pius, non modò quia vt dixi, diſertè affirmat ſe Bonifacij conſtitutionem confirmare & innouare; ſed quia dum explicat ſingillatim caſus, quos vniuerſalibus verbis Bonifacius complexus fuerat, eos tantũ affert, qui æquè totius monaſterij ſalutem ſpectant, Epidemiam videlicet & lepram, eóque nomine cæteros morbos contagioſos contagione facile communicabili ſignificat, vti expoſuimus. Caſus autem magni incendij æquè inuoluit omnes Moniales: & quamuis aliquando agatur de ſalute vnius duntaxat, quæ in loco incendij reperitur, poſſitque illa tunc è clauſura egredi, ſicut ſi vim aut necem ſibi ab aliquo inferendam vitare neceſſe ſit, non licet inde ad morbum lethalem, aut alias mortis cauſas, veluti intrinſecas argumentari; alioquin ſemper fas eſſet ad ſeruandam vitam quocumque caſu quamlibet legem humanam & Eccleſiaſticam violare. Carthuſiani v. g. poſſent iudicio Medicorum ad tuendam vitam carnes comedere, quod tamen omninò negant Vaſq. 1. 2. diſput. 162. Granad. ibidem controuerſ. 7. tract. 3. part. 1. diſput. 8. ſect. 5. num. 7. & alij communiter: quia cum teneantur ex ſola conſuetudine, aut ſtatuto Ordinis, liceret illud eo caſu violare, ſicut aliud ſtatutum humanum & regulare ad amoliendam necem ſibi ab hoſte inferendam, falsúmque omnino eſt Eccleſiam, vbi agitur de bono communi, non poſſe condere leges, quæ obligent priuatas perſonas cum aliquo periculo vitæ, maximè cum eiuſmodi perſonæ illam

obligationem volentes lubentéſque ſubeunt, vt de ſtatutu Carthuſienſium abſtinendi à carnibus modò dicebamus. Neque durum cenſeri debet Monialem teneri manere etiam cum vitæ periculo in eo monaſterio, in quo habitare ſponte elegit, & cuius clauſuram nouerat: cum etiam ipſi Monachi teneantur in eodem cœnobio, in quo profeſſi ſunt, habitare; alij verò Religioſi in eo ad quod à ſuperiore deſtinantur, quamuis valetudinis diſpendium ſæpiſſimè ſentiant ob aëris intemperiem aliáque regionis incommoda; alioquin nunquam poſſent ſuperiores mittere quemquam niſi volentem in cœnobia regionis infeſtæ, & poſſet quilibet Religioſus, aut eiuſmodi imperio reluctari, aut è cœnobio inuito ſuperiore diſcedere prætextu ſalutis & vitæ tuendæ: & quamuis religioſa charitas poſtulet, vt ne ſuperior inuitos in eiuſmodi loca inſalubria deſtinet; ſi tamen id faciat, inferior parere profectò tenebitur. Et ſanè ſi liceat Moniali ob morbum lethalem exire è monaſterio propter ſpem recuperandi ſanitatem extra illud, quis non videt laxandam omnino eſſe clauſuram? Nam & Monialis & Medici talem cauſam ſæpiſſimè obtendent, neque negari poterit licentia à ſuperiore, niſi inhumanus & crudelis audire velit. Cur Pius V. non dixit vno verbo morbum periculoſum eſſe cauſam egrediendi è clauſura, & ſolos morbos contagioſos ac cæteris nociuos recenſuit? Cur poſtulanda fuit venia in ſimili caſu à Gregor. XIII. ſi ex iure communi & naturali licitus erat egreſſus? Cur ea facultas dicitur præcipuo iure illuſtri illi monaſterio conceſſa.

Mihi negatiua iſta ſententia in rigore iuris, & attenta conſtitutione Pontificia verior omnino videtur; nihilominus tum praxis pluribus in locis, tum Doctorum non vulgarium authoritas, tum ipſa rei difficultas, tum denique ipſa pietas temperare hunc rigorem nobis permittunt, & benigniùs legem ſeueriorem interpretari, quando non ita perſpicua eſt, vt eius ſenſum & mentem dubiam faciant, tum illuſtres interpretes, tum non inualidæ rationes. Itaque illam in praxi omnino ſecuram ſentio: Idque tandem fatentur Sanch. & Rodriq. qui, vt dixi, negant ſuperiores, qui eo caſu licentiam conceſſerint peccaſſe & pœnas violatæ clauſuræ commeruiſſe.

Duo tamen addiderim, primùm, vt ferè certa ſit ſpes ſalutis recuperandæ extra monaſterium, quæ intra illud omnino deplorata eſt. Alterum, vt ſi depoſita eſt ſalus, & iam ſolùm agitur de trahenda per aliquot tantùm menſes vita, vti contingit in morbis quibuſdam diuturnis, negetur omnino illa facultas: quia cum & illa vitæ protractio incerta admodum ſit, & paucorum duntaxat aut menſium, aut fortaſſis dierum, non videtur ea tanti eſſe, vt bono communi ſeruandæ clauſuræ præferri debeat. Exiſtimo denique infrequentem omnino fore hunc caſum, ſi Medici momenta omnia religioſè, vti par eſt, expendant: inſignis enim illa cura, qua tractantur ægrotæ in monaſteriis, compenſat intemperiem aliquam aëris, aliáque leuiora incommoda clauſuræ: & ſæpiùs contingit, vti diutiùs vitam protrahant in monaſterio, & extra illud citiùs extinguantur: immò ſi probabile periculum eſt, ne eiuſmodi Monialis extra monaſterium pereat, non eſſem ego illi author egrediendi, neque

que licentiam egrediendi illi concedi vellem, cum optandum ſit potiùs inter Religioſarum ſororum manus intra aliquot dies quam poſt paucos menſes inter ſæculares animam exhalare.

CONSECTARIVM III.

Caſus ſingulares ex ſuperiori conſectario.

48. Ex hac doctrina ſequitur primò, quoties monaſterium remotius eſt ab vrbibus, ac proinde Medicis deſtitutum, qui neque frequenter eò vocari, neque remedia neceſſaria facilè haberi poſſunt, poſſe Moniali grauiter & periculosè laboranti, cuius curam promittunt Medici, ſi in vrbem vicinam deferatur, vbi ab illis tractari commodè valeat, permitti illum egreſſum. Ita Emmanuel Roderiq. qq. Regul. tò.1. quæſt. 49. art.2. Villalob. tom.2. diffic. 45. n.7. contra Sanch. cap.15. cit. num.41.& alios; quia in eo caſu præualet vitæ periculum legi eccleſiaſticæ de clauſura, quæ propterea non laxatur cum boni communis damnò, vt ex variis iſtis circunſtantiis patet.

49. Sequitur ſecúdò Monialem ægrotam, quæ ſanari nequit in proprio monaſterio propter intemperiem aëris, aliáque incommoda iudicio Medicorum poſſe transferri in aliud monaſterium ſalubrius & commodius: neque tunc exeundo è ſuo monaſterio violare clauſuram; contra Sanch. num.4. & Doctores Salmanticenſes, quos allegat: nam cum proximo conſectario ſtatuerimus licitum eſſe egreſſum Monialis ob morbum periculoſum, licet non contagioſum ob ſpem recuperandæ alibi valetudinis, dicendum omnino eſt mutationem illam monaſterij licitam fore, maximè cum vt iterum monebimus inferiùs, ea non tam ſit violatio clauſuræ, quàm vnius cum alia mutatio. Et Doctores, qui ſuperiori conſectario conceſſerunt abſolutè egreſſum in eo morbi periculo, potiori multò iure migrationem ab vno monaſterio in aliud probabunt.

Tertiò negant Monialem ægrotam egredi poſſe è monaſterio ad hauriendas aquas minerales, aut balneas; licet Medici nullum aliud remedium leuando illius morbo ſupereſſe arbitrentur. Mirand. loco nuper allato. & Portel. in dub. regulari ver. clauſura num.23. Idémque omnino affirmabant Doctores omnes ſuperiori conſectario pro ſententia negante relati. 50.

Mihi diſtinguendum eſt: nam vel aquæ minerales deferri poſſunt & hauriri in locis à fonte ipſo remotis, vti ſæpiùs fit etiam à ſæcularibus, quamuis non tam certo aut fœlici euentu: & tunc non erit locus ſoluendæ clauſuræ, curandúmque erit, vt ad monaſterium aquæ illæ deferantur. Vel eiuſmodi ſunt illæ aquæ, vt omnino in ipſo fonte bibi debeat, cuiuſmodi ſunt omnes aquæ calidæ & quæ ſi aliò deferantur, inutiles omnino, aut etiam noxiæ ſunt: quia euaporant ſpiritus illi ſubtiliores, aut quia earum efficacia in actuali quodam calore conſiſtit. Tunc ſi nullum aliud remedium leuando morbo ſuppetat, permitti poterit egreſſus Moniali; ſi verò adhiberi poſſint alia remedia, quamuis minus commoda, & quæ non tam celerem effectum habitura ſint, non exiſtimarim permittendum egreſſum Moniali; Cum enim dubium ſit, vti conſtat ex toto ſuperiori conſectario, vtrum ob periculum

culum vitæ, dum non agitur de Communitatis diſcrimine, licitus ſit egreſſus; immò verius omnino ſit ex rigore iuris illum prohibitum eſſe, & ex pia tantum Doctorum quorumdam quamuis illuſtrium interpretatione permitti. Quis ad faciliorem tantum, aut commodiorem, aut celeriorem, certiorémque aliquantò curationem, aut ad ſolatium quoddam & leuamen egreſſum eiuſmodi concedat? Sanè is à mente Pontificum plus nimio aberrabit.

Quod attinet ad balneas, ſi illæ omninò neceſſariæ forent, quia & certò curabunt ægrotam, quantum, videlicet coniectura poſſunt periti Medici aſſequi, & nulla ſuperſunt remedia, quæ adhiberi intra monaſterium cum aliquo fructu valeant, atque adeo breui peritura ſit ægrota niſi balneis vtatur, licitus fuerit egreſſus. Verum rarò admodum, ac ne vix vnquam hunc caſum contingere poſſe mihi perſuadeo: quia neque tam certum eſt remedium balnearum, imò & pluribus nocet; & licet nonnunquam ſolatium aliquod afferat; vix tamen integram ſanitatem reſtituit. Deinde vix morbus eſt, cuius vnicum remedium à balneis ſperandum ſit, poterúntque periti Medici aliis medicamentis ex prouida induſtria balnearum defectum ſupplere. Adde cùm nō ſint ſalubres balneæ, quâlibet anni tempeſtate, interea dum opportuna expectatur, conficietur ægrota, aut ſanè diuturnior, & veluti habitualis erit morbus, qui licet tandem perditurus ſit ægrotam, non debet tamen cenſeri inter illos graues & periculoſos morbos, ob quos exitum permittebant ſuperiori conſectario Doctores. Denique cū vix ſperanda ſit ſanitas, ſi ſemel tantum adeantur balneæ, & per aliquot annos ſint repetendæ, magna inducetur clauſuræ laxitas, ſi propter eiuſmodi diuturnos morbos permittantur Monialibus, quæ & ſæpè eiuſmodi morbis tentantur, quibus ſalubres balneas iudicant Medici, ideóque frequentes eiuſmodi licentiæ concedendæ erunt ingenti ſine dubio diſciplinæ religioſæ diſpédio, clauſuræ ſolutione, & externorum offenſione, ipſiúſque ægrotæ damno. Quare & ſuperiores ſuam hac in parte facilitatem caſtigare debent, & Medici omnia alia priùs tentare, antequam remedium balnearum proponant, & expendere ſerio an illud certum & neceſſarium ſit: Nam & ſæpiùs fingent Moniales ſtudio diſcurrendi morbos & omnia alia remedia repudiabunt, aut ſibi inutilia eſſe mentientur, & balneas importunè depoſcent; & parentum, aliorúmque precibus ita fatigabunt Superiorem, in eáſque redigent anguſtias, vt licentiam, quam negare omninò vellet, concedere cogatur.

Quartò ſtrumæ, vel ſcrophulæ, quæ omnibus ferè medicamentis reluctantur, à Chriſtianiſſimis Regibus ſolo contactu ſanantur, quod quotidiana, certáque experientia conteſtatur, hócque illis diuinitus conceſſum fuiſſe nemini dubium eſſe poteſt, quamuis quo primum tempore, cui, & qua occaſione collatum fuerit, vix certo coniici poſſit. Qua de re fuſiſſimè diſputat nuperus Author antiquitatum capellæ regiæ lib. 2. à cap. 56. ad 62. collatum tamen eſſe conſtat. Si enim ea vis naturalis foret, non tranſiret in Regem ſolum per traducem hereditariam excluſis cæteris fratribus, quorum ſæpè temperies & complexio patri ſimilior, quàm Regis ipſius eſt, conditio quoque ſceptri & coronæ 51.

ronæ, cui comes eſt illa medica facultas, nihil tale naturaliter largiri poterit. Quod verò Hieronym. Cardan. lib. contradictionum ſcripſit Reges noſtros ex longo vſu aromatum hanc vim habere. Iure merito dixit Delrio diſquiſit. magicarum lib.1. cap.3. quæſt.4. ridiculum, vanum, & dignum eſſe ſcutica Ioannis Brodæi lib.8. miſcellan. cap. 10.

Cum igitur hic morbus & contagioſus ſit & ſæpè lethalis, neque certius illi medicamentum, efficaciúſque adhiberi poſſit quàm contactus regius, exiſtimarem licere Moniali, quæ fruſtra alia remedia tentauit & de ſalute deſperat, è monaſterio cum licentia Superiorum exire, Regémque Chriſtianiſſimum adire, vt eius contactu perſanetur. Sequitur ex ſuperiori conſectario: nã & morbus periculoſus eſt, & intra monaſterium curari nequit, & ingens ſpes exiſtit perſanandam eſſe contactu regio ægrotam, & eiuſmodi præterea affectio eſt, quæ cæteris Monialibus, tum periculum, tum magnum horrorem & ſcandalum generet, ſi ingraueſcat, & in ſaniem ac tabum diffluant ſtrumæ. Cur igitur concedi non poterit huic Moniali egreſſus.

Neque dicas fore, vt in hoc & ſuperiùs enumeratis caſibus Monialis exire poſſit, ſi ſuperior licentiam, alteram opinionem probabilem ſequutus negauerit: quia cum Concilium Tridentinum & Pius V. huius cauſę iudicium relinquat Epiſcopo, vti diximus, tenebitur illud ſequi Monialis, quæ etiam debebit obedire ſuperiori legitimè imperanti, vti facit in eo caſu. Denique ſeruanda erunt, quæ tradidimus ſuperiori quæſtione.

CONSECTARIVM IV.

Ad quoſnam caſus ſingulares extendatur cauſa boni communis ad licitum egreſſum Monialis è monaſterio.

DIximus §.1. Cauſam boni totius monaſterij eſſe legitimam ad permittendum egreſſum è monaſterio Moniali. §. verò 5. oſtendimus caſus recenſitos à Pio V. ad alios ſimiles extendi. Ex hac certiſſima doctrina facilè fuerit colligere caſus ſingulares, in quibus erit exitus iſte permittendus aut negandus. Primum præſtabimus hoc conſectario, ſecundum proximo. 52.

Primò igitur in alluuione ingenti, aut procella, quæ ruinam minatur monaſterio, exire licebit, ſicut in magno incendio, cum in vtroque caſu æquè ſalus Monialium periclitetur. Ita Scortia in conſtitut. Pontific. Theorem. 228. Tamburin. diſput.20. de iure Abbatiſſ. quæſit.3. n.3. & alij paſſim.

Secundò, ſæuiente bello, dum periculum eſt, ne monaſterium à militibus diripiatur, iniuriæque ipſorum exponantur Moniales, exire & in locum tutum ſeſe recipere poſſunt. Nauarr. comm.4. de Regul. num.48. Sanch. cap. 15. citat. num.44. Azor. prima part. lib. 13. cap. 8. quæſt.1. Bonac. quæſt.1. de clauſura punct.9. num. 7. Ferdinand. à Caſtro punct. nuper. citat. & alij omnes contra Zerolam in praxi ver. Moniales ad 16. quæſit. Qui tamen Doctores malè limitant hoc conſectarium ad bellum, quod contra hæreticos, aut infideles geritur. Nam cum à militibus Chriſtianis & Catholicis eadem ferè ſcelera committantur, & vix imbelles Moniales ſe ab eorum audacia 53.

 dacia

dacia tueri poſſint, in quolibet bello, in quo iure timebitur aliqua vis, relinquere monaſterium & aliò diſcedere poterunt, vti ſapienter aduertit Peirinus in conſtitut. 6. Pij V. n. 25. Ratio eſt, quia æquè flagrante bello agitur de ſalute totius monaſterij, atque ſæuiente incendio.

54. Tertiò Abbatiſſa, vel Prioriſſa ad præſtandum fidelitatis ſacramentum Principi pro feudo *cum decenti, & honeſta ſocietate*, Principem adire poterit, & homagio facto ad monaſterium ſe recipere debebit. Ita Bonifac. in ſua conſtitutione edicit. Neque aut Trident. aut Pius V. eam hac in parte reuocarunt. Honeſtam verò & decentem ſocietatem explicat ibidem Gloſſa Ioan. Andr. vt ſecum duas, vel plures ex antiquis Monachabus, & Capellanos ſuos habeat. Homagia verò præſtanda ipſis Epiſcopis, vel aliis Prælatis, ac negotia & lites in eorum curiis tractanda, non per ipſas Moniales fieri, ſed per procuratorem geri mandat Bonifacius. Rogat præterea, requirit & obſecrat per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti, Principes & Dominos temporales, eiſque in remiſſionem peccaminum ſuadet, vt Moniales quaſcumque per procuratorem in ſuis tribunalibus, ſeu curiis litigare permittant, cùm ſit iuri contrarium, & omnino indecens mulieres maximè religioſas per ſeipſas litigare; eáque de cauſa cum animarum periculo de monaſterio exire. Ratio porrò huius conſtitutionis euidentiſſima eſt: agitur enim de bono communi totius monaſterij: feudum enim caducum fieret, negato fidelitatis ſacramento: & quia ab ipſomet feudatario præſtandum illud eſt; ſi Dominus velit; idcirco hoc iure non vult priuare Principes laicos Eccleſia, & ne quam iniuriam fieri ſibi prætendant ſpecie pietatis, & ſeruandæ clauſuræ; idcirco ſuperioriſſas monaſteriorum ipſorum curiam ea de cauſa adire permittit: quia verò bonorum eccleſiaſticorum œconomus & adminiſtrator eſt Pontifex, vbi agitur de feudo eccleſiaſtico, iubet vt Dominis eccleſiaſticis Moniales feudatariæ ſacramentum dicant per procuratores. Quia verò cætera omnia negotia, & lites per procuratores geri commodè poſſunt, & ſolent abſque iniuria dominorum, in quorum tribunalibus diſceptantur, prohibet propter eiuſmodi negotiorum & litium cauſas, Moniales monaſteria deſerere & tribunalia terere. Itaque mandat Epiſcopis, & aliis Prælatis, ac Dominis eccleſiaſticis, vti hæc omnia per procuratores Monialium geri omnino permittant. Dominos verò temporales rogat idem omnino fieri patiantur: quamquam vti Dominic. & Philipp. hic notant verba rogatiua in materia præcepti ſtant præceptiuè & Gloſſa 11. quæſt. 3. cap. Rogo. Verùm quidquid ſit de ea quæſtione quam pluribus verſat Tiraquel. tract. de pœnis temperandis, aut remittend. cauſa 35. prioribus illis verbis Bonifacius Principes duntaxat hortatur. Verùm ſi tam incenſæ, vt ipſe loquitur, rationabili & ſanctæ exhortationi obtēperare nolint, cenſura eccleſiaſtica ab ordinariis eccleſiaſticis compelli vult; congruit verò Bonifacij conſtitutio veterum ſanctionibus: permittebāt enim ſemel in anno Abbatiſſam iuſſu regio & cum licentia Epiſcopi curiam ad negotia monaſterij adire. Ita Concil. in Palatio Vern. ſub Pipino cap. 6. Turon. ſub Carolo cap. 30. Cabilon. 2. c. 57. Neque in hoc conſectario diſſentiunt

tiunt Doctores: Immò ſi eo caſu ſuperior iniuſtè licentiam exeundi negaret; poſſet nihilominus Abbatiſſa facultate ſibi à lege conceſſa vti, & monaſterio exire, vti affirmat Sylu. ver. Religio 7. quæſt. 16. dicto 2. neque abnuit Sanchez cap. 15. lib. 6. num. 51.

55. Quartò quando conuentus in alium locum iuſſu Epiſcopi transfertur, licitus eſt egreſſus Sanchez num. 53. Barboſa allegat. citat. 102. num. 27. Miranda de Monialibus q. 3. art. 2. aliíque paſſim: cum enim eiuſmodi tranſlationem iubeat Trident. ſeſſ. 25. cap. 5. Quoties monaſteria in oppidis facinoroſorum iniuriis expoſita fuerint, neque eiuſmodi ſanctionem reuocauerit Pius, licita omnino erit.

56. Quintò licebit Moniali exire ad fundandum, regendum aut reſtituendum religioſæ diſciplinæ monaſterium. Ita Nauar. comm. 4. de Regular. num. 48. & conſil. 5. de ſtatu Monach. Roderiq. tom. 1. qq. Regular. quæſt. 49. art. 5. Suar. tract. 8. de Relig. lib. 1. cap. 9. num. 13. Sanch. c. 15. cit. num. 45. Ferdinand. à Caſtro. Bonac. Barboſa locis ſuperiùs citat. & Doctores in cap. periculoſo, de ſtatu Regular. in 6. Ioan. Andreas Francus, Dominicus & Gloſſa, Guttier. lib. 1. qq. Canonica. cap. 24. num. 10. & 11. quia caſus iſte reſpicit bonum commune Religionis & Ordinis, ideóque videtur contineri in caſibus expoſitis à Pio V. Et quamuis reuera in illis non contineretur; non tamen excluderetur: quia particula taxatiua, qua vtitur Pius, non excludit caſus à iure conceſſos, niſi illi expreſsè reuocentur; atqui Tridentin. ſeſſ. 25. de Regular. cap. 7. permittit eligi Prælatam & ſuperioriſſam ex altero monaſterio, vbi neceſſitas id poſtulabit. Deinde fundatio noui monaſterij vix fieri poteſt, niſi ex aliis monaſteriis antiquis Moniales in illud deducantur. Quare quoties eiuſmodi noua fundatio permittitur, Monialium quoque tranſlatio in illud permittatur, neceſſe eſt.

Sextò ad munera quoque maximè neceſſaria monaſterij, vt magiſtræ 57.
Nouitiorum, Portariæ, aliáve ſimilia euocari poſſe Moniales ex altero monaſterio cenſent Sanchez cap. 15. cit. num. 46. Bonacin. punct. 9. quæſt. 1. num. 9. qui alios dabunt: quia hæc munia bonum commune ſpectant, & plurimum faciunt ad diſciplinam religioſam reſtituendam, aut retinendam: atque adeò pertinent ad monaſterij reformationem, ad quam licitum eſſe exitum è monaſterio, & tranſitum ad aliud dicebamus. Neque declaratio congregationis Cardinalium, quæ vult teſte Zerola ver. Moniales, dub. 8. & 12. In his omnibus conſulendum eſſe Pontificem, authentica 8. aut vſu recepta 252.

Septimò licebit Moniali egredi è monaſterio, vt ad ordinem ſtrictiorem tranſeat: qua de re fuſiùs diſputat Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 7. num. 6. eſt enim controuerſia alterius loci.

Octauò quando aliqua Monialis in proprio monaſterio commodè corrigi nequit, ſiue propter turbas cognatorum, aut factiones, in quas ſcinditur conuentus, aliíſque de cauſis, in aliud monaſterium traduci poterit; è re enim boni communis eſt, vt Moniales corrigantur ſine turbis & ſtrepitu. Sanchez, Roderiq. Nauar. Bonac. aliíque.

Nonò iubet aliquando ius religioſum cauſa pœnitentiæ in arctiori monaſterio recludi, cap. Quoniam de

de ſimonia : dum igitur eiuſmodi pœna Monialem plecti neceſſe fuerit, poterit è monaſterio educi : quia neque ille caſus in iure expreſſus vllibi reuocatus eſſe legitur : neque priuatim ſolius Monialis commodum attenditur ; ſed totius Religionis bonum. Bonacin. punct. 9. n. 12 ſed de eo caſu aliquid iterum dicam diſquiſ. ſequenti.

Decimò Monialis incorrigibilis & quæ in nullo monaſterio emendanda ſperatur, eiici omninò & expelli poſſet ex rigore iuris, vti docet Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 9. n. 6. Nihilominus cum hactenus ius iſtud nullibi fuerit obſeruatum ; id nulli Prælato conſulendum erit, cum ex re inſolita ſcandalum oriri poſſit, & dari cauſa pluribus, vt ſpe eiuſmodi eiectionis, incorrigibiles ſeſe præbeant : quare potiùs carcere detinenda erit, quàm eiicienda eiuſmodi Monialis, vti etiam monet Bonacin. punct. 9. cit. num. 13. ſed de his alibi fuerit commodior diſputandi locus.

Vndecimò, Moniales conuerſæ conquirendis eleemoſynis deſtinatæ, licet profeſſæ ſint, extra monaſterium in ædibus ipſi contiguis manere poſſunt : qua de re fusè diſputauimus cap. 3. §. 2. conſ. 1.

Consectarium V.

Caſus ſingulares, in quibus non licet permittere Monialibus exire è monaſterio.

58. FAcile fuerit hos caſus ex diſputatis tota iſta quæſtione colligere: aliquos deſignauimus in prioribus conſectariis : paucos alios, de quibus ſuboriri poſſet difficultas, accipe.

Primò igitur Abbatiſſa, aliáve Prælata egredi nequit è monaſterio, vt viſitet ædificia externa, licet contigua, vt Eccleſiam ; vt cœmentariis, aut operariis formam conſtruendi deſignet ; aut quomodo procedat opus, inſpiciat. Ita Sanch. num. 51. Bonacin. aliique deinceps, & arguit Sanch. virum alioqui doctum, qui aliter conſuluerat. Ratio euidens eſt: quia illa cauſa nulla ratione contineri poteſt in caſibus à Pio enumeratis; ac proinde per clauſuram taxatiuam omnino excluditur. Deinde id totum ab aliis externis æquè commodè præſtari poteſt. Vnde multo minus probabunt iſti Doctores Prælatas eiuſmodi prætextu ædificandi templi, aut dormitorij, alteriúſve alicuius Regularis loci, diſcurrere per omnia monaſteria, aut templa alicuius Ciuitatis non ſine ſapientum & prudentum offenſione : neque illas à violatione clauſuræ excuſabunt. Neque dicas hæc pertinere ad bonum commune : Cum enim facilè vt dixi, immò & meliùs per externos in iſtis peritos geri ſoleant, eiuſmodi diſcurſus ſoli curioſitati tribui poſſunt.

Secundò, nequit Monialis cauſa viſitandi monaſteria ſibi ſubiecta egredi, cum id diſertè prohibeat Pius V. in ſua conſtitutione *Decori*. Quare licentiam à ſolo Pontifice obtineri poterit. Nam neque eiuſmodi Prælatæ maiorem veniam habent egrediendi, quàm cæteræ Moniales: quare & eadem licentia, & iiſdem cauſis indigent ex illa Pij conſtitutione, quod ſapienter aduertit Nau. comment. 4. de Regular. numer. 47. Neque dicas eiuſmodi viſitationes ad bonum commune totius Religionis pertinere, ac proinde comprehendi in caſibus expreſſis à Pio V.

Tum quia ea viſitatio ex iure communi pertinet ad Prælatum; ideóque illius cauſa non poſſe egredi Prælatum tradunt Doctores in cap. periculoſo, vnanimi conſenſu Archidiacon. Ioan. Andr. Francus, Dominic. Anchar. tum quia ne quod dubium ſupereſſet, Pius in ſua conſtitutione diſertè negauit permittendum eſſe exitum ea ſolum de cauſa.

Tertiò, nequit exire Monialis ad parentes, aut conſanguineos inuiſendos licet ægrotos & moribundos: quia idipſum Pius V. in citat. conſtitutione prohibuit, Bonacin. part. 9. num. 5.

Quartò, neque etiam concedi poterit licentia Moniali, vt curam Nepotum ſuorum, qui aliis omnibus cognatis deſtituti ſunt, gerat: quia & id quoque inhibuit Pius V. Bonac. part. 9. citat. numer. 4. vbi & declarationem Cardinalium allegat.

CAPVT VII.

Quibus ex cauſis liceat permittere ingreſſum in monaſteria Sanctimonialium.

QVAMVIS, quod ſuperiùs monuimus, rigidior multò ſit clauſura quoad egreſſum Monialium è monaſterio, quàm quoad ingreſſum externarum perſonarum in illud; ad illum tamen ſuæ etiam cauſæ requiruntur, vt à Superiori licitè & validè permittatur, quod cap. 4. fuſiùs oſtendebamus. Neque enim eiuſmodi licentia arbitrio Superioris ita relinquitur, vt illam dum libuerit, & quacumque occaſione concedere poſſit. Quare videndum omninò eſt, quænam ſint cauſæ legitimæ permittendi iſtum ingreſſum.

§. I.

Regula vniuerſalis.

DIcendum eſt iuſtam & ſufficientem cauſam concedendi ingreſſum in monaſteria Monialium eſſe ſolam neceſſitatem moralem, vel totius conuentus, vel particularis alicuius Monialis, vel denique externorum ipſorum. Totius porrò huius cauſæ & neceſſitatis iudicium vnius Superioris prudentiæ permittitur. 1.

Expoſitio & confirmatio Regulæ.

POntifices Romani & Concilium Tridentinum, dum prohibuerunt ingreſſum monaſteriorum Monialium perſonis externis abſque licentia Superioris debita, ſimul edixerunt, ne Epiſcopi & ſuperiores eiuſmodi licentiam ſine cauſa iuſta facerent, vti fuit explicatum cap. 4. vbi diximus defectu huius cauſæ ſimiles licentias fore, tum illicitas, tum inualidas: non explicuerunt tamen Patres ſingillatim quænam forent eiuſmodi cauſæ legitimæ; ſed Bonifac. in cap. periculoſo. Dixit in vniuerſum, *niſi rationabilis & manifeſta cauſa exiſtat*, vbi particula, *vel*, eſt coniunctiua: ita vt Pontifex exigat vtramque illam conditionem in cauſa, vti explicant Ioan. Andr. Ancharan. Dominic. Franc. in illum textum. Nauarr. comm. 4. de Regul. num. 59. & Azor. 1. part. lib. 13. c. 8. quæſt. 6. ſcilicet vt manifeſtè &

euidenter rationabilis & juſta ſit illa cauſa; ſic enim interpretari oportet vocem illam, *manifeſtam*, nempe minimè dubiam & obſcurum. Quare ſi ſuperior dubitet, an cauſa, propter quam poſtulatur licentia huius ingreſſus, ſit ſufficiens, illam reuera dare non debet. Nam Bonifacius diſertè poſtulat cauſam rationabilem & manifeſtam, quæ euidenter & manifeſtò rationabilis aut exiſtat, aut appareat, ipſi ſaltem Prælato, qui licentiam concedit: neque enim neceſſe eſt omnibus paſſim illam manifeſtò talem videri, aut etiam innoteſcere, vti ſapienter obſeruat Roderiq. 1. tom. qq. Regul. quæſt. 45. art. 4. ver. *circa cauſam*. Et ſanè id difficile omnino foret. Quia verò Bonifacius illis verbis videbatur quamcumque cauſam, quæ rationabilis videretur Prælato, approbaſſe. Idcirco ne ea generaliore conceſſione malè vterentur Prælati, Concilium Tridentinum diſtinctiùs explicuit, quænam cauſa cenſeretur rationabilis in hoc caſu, nempe quæ ſimúl eſſet neceſſaria. *Dare autem*, inquit, *tantùm Epiſcopus, vel ſuperior licentiam debet in caſibus neceſſarijs, nec in alijs vllo modo poſſit etiam vigore cuiuſcumque facultatis, vel indulti hactenus conceſſi, vel in poſterum concedendi*. Quæ poſtrema verba explicuimus cap. 4. ad ſolos itaque caſus neceſſarios reſtrinxit Tridentinum. Cauſam rationabilem, quam poſtulabat Bonifacius, ſiue fuerit emendatio conſtitutionis Bonifacianæ, ſiue declaratio duntaxat, non diſputo: ſanè rationabilis cauſa latiùs patet, quàm neceſſaria, vti aduertit Suar. cap. 10. num. 16. lib. 1. tract. 8. de Religione: congruum enim eſt, vt mater viſitet filiam Monialem; non tamen neceſſarium: & quæcumque vtilitas ſuppeditaret cauſam rationabilem, non tamen neceſſariam. Ne quis verò ſibi fingeret eiuſmodi neceſſitatem in quocumque caſu Gregor. XIII. in ſua conſtitutione *vbi gratia*, explicuit de neceſſitatibus vrgentibus: quo nomine ſignificat neceſſitatem moralem, quam poſtulabat Tridentinum, cui proinde nihil addidit quoad gradum neceſſitatis, vti aduertunt Suar. loco cit. & Roderiq. quæſt. 46. art. 4. Cum ipſe Gregorius ſuam ſententiam ex ipſomet Concilio confirmet: & cum dicat, ne quis ingrediatur monaſteria pro libito, ſed neceſſitatibus vrgentibus; opponit has neceſſitates vrgentes leuioribus aliis cauſis: ideóque omnino intendit, quod Tridentinum, per caſus neceſſarios: éſtque illa vniuerſaliſſima doctrina fuſiùs à nobis in ſcientia Canonica ſtabilita, conſtitutionem & legem, quæ aliam interpretatur, & explicat intelligendam eſſe, quantum verba patiuntur ſecundum legem, quam explicat & interpretatur: & maximè cum vitanda ſit, quantum poteſt, legum correctio, maximè Concilij generalis. Expedit ſiquidem iura iuribus concordare, ex Authentica hæc conſtitutio, §. hæc egit Coll. 6. Loquitur igitur Gregor. ſicut & Concilium de neceſſitate quadam morali, eáque ordinaria, aut extraordinaria; & non ſolum de externa quadam neceſſitate, quam aliqui Logicam, alij Metaphyſicam, alij naturalem, alij impoſſibilitatem moralem vocant, vt repentinum incendium quod monaſterio certam ruinam minatur, niſi externorum opera iuuentur Moniales ad extinguendum ignem: quia omnia prorſus præcepta perpetuò eiuſmodi neceſſitatem naturalem, aut impoſſibilitatem excipiunt, & humanæ

humanæ atque eccleſiaſticæ leges cum humano modo explicandæ ſint, de neceſſitate quoque morali intelligi debent: neque vti argumentatur Roderiq. art. 4. cit. Concilium aut Bonifacius vllam nouam facultatem concederent ſuperioribus. Ex lege enim naturæ in eiuſmodi neceſſitatibus naturalibus extraordinariis, vt incendij, non modò illam concedere poſſunt; ſed etiam negare non valent: & ſi vrgeat eiuſmodi neceſſitas, ne quidem petenda erit licentia. Et quoad neceſſitates ordinarias naturales ex iure communi, & naturali debent ſuperiores in illis permittere ingreſſum, vt Medicis, Chirurgis, artificibus, confeſſariis, aliiſque eiuſmodi. Intelligit igitur Concilium omnem neceſſitatem, tum moralem, tum naturalem, tum ordinariam, tum extraordinariam: quia etiam in neceſſitate naturali poteſt eſſe aliqua latitudo & diuerſitas, vt ſi plures Medici vocandi ſint intra monaſterium, aut vnus ſufficiat. Gradus etiam & menſura vtriuſque neceſſitatis dubij, ac varij eſſe poſſunt. Horum igitur omnium iudicium ſuperioris & Prælati prudentiæ relinquitur, vti diximus in noſtra Regula, & euidenter colligitur ex citatis Pontificibus & Concil. qui nullam peculiarem neceſſitatem, nullúmve caſum deſignarunt; ſed in vniuerſum caſus neceſſarios & vrgentem neceſſitatem; in tanta enim rerum & circunſtantiarum varietate, & mutatione certior regula tradi non potuit, quam prudentis Prælati, qui ſingula momēta ſingulorum caſuum expendet arbitrium, cuius iudicio ſtandum omnino erit, vbi rationabilem & manifeſtam, hoc eſt minimè dubiam, ſed certā, aut ſaltem probabilem neceſſitatem eſſe iudicauerit.

Maior verò poſtulatur neceſſitas ad ingreſſum virorum, quàm fœminarum, quæ ex antiquis Conciliis minimè eo ingreſſu prohibebantur, cum & minus periculi, & indecentiæ habeat, minor quoque cauſa exigitur ad ingreſſum matris ac ſororum, quàm aliarum fœminarum, cum vni faueat pietas naturalis, & denique ingreſſus ad loca viciniora foribus non eamdem cauſam requirit, quàm ingreſſus ad interiores officinas, vti Suar. Rodriq. Sanch. Ferdinand. aliique paſſim docent. Quare hæc omnia expendenda & diiudicanda fuerint à Prælato. 2.

Triplex porrò neceſſitas diſtingui poteſt, vna ratione totius conuentus; altera ratione priuatæ alicuius Monialis; tertia ratione ipſorū externorū ingredientiū monaſterium: quia opera & miniſteria, vel ad commodum totius monaſterij, vel priuatæ Monialis neceſſaria quidem ſunt; ſed neque intra monaſterium à ſolis Monialibus, neque extra illud ab aliis exhiberi queunt. Externorum verò neceſſitas eiuſmodi aliquando eſt, vt illi extra monaſterium commodè occurri non poſſit, & charitas omnino poſtulet illis, qua via licuerit, opitulari.

§. II.

Conſectaria ex Regula ſuperiori.

CONSECTARIVM I.

Caſus ſingulares, in quibus ratione neceſſitatis, totius monaſterij licitus, aut illicitus eſt in illud ingreſſus.

3. EX his ſequitur primò, Medicos, Chirurgos, fabros, operarios

rios & alios eiuſmodi, quos enumerat Gloſſa in cap. periculoſo, de ſtatu Regular. in 6. ver. cauſa ingredi poſſe monaſterium: quia illorum miniſteria ſunt neceſſaria toti conuentui.

Secundò, ſartoribus eamdem licentiam concedi poſſe exiſtimat Sanchez cap. 16. num. 43. & Nauarrus comment. 4. num. 59. Quia neque commodè pannum aptare, neque veſtium menſuram ſumere abſque ingreſſu poſſunt: quia verò ſutores poſſunt vel oſtenſo calceo, vel declaratis punctis, vt vocant, vel oſtenſo etiam ad ianuam pede menſuram capere, ingreſſum illis negant iidem: alij verò tum ſutoribus, tum ſartoribus. Ita Llamas in methodo, in appendice §. 6. Barboſa de poteſtate Epiſcop. allegat. 102. num. 55. Ferdinand. à Caſtro tractat. 16. diſput. 4. punct. 10. §. 3. num. 10. cum ad ianuam ſua illa miniſteria præſtare poſſint abſque ingreſſu. Exiſtimo curandum eſſe, vt Moniales Conuerſæ doceantur à ſartore artem aptandi pannum ad conficiendas veſtes, quas deinde facilè quoque conſuent, vti etiam ferè vbique fit: atque ad docendam illam artem permitti iure ingreſſum poſſit; quoad ſutores autem communi ſententiæ adhæreo.

Tertiò, licet baiulis aliiſve ad deferenda, vel extrahenda pondera, quæ per Moniales deferri nequeunt, monaſterium ingredi, Llamas in methodo in appendice §. 6.

Quartò, non licet quidem pharmacopolæ ingredi ad potionem Medicam exhibendam: quia id commodè per Moniales fieri valet: poterit tamen ingredi ad docendum Moniales modum miſcendi, parandíque pharmaca, quæ deinde ipſæmet aut parent, aut domi aſſeruent: eſt enim neceſſitas illa moralis Sãch. cap. 16. num. 56. cum Llamas loco cit.

Quintò, hortulano licet ingredi ad rigandum hortum, illúmque colendum, plantandas arbores, multóque magis ad fœnum & herbam falce ſcindendam, colendas vites, colligendas, deferendáſque vuas, ſi intra clauſuram hortus, aut pratum, vel vitis, vti aliquando fit, contineantur: quia hæc omnia fieri neque ſolent, neque poſſunt per Moniales, Barboſa, Sanchez Ferdinand.

Sextò fœminæ, quæ prætextu alicuius operis, quod æquè commodè per Moniales fieret, & quod reuera ipſæ non perficiunt, & tamen totos dies intra monaſterium commorantur; non ſunt in conſcientia tutæ, vti diximus alibi.

Septimò, licet viſitatoribus cum paucis, iiſque ſenioribus & Religioſis perſonis ingredi, vti præſcribit Gregor. XIII. vt viſitationem inchoent, edicta publica proponant, & denuncient, exhortationem habeant, culpas puniant, quæ omnia in capitulo fieri & debent, & ſolent; officinas, cellas, dormitorium & reliquum ædificium luſtrent, vt videant, ſi quid reparandum, aut corrigendum ſit: quare & ſecum ſecretarium, ac denique Notarium ad iudicialem viſitationem faciendam, eiúſque acta iudicialia excipienda habere debent Llamas in appendice cit. §. 7. Sanch. cap. 16. num. 54. Ferdinand. & alij paſſim: quia in his omnibus moralis neceſſitas euidens eſt.

Octauò, non licet Superiori ingredi monaſterium ad electionem Prælatæ, & ad capienda ſuffragia, & faciendam exhortationem: hæc enim omnia ad cancellos & per feneſtellam fieri poſſunt, & ita iubet Tridentinum ſeſſ. 25. de Regularib. c. 7. neque

neque tantùm ſuadet aut conſulit, vti interpretatur Llamas §.7.cit. licet enim non vtatur verbis præceptiuis; tamen ex iis, quæ cap.5. dixerat, ſatis colligitur eius mens; cum enim dixiſſet omnem ingreſſum illicitum eſſe, niſi in caſibus neceſſariis, & hunc caſum neceſſarium eſſe neget illo cap. 7. vbi dicit ſuſcipienda ſuffragia electionis per feneſtellam, & non ingrediendum eſſe ea de cauſa: ſatis ſignificat ſe præcipere hunc modum colligendi ſuffragia. Neque verum eſt illum eſſe plenum ſuſpicionibus: quia abſque fraude, aut doli metu colligi poſſunt & dari eiuſmodi ſuffragia. Non negamus tamen aliquando in quibuſdam circunſtantiis, & propter grauem metum factionum & perturbationis prudenter iudicari poſſe ingreſſum Prælati neceſſarium eſſe: & tunc ingredi omninò poterit & debebit, neque peccabit contra Tridentinum cap. 7. citat. vult enim ita ſuffragia ad feneſtellam capi, vt non neget, vbi neceſſitas aliud poſtulare videbitur, & Prælatum ingredi oportere, licitum eſſe ingreſſum, quem in omnibus caſibus neceſſariis cap.5. permiſit. Ita Roderiq. tom. 1. qq. Regular. quæſt. 46. articul. 4. in fine & articul. 5. initio, Nauarr. comment. 4. de Regular. numer. 59. & alij, qui ad bonam Abbatiſſæ electionem ingreſſum Prælato concedunt, intelligendi enim ſunt in eiuſmodi neceſſitate ob peculiares illas circunſtantias: quæ quia non ſemper, & non niſi rarò reperiuntur. Idcirco Azor. lib.13. cap.8. quæſt. 6. & communiter alij apud Ferdinand. num.3. negant ad electionem ſuperioriſſæ licitum eſſe Prælati ingreſſum: quia ordinariè minimè neceſſarius eſt.

Nonò, non licet ingredi ad benedictionem & conſecrationem Monialis aut Abbatiſſæ: quia ad crates & feneſtellam hæc omnia peragi poſſunt. Roderiq. quæſt. 47. art. 10. Sanch. num. 52. & alij. Neque etiam poterit eadem de cauſa Abbatiſſa egredi è monaſterio, & in Eccleſiam exteriorem venire; alioquin permittendus potius foret ingreſſus Epiſcopi in monaſterium ad illam benedictionem Abbatiſſæ, quam ipſius egreſſus in Eccleſiam.

Decimò, non licet Epiſcopo ingredi ad Sacramentum Confirmationis adminiſtrandum Monialibus: quia ad feneſtellam poteſt miniſtrari, ſi tamen ægrotæ, quæ ad crates deferri non poſſet, miniſtrandum foret, ne abſque illo decederet, poſſet ingredi, ſicuti ad Euchariſtiam miniſtrandam, vti dicemus inferiùs.

Vndecimò, quoties aliqua inſtrumenta ad monaſterij negotia in archiuio quærenda ſunt, neque per Moniales quæri poſſunt: œconomus, aut procurator in eam rem poterit ingredi.

Consectarium II.

De caſibus ſingularibus, in quibus licitus eſt ingreſſus in monaſteria ac occurrendum neceſſitati particulari alicuius Monialis.

Altera neceſſitas, propter quam diximus in noſtra vniuerſali Regula licere aliquando in monaſteria ingredi, ipſas ſingulas Moniales reſpiciebat: quia ipſarum videlicet incommodis nequit aliter, quàm per externos occurri. 4.

Primò igitur Confeſſarius ingredi poteſt ad miniſtranda ſacramenta

Confeſſionis, Euchariſtiæ, & extremæ vnctionis, non modò quando in extremis eſt; ſed etiam quando ſine vllo periculo tentatur, niſi vt in aliquibus monaſteriis vidiſſe ſe teſtatur Sanch. ſit aliqua feneſtella prope valetudinarium, ad quam excipi valeat confeſſio, & Monialis non ita laboret, vt ad illam accedere non poſſit, aut propter eius ſurditatem auris illi propiùs admouenda ſit.

Secundò licebit ad hæc ſacramenta conferenda Confeſſario ingredi quoties ex præſcripto Regulæ ſuſcipienda erunt, aut infirma ante morbum ſuſcipere illa ſolita fuerat; æquum enim non eſt, vt aut ipſa deterioris conditionis exiſtat, aut tam inſigni ſolatio & ſubſidio priuetur, eo rerum articulo, quo maximè indiget. Itaque id fatentur Man. Rodriq. tom. 1. qq. Regular. quæſt. 47. art. 4. Barboſa de poteſtat. Epiſc. allegat. 102. numer. 49. Sanch. cap. 16. lib. 6. num. 45. & 46. Miranda de ſacris Monialib. quæſt. 2. art. 7. Ferdin. Bonacin. & alij paſſim.

Tertiò licebit Sacerdoti miniſtraturo Sacramentum Euchariſtiæ, facere ſacrum in ſacello infirmariæ, cum ſic commodius, & maiori cum reuerentia Euchariſtiam exhibeat, quàm ſi ex templo deferretur. Rodriquez, Miranda, Barboſa, Ferdinand. locis citatis.

Quartò licebit quoque Sacerdoti ingredi, vt Monialem morti proximam iuuet, piis hortationibus ſoletur, & in eo momento Chriſtianis officiis proſequatur. Cur enim negetur Monialibus, quod tanta cura omnibus Chriſtianis impenditur? Llamas in appendice ſæpius cit. §. 8. Sanch. num. 48. Ferdinand. à Caſtrol & aiij.

Quintò ad funus & ſepulturam defunctæ monialis ingredi poterit, tum Sacerdos, tum ij omnes, quorum opera neceſſaria fuerit ad fodiendam ſepulturam, deferendum corpus, humandum, officium perſoluendum & ſimilia peragenda. Sanch. num. 44. Barboſa num. 50. Ferdinand. punct. 10. num. 3.

Sextò in his omnibus poterit Sacerdos ſecum ſocium ducere, quoties illi ad aliquod eiuſmodi miniſterium rite peragendum fuerit neceſſarius: neque ad id opus habebit noua licentia. Sanchez num. 46. Ferdinand. n. 7.

Septimò quoties etiam Religioſus ex aliqua iuſta cauſa licentiam habebit ingrediendi monaſteria Monialium, poterit ſecum ſocium ducere, cùm & decentia, & conſuetudo id poſtulet. Ita Miranda q. 2. de Monialib. art. 17. Sanch. n. 46. & malè negat Bonacin. quæſt. 4. de clauſura punct. 4. num. 4. Quod non dedeceat ſocium Religioſi præſtolari ad fores monaſterij, dum illud ipſe ingreditur. Verum dedecet virum Religioſum fœminarum domum ſolum ingredi, & ſocium ſolum cum ancillis & famulabus ad ianuam manere.

Octauò, non licet Sacerdoti ingredi ad renouandum Sacramentum exiſtens in interiori choro: quia id fieri poterit per feneſtellam in eum vſum paratam, Bonacin. part. 4. citat. num. 4.

Nonò, neque mater, neque ſoror, aut alij conſanguinei ingredi poſſunt ad inuiſendam Monialem morti proximam, cum ea neceſſitas nulla ſit, poſſitque potius eiuſmodi ingreſſus Moniali nocere, quàm eam iuuare. Rodriq. tom. 1. qq. Regular. quæſt. 46. art. 11. Miranda q. 2. de ſacris Monialib. artic. 4. Barboſa allegat.

allegat. 102. n. 68. Ioan. de la Cruz lib. 1. de ſtatu Relig. cap. 5. dub. 2. con. 3. Ferdinand. punct. 10. num. 10. & alij apud Tamburin. diſputat. 25. quæſt. 17. ſi tamen eo caſu licitum eſſet famulam aliquam ad inſeruiendum infirmæ admittere, poſſet aliqua eius conſanguinea ad id opus admitti.

Decimò, non licet matribus, ſororibus, aut conſanguineis permittere ingreſſum in hæc monaſteria, quando filia, aut alia conſanguinea ſuſcipit habitum, aut profeſſionem emittit. Ita à ſacra Congregat. Cardinal. declaratum referunt & ſequuntur Rodriquez, Miranda & alij apud Tamburin. loco cit. & Sanch. n. 67. cap. 16. ſæpiùs allati.

4. Vndecimò, poterit Sacerdos, ſiue Confeſſarius, ſiue quis alius ingredi propter deferendam aliquam reliquiam Moniali ægrotanti, & inde ſanitatem ſperanti. Ita Peiryn. in conſtitut. 6. Pij V. qui & morem illum ſolemnem eſſe Genuæ teſtatur.

Duodecimò, Exorciſta ingredi non debet ad exorciſandam Monialem energumenam: nam in exteriori Eccleſia ea exorciſari debet, ad eámque proinde deduci comitantibus honeſtis perſonis, & occluſis interea Eccleſiæ foribus, donec in monaſterium reducatur. Ita deciſum eſſe à ſacra Congregatione refert Barboſa in Collectan. Bulla. ver. Monialium clauſuræ circa egreſſum n. 4. Aldan. in compend. Canonic. reſolut. lib. 2. titul. 40. numer. 26. Quod autem in ea declaratione dicitur petendam eſſe licentiam à ſacra Congregatione, difficultatem habet communem alijs quibuſdam declarationibus, de qua in ſimili caſu Suarez lib. 1. tract. 8. de Relig. cap. 10. n. 22. Cum enim illa Congregatio careat iuriſdictione, habeátque ſolum miniſterium pertinens ad clauem ſcientiæ, non videtur ab illa petendas eſſe eiuſmodi licentias: Itaque de aliqua alia Congregatione loqui debebit; quænam verò ea ſit non conſtat.

Decimotertiò, ſi mulier prægnans intrauit monaſterium cum licentia, vt ibi aliquandiu maneret, intereáque pariat, poterit intrare ad illam obſtetrix. Ita Portell. de dub. Regul. ver. clauſura Monialium num. vlt. Quod omninò dicendum eſt ſiue ſine licentia, ſiue cum illa fuerit ingreſſa: aut ſi eſſet ipſa Monialis, quæ caſtitatem violaſſet; iuuanda tamen eſſet in partu, vt & prolis & matris ſaluti conſuleretur.

Consectarium III.

An ancillæ & famulæ intra monaſteria poſſint admitti.

Dicendum eſt licere, quoties non ſunt Conuerſæ profeſſæ, quæ miniſteriis vilioribus & operoſioribus inſeruiant. Ita Sanchez cap. 16. lib. 6. num. 66. Suar. tract. 8. de Religione lib. 1. cap. 10. num. 18. 19. Barboſa allegat. 102. de poteſt. Epiſcop. num. 60. Roderiq. tom. 1. qq. Regul. quæſt. 46. art. 7. & 8. Ferdinand. à Caſtro tract. 16. diſput. 4. punct. 10. num. 5. Bonacina quæſt. 4. de clauſura punct. 4. num. 10. quia tunc reuera neceſſitas moralis eſt, cum monaſterium eiuſmodi famulabus indigeat: neque, vti obſeruauit Suarez, Tridentinum & Pontifices permittunt in caſibus neceſſariis ſolum ingreſſum, & non commorationem: de illa enim ſilent & tamdiu omnino durare debebit ille ingreſſus, quandiu poſtulabit neceſſitas: quare ſi 5.

pe ma

permanentiam aliquam poſtulet, illa omnino permittenda fuerit. Niſi igitur Conuerſæ fuerint numero ſufficienti, famulæ ſæculares aſciſcendæ erunt, quæ opera, quæ Moniales, quia aut delicatiores ſunt, aut aliis officiis occupantur, exercere non valent, aſſiduè præſtent.

Quod verò Suarez, Ferdinand. & alij addunt: tunc quidem ingreſſum & commorationem permitti poſſe, quando eiuſmodi famulæ neceſſariæ ſunt, vt toti conuentui deſeruiant; non autem, vt vni alicui Moniali, aut infirmæ, aut ſeniori deſeruiant, non placet: quia cum aliæ famulæ, aut Conuerſæ nequeant vni illi Moniali, quæ peculiaria obſequia poſtulat, vacare, niſi cum magno totius monaſterij damno, aut cæterarum Monialium querelis, ſemper admittentur ex neceſſitate totius conuentus: deinde cum liceat, vti in pluribus caſibus oſtendimus conſectario ſuperiori, ingreſſum externorum ob vnius ſingularis Monialis neceſſitatem permittere. Cur non licebit in hoc ipſo caſu inualetudinis, aut ætatis, in quo indiget famulæ opera, quam aliæ ipſi exhibere non valent? neque inde laxatur clauſura & diſciplina, quaſi ſingulæ ſuas ſibi famulas habere velint: diximus enim attendendam eſſe tum illarum
6. Monialium, quæ eas poſtularent, veram neceſſitatem; tum vtrum monaſterium illi prouidere aliqua alia ratione poſſit. Idcirco Nauarr. comment. 4. de Regular. quæſt. 18. n. 66. noluit damnare conſuetudinem. *Monaſteriorum quorumdam, vbi bona pars Sanctimonialium eſt genere nobili & illuſtriſſimo prognata, & à tempore immemoriali ſingulæ ſingulas conſueuerunt habere famulas, vel diſcipulas laicas, quæ inſeruiunt eis in miniſterijs vilioribus: eo quod ipſæ Moniales enutritæ in murice & auro, vix ad prædicta efficienda ſe demittere poſſunt.*

Hæ porrò famulæ tenebuntur clauſura, neque poterunt pro arbitrio Monialium, aut Prælatæ exire, & iterum regredi. Ita enim declarauit ſacra Congregatio Cardinalium, vti Roderiq. Mirand. Tamburin. diſput. 25. quæſ. 16. & alij referunt. Et Gregorius XIII. in Bulla, quam integram refert Peirin. in conſtitut. 6. Pij V. num. 31. & Tamburin. loco cit. denis Monialibus ſingulas eiuſmodi ancillas concedit cum eadem conditione clauſuræ.

Dices eam conſtitutionem non videri pluribus in locis vſu receptam, cum eæ famulæ ad varia monaſterij obſequia diſcurrere ſoleant. Reſpõdeo prauam omnino eſſe eiuſmodi conſuetudinem, & quæ plurimum aliquando toti monaſterio noceat. Itaque nulla ratione eam eſſe permittendam, niſi anguſtia & difficultas loci, aut cœnobij egeſtas cogat initio illam pati: eo quod non ſint ædes vicinæ & contiguæ, in quibus commodè famulæ externis vſibus monaſterij deſtinatæ commorari poſſunt: Tunc enim neceſſitas ipſius monaſterij poſtulat, vt aliquando in vrbem ad plurimos vſus, famulæ mittantur, & iterum in monaſterium redeant. Quæ neceſſitas expendenda ſeriò fuerit Prælato, dum ad aliquod tempus eiuſmodi egreſſum famularum patietur.

CONSEC

CONSECTARIVM IV.

In quibus caſibus externi propter proprias neceſsitates ingredi monaſteria Monialium poſsint.

6. HAnc quoque neceſſitatem iuſtam aliquando fore cauſam ingreſſus in monaſteria Monialium, dicebamus in noſtra Regula vniuerſali, ad quam caſus ſingulares exigere oportet.

Primò, licet ingredi monaſterium ad deferendum depoſitum, quod alibi, aut non ita tutò ſeruari poteſt, aut aliis ex cauſis deponi, & pecuniæ, aut depoſitum adeò graue eſt, vt à Monialibus deferri nequeat. Sanchez num.59. cap. 16. lib.6. Qui tamen addit id rarò admodum conſulendum videri. Ergo quoties depoſiti ſecuritas ita poſtulabit, permittendum eſſe cenſerem.

Secundò reus, vt pœnam, aut iudicem, eiúſve ſatellites fugiat, monaſterium ingrediens non peccat: in tanto enim diſcrimine excuſatur, & omnem locum, quem tutum exiſtimabit, penetrare poterit, vt ait Sanchez num.59. Qui tamen addit non licere Monialibus illum admittere, & illi fores ea de cauſa aperire, cum dedeceat malefactorem intra clauſuram tueri; ſi quæ tamen Moniales fugienti manus inſequentium ſatellitum, & iam in diſcrimine poſitum admitterent, mihi immunes à culpa videntur. Quod verius exiſtimarem, ſi reus ille non eſſet; ſed iniuriam & manus hoſtium aggredientium fugeret: illi enim recludendas eſſe fores monaſterij charitas ſuaderet, modò prudenter & ſine ſcandalo, ac ipſius monaſterij vel damno, vel iniuria recludi facilè poſſent.

Tertiò malefactorem, aliúmve, qui ad monaſterium perfugit, ſiue iure, ſiue iniuria, & inde egredi non vult, expellere licebit, & eam in rem viros in auxilium vocare, qui & monaſterium idcirco ingrediantur, & illum inde extrahant. Cum neque deceat virum intra monaſterium permanere, neque inualidæ & timidæ virgines ipſum vi eiicere poſſint. Llamas in append. ſæpiùs citat. §.6. Roderiq. quæſt. 46. citata art.6. Sanch. num.57.

Quartò licebit iudici ingredi ad malefactorem inde eiiciendum; deinde ſi certum ſit ipſum non gaudere immunitate eccleſiaſtica, poterit iudex & monaſterium ingredi, & ibi illius confeſſionem excipere, & ad carcerem ducere, etiamſi Superior licentiam negaret, quia iniuſtè negat, & Iudex vtitur ſuo iure. Quòd ſi reus immunitate Eccleſiaſtica gaudeat, nequit ex monaſterio in carcerem trahi; ſed in Eccleſia relinquendus erit: neque poterit Iudex propria authoritate ingredi ad iſta peragenda; alioquin vim faceret monaſterio. Hæc omnia habet Sanchez cap. illo 16. num.57. & 58. atque ex illo Bonacin. punct. 4. citat. Ferdinand. à Caſtro punct.10. Tamburin. diſput.24. de iure Abbatiſſ. q.7. aliique. Sed hæc diſputatio aliò pertinet, & ad tractationem de immunitate Eccleſiaſtica; quare nihil hoc loco definio.

Quintò ſi cadauer alicuius ſæcularis intra clauſuram Monialium ſepeliendum ſit, Baiuli neceſſarij ad illud deferendum ingredi poſſunt, vna cum Sacerdotibus neceſſariis, ſiue illi ſint Regulares, ſiue ſæculares. Sed de hac re conſule Portell.

in dubiis Regularibus, ver. clauſura Monialium n.11. Tamburin. de Iure Abbatiſſ. diſput.34. quæſit.1.

Consectarium V.

An puellæ intra monaſterium educari poſſint.

7. Dicendum eſt admitti poſſe. Ita Azor.1. part. lib.13. cap.8.q.4. Nauarr. comment. 4. de Regularib. numer. 67. Roderiq. tom.1. qq. Regular. quæſt.46. art. 10. Miranda de ſacris Monialib.quæſt.2.art.7.conc.1. Suarez tractat.8.de Relig.lib.1.c.10. num.21. Sà ver. monaſterium. n.vlt. Barboſa allegat.102. de poteſt.Epiſc. numer. 62. Sanch. lib.6. in Decalog. cap.16. num.61. Bonacin. diſput. de clauſura quæſt.4.punct.4. numer.15. Ferdinand. à Caſtro diſp.4.punct.10. tractat.16. Tamburin. de iure Abbatiſſ.diſput.1. quæſt.1. qui plures alios dabunt: idque declaratum fuiſſe à ſacra Congregat. Cardinal. teſtantur; éſtque euidens ratio: quia hæc educatio non modo in ipſarum puellarum bonum cedit; ſed ipſius quoque monaſterij, cum pleræque deinde ſuſcipiant habitum Religioſum. Et quamuis in Concilio Aquiſgran. an. Chriſti 799. ſub Leone III. c.6. vti habetur tom. 2. conc. Gal. prohibuerint Patres, *Ne quis filiã ſuam, aut neptem in monaſterium nutriendi cauſa mittere præſumeret, niſi quæ in ipſo loco, firmiter in Dei ſeruitio perſeuerare vellet*. Viſum tamen deinde fuit, ejuſmodi inſtitutionem, educationémve puellarum intra monaſteria permittere, cum & pueri inter Monachos in ſcholis, vt ſuperiùs obſeruaſſe me memini, inſtituerentur.

Ex variis porrò Congregationis Cardinalium declarationibus collegere Doctores plures conditiones ad hanc puellarum educationem. Primò, vt monaſterij inſtitutio non repugnet huic receptioni, imò illas recipere conſueuerit. Secundò, habeatur conſenſus Superiorillæ & capituli. Tertiò, non excedant numerum à monaſterio præfixum. Quartò, vtantur veſtitu decenti & modeſto. Quintò, nullam aut ancillam, aut famulam ſecum ducant. Sextò, ſeptimum annum expleuerint, & vigeſimumquintum non exceſſerint. Septimò, locum ſeparatum à Monialium habitatione occupent. Octauò, clauſura quoque teneantur, neque pro arbitrio exeant, & redeant, niſi medendi morbi cauſa exierint. Nonò, vt alimenta quolibet ſemeſtri anticipatè ſoluantur: & aliæ nonnullæ. Verùm cum hæ declarationes in Gallia authenticè propoſitæ non ſint, & de aliquarum intelligentia dubitet quoque Suarez, & demum pro caſibus ſingularibus datæ fuerint, in illis explicandis diutiùs nobis immorandum non videtur.

Fatentur iidem Doctores puellas, quæ vel parentibus orbatæ ſunt, vel ex Xenodochiis, aliiſve locis publicis eductæ ſunt & congrua dote carent, poſſe in monaſteriis educari, donec nubant.

Quæſtionis tamen dubiæ eſt, an parentes cogere poſſint puellas, vt in monaſteriis retento habitu ſæculari educentur. Ratio difficultatis eſt, quia Trident. ſeſſ. 25. de Regularib. cap. 18. *Excommunicat omnes & ſingulas perſonas, cuiuſcumque qualitatis & conditionis fuerint, ſi quomodocumque coëgerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem inuitam, præterquam* 8.

terquam in caſibus à iure expreſſis ad ingrediendum monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum cuiuſcumque Religionis, vel ad emittendam profeſſionem. Immò eadem pœna afficit *Qui ad hæc omnia conſilium, auxilium, vel fauorem dederint.* Et qui denique his actibus, quos inuoluntariè ſuſcipi nouerint, *præſentiam, vel conſenſum, vel authoritatem interpoſuerint.*

Vbi notanda ſunt illa verba, *ad ingrediendum monaſterium, vel ſuſcipiendum habitum, vel emittendam profeſſionem.* Quibus verbis tria diſtinctè exprimuntur: & qui vnum horum trium fecerit, pœnam inflictam incurret: quia in alternatiuis ſufficit alterius partis veritas, ex Regula in alternatiuis de regulis iuris in 6. Et ſanè niſi verba illius diſiunctiuæ diuerſum quid ſignificent, impropriè omninò accipienda forent, cum tamen in reſcripto Principum verba ſint propriè capienda, niſi aliunde de Principis mente conſtiterit. l. non aliter. ff. de legat.3. deinde Concilium excepit caſus in iure expreſſos: quia poteſt aliquando fœmina cogi ad commorandum in monaſterio in pœnam; non verò ad habitum ſuſcipiendum, aut profitendum. Caſus igitur in iure expreſſi non ſunt, niſi illi, in quibus ius concedit fœminam in monaſterium detrudere ad ibi degendum: quos tres eſſe dicit Peïryn. de ſubdito religioſo cap.29. conc.2. ver. nota tertiò. Sic quando coniux permiſit alteri Religionem ingredi, & in ea profiteri, & de eius caſtitate timetur in ſæculo, poteſt ad ingrediendum religionem compelli, non tamen ad profitendum. Cum igitur non excicipiat Tridentinum ſimiles caſus, niſi in ordine ad ingreſſum monaſterij, non ad habitum, aut profeſſionem, reuera de ingreſſu illo, etiamſi neque habitus ſuſcipiatur, neque emittatur profeſſio, loquitur. Quare qui ad illum coget virginem, aut aliam mulierem, incurret interminatam excommunicationem. Neque tam ſollicitè Tridentinum bis eandem diſtinctionem repeteret, niſi diuerſos actus denotare vellet. Denique ratio, quæ mouit Tridentinum, euidens eſt, ne videlicet virgo ſemel ingreſſa, aut Monialium ſuaſionibus, aut pudore exeundi minus liberè deinde Religionem ſuſcipiat. Illi porrò libertati conſulere prorſus voluit Tridentinum. Itaque cogentes puellas ad ingreſſum monaſterij, vt ibi inſtituantur, educentúrve, peccare, & in excommunicationem Concilij incidere cenſuit Nauarr. Conſil.6. de Regularib. Suar. tom. 5. in 3. part. diſp.23. ſect.5. num.9. Zerola in praxi ver. Moniales. Barboſa in Collectan. ad Concil. Trident. in cap. cit. & de poteſt. Epiſcop. allegat.50. n.2. quæſt. 7. Filliuc. tract. 19. cap.6. excomm.63. Ledeſma in additionib. ad ſum. tom. 2. tract. de ſtatibus, cap.5. conc.8. Megala in 3. part. lib.4. cap.6. num.100. Diana 1. part. tract.15. Reſolut. 56. Alij negant hanc pœnam incurri niſi cogatur puella ad hunc ingreſſum animo principali, vt habitum deinde religioſum ſumat. Ita Roderiq. tom. 2. ſum. cap.8. num.9. Sanch. lib.4. in Decalog. cap.4. n.12. Bonac. de cenſ. diſp.2. q.2. punct.2. Portell. in addit. ad dubia Regular. ver. Moniales, num. 14. Ferdinand. à Caſtr. Palao part.6. diſp.3. punct.36. num.8. Qui tamen requirit tantum animum in genere ſtatus religioſi; quem vt puella aliquando aſſumat, cogitur in monaſterio educari.

Obſeruandum imprimis eſt Con- 2.

cilium agere de coactione, quæ non niſi per metum grauem, ſaltem ratione perſonæ, cui incutitur, fieri exiſtimatur: quare qui blanditiis aut precibus etiam importunis, niſi illæ metum & vim cauſent, aut promiſſionibus fœminas ad eiuſmodi ingreſſum excitarent, non incurrerent has pœnas: quia lex pœnalis ſtrictè interpretanda eſt.

Obſerua ſecundò, hanc coactionem iniuſtam & peccaminoſam eſſe oportere, quæ nimirum grauem iniuriam contineat: ſi enim iuſta eſt, plecti non poteſt. Quare qui poſſet iuſtè alteri pœnam, aut necem per iuſtitiæ vindicis miniſtros inferre, neque vellet illam remittere, aut ab actione iniuriarum deſiſtere, niſi Religionem ingrediatur, v. g. maritus vxori adulteræ: reuera illi vim non affert, neque iniuriam irrogat; ſed beneficium confert, cum & iuſtam vindictam illi remittat, & ingens bonum, quale eſt Religionis, procuret. Parens qui filiam virginem diligentiùs, rigidiúſque, quàm ipſa velit, cuſtodit, vnde illa tædio affecta religionem ingreditur, non facit illi iniuriam, neque ratione illius dicetur aut inuoluntarius, aut coactus eiuſmodi ingreſſus, quandiu parens limites paternæ prouidentiæ non exceſſit, licet toto ſuo iure vſus ſit; & tædium inde ortum in filia non eſt niſi accidentarium, & veluti naturale, vt explicat Suar. tract.7. de Religione lib.5. cap.9. Vnde vlterius fit, vt qui ſpe lucri, aut officij aut fauoris aliunde indebiti aliquem alliceret ad Religionem, non peccaret in Tridentinum: quia reuera ipſam non cogeret, quod omnino faceret, ſi rem ipſi ex iuſtitia debitam denegaret: quare ſi parentes filiæ minentur fore, vt in legitima nullum illi fauorem, aut præcipuam partem indulgeant, vti poſſent; ſed illam duntaxat exiguam ſortem, quæ illi iure continget, relinquant, ſi non fiat Religioſa, reuera ipſam minimè ad Religionem cogent: neque ſi promittant maximam partem hæreditatis, aut totam, ſi fiat Religioſa; ſi verò nubat, velint monaſterium ſuccedere: quia ſi liberam habent bonorum ſuorum diſpoſitionem parentes, nullam faciunt tunc iniuriam filiæ, neque eam cogunt ad Religionem, quamuis nolint ſua illa bona ipſi relinquere ſi nubat: quæ omnia paſſim Doctores tradunt in ſimili caſu, dum de matrimonio per coactionem & vim inito diſputant. Si verò filiam renitentem ingredi monaſterium, ibique educari, malè habeant, debitæ portionis ac legitimæ ſubductionem minentur, ſe nulli vnquam eius matrimonio conſenſuros iactent, domi veluti incluſam perpetuò contineant, contumelioſis verbis excipiant, laceris veſtibus & ſtatum eius dedecentibus induant, veluti famulam, aut ſeruam ad vilia quæque opera applicent; reuera illi iniuriam faciunt & cogunt ad ingrediendum monaſterium. His annotatis.

10. Aio imprimis parentes, vel tutores poſſe puellas impuberes cogere, vt educentur in monaſterio, neque ex illo ante annos pubertatis exeant. Ita Suar. tract. 7. de Religione lib.5. cap.9. num.4. Sanch. lib.4. in Decalog. cap. 4. num.8. Portel. in additionib. ad dubia Regularia, ver. clauſura Monialium, num.4. Quia id ius naturale habent parentes, cui derogare profectò noluit Tridentinum. Certúmque eſt potuiſſe ſemper parentes offerre liberos impuberes Religioni, non expectata, vel etiam repugnante

pugnante

pugnante ipſorum voluntate, vt latè diſputat Suar. eodem lib. 5. cap.2. & Sanchez lib.4. in Decalog. cap.18. à num.8. Quidni igitur poterunt illos educandos monaſterio tradere, vt deinde puberes facti quod libuerit vitæ genus, arripiant.

Aio ſecundò, filios puberes non poſſe abſque iniuria cogi ab illis, in quorum poteſtate ſunt, in monaſterio educari etiam retento habitu ſæculari, & ſine animo, aut pactione aſſumendi deinde Religionem, niſi adſit aliqua iuſta cauſa, quod de omnibus aliis fœminis affirmandum quoque eſt. Ita Suar.cap.9. cit. Quia cum quilibet iam pubes, ſit ſui iuris in his, quæ ad ſtatum animæ pertinent, non poteſt abſque iniuria ad tam arctam clauſuram, talémque viuendi modum obligari: quare ſi ad illum vi & metu cogatur, reuera patitur iniuriam, eámque grauem; & qui illam infligit, peccat: nonnumquam tamen moralis quædam neceſſitas, & vrgens cauſa hanc coactionem iuſtam facit; vt ſi timeatur pudicitiæ filiæ, aut eius vanitati, abſentibus parentibus; aut etiam vxori à marito; ita vt hæc cuſtodia cenſeatur omnino, aut ſaltem valde neceſſaria; & in ſimilibus aliis caſibus cogentur fœminæ ad illum ingreſſum monaſterij, vt in illo retento habitu ſæculari cuſtodiantur; quod omnes Doctores fatentur: neque peccabunt, qui eam vim inferent, neque Tridentini cenſuram incurrent.

Aio tertiò eos, qui iniuſtè licet puellam, aliámve fœminam cogunt ad ingrediendum monaſterium, ſeruata ſua veſte ſæculari, vt inibi inſtituatur, aut cuſtodiatur, ſine conditione, aut pactione ſuſcipiendi habitum religioſum, quamuis eo animo, vt ſenſim ad Religionem afficiatur, & deinde ſi libuerit, illam aſſumat, aut nubat, non incurrere excommunicationem Tridentini. Ita Suar. tract.7. de Religion. lib.5. c.9. num.4. vbi explicat quæ tom.5. in 3. part. diſput. 23. ſect. 5. num.9. dixerat: quia ſola coactio ad ingreſſum, qui directè, vel indirectè ad habitum ſuſcipiendum ordinatur, prohibetur à Concilio, quod non fit, quandiu plena libertas relinquitur fœminæ ſuſcipiendi Religionem, aut non ſuſcipiendi, quamuis qui ad habitandum in monaſterio coëgerunt, cuperent illam reuera Religioſam fieri, immò & ſuam voluntatem ipſi ſignificent: quia iſta ſignificatio voluntatis non eſt coactio ad habitum ſuſcipiendum, & quæ præceſſit coactio ad ingreſſum, ita in eo ſiſtit, vt non ordinetur directè, aut indirectè ad Religionis ſuſceptionem propter plenam libertatem, quæ iam ingreſſæ in monaſterium fœminæ relinquitur: neque dicas fore, vt aut Monialium blanditiis, aut pudore quodam retineatur: ſi enim inde cenſeatur ſuſceptio Religionis coacta, omnis quoque profeſſio coacta exiſtimari poſſet: diceretur enim nouitiam pudore abiiciendi habitum Religioſum & blanditiis Monialium victam profiteri: Niſi igitur hæc coactio ingrediendi monaſterium ita ordinetur ad ſuſceptionem habitus Religioſi, vt ratione illius dicatur deinde illum coactè ſuſcipere, non plectitur excommunicatione lata à Tridentino, quamuis aliunde iniuſta ſit & peccaminoſa, vti dicebam proxima aſſertione, atque hanc fuiſſe mentem Concilij inde patet, quòd ſoleant puellæ, ac fœminæ, antequam habitum Religioſum ſuſcipiant, aliquandiu in monaſterio permanere in veſte ſæculari; ideóque

hunc ingreſſum diſtinguit Concilium ab ipſa habitus ſuſceptione, vúltque eiuſmodi ingreſſum liberum eſſe: ſi enim coactus ſit, etiamſi deinde non ſequatur habitus ſuſceptio, aut non niſi libera propter mutatam fœminæ voluntatem, vti contingere poteſt: puniuntur tamen excommunicatione, qui vim illam puellæ adhibuerunt, ſtatim atque ingreſſa fuerit puella metu coacta: ſatis enim eſt, quod cogatur ingredi in finem illum ſuſcipiendi habitus & profitendi. Vide quoque dubitant Doctores, an qui & ad ingreſſum & ad habitum, ipsámque profeſſionem coëgerunt fœminam aliquam, tres excommunicationes incurrant, cum has tres actiones illa cenſura puniuerit Tridentinum: quæ ſi diſtinctè fiant, diſtinctas, quoque cenſuras inducent. Quia tamen videtur eſſe vna coactio perſeuerans; vnam quoque incurri cenſuram exiſtimat Suarez, quæ per primam actionem ſtatim contrahitur, & per ſequentes deinde magis aggrauatur, ſicut & ipſa contumacia.

Ex his colliges parentes non incidere in hanc excommunicationem, quoties puellæ monaſterium ingrediuntur, atque tandem Monachæ fiunt, vel ipſorum importunis precibus, quæ tamen violentiæ non æquiualeant, vel blanditiis, vel rationibus, quibus ſtatum Religioſum tanquam ipſis conuenientiorem ſuadent: quia vel non poſſunt ob exiguam, aut nullam dotem pari nubere, vel ſine periculo in eo ſtatu manere, vel quia ſperant pinguia beneficia, aliiſve eiuſmodi de cauſis: quia in his omnibus, neque coactio eſt, neque iniuſta vis, neque minæ, ſed preces, blanditiæ, ſuaſiones, ita Portell. in addit. ad dubia Regular. ver. Moniales. num. 11. Villalob. 1. part. ſumm. tractat. 17. difficult. 31. num. 11. Ricc. in praxi tom. 1. Reſolut. 595. num. 4.

CONSECTARIVM VI.

An viduæ, an fœminæ maritatæ à viris ſeparatæ poſſint in monaſteriis aliquandiu admitti.

Videntur fuiſſe diuerſæ hac de re ſacræ Congregationis declarationes: hæc tamen mihi probabilius tradi videntur à Barboſa allegat. 102. n. 66. Ferdinand. à Caſtro punct. 10. §. 3. num. 14. Qui Sanchez, Mirand. Rodriq. Zerolam, alióſque dabunt. Primò igitur mulieres à viris ſeparatæ in monaſteriis abſque Pontificis licentia admitti non debent, vt ibi viuant, negauitque Congregatio eiuſmodi facultatem cuidam Comitiſſæ, quæ propter infirmitatem à viro ſeparari, & cum tribus filiabus in aliquod monaſterium ingredi poſtulabat. Ratio euidens eſt: quia tunc nulla moralis neceſſitas exiſtit, ſed vtilitas tantum. Exiſtimarem tamen etiam in hoc caſu grauem neceſſitatem occurrere poſſe. Cur enim non fuerit aliquando hæc ſeparatio iuſta, atque etiam neceſſaria, qua facta, ſi deinde mulier illa tutò in ſæculo ſine graui periculo manere nequeat, poterit ſanè Epiſcopus, aut Superior illius in monaſterio habitationem permittere. 11.

Secundò maritata, quæ viri ſuſpiciones & ſæuitiam, aut vim aliquam ab illo timet, poterit cum conſenſu Superiorum & monaſterij in illo recipi, modò eius conſtitutiones non repugnét. Itaque aliquando deciſum referunt, illéque caſus, tum neceſ-

ſitatis, tum debitæ charitatis merito à Doctoribus allatis exiſtimatur.

Tertiò quod attinet ad viduas, quæ in monaſteriis vitam degere in veſte laicali voluerint, non tamen Monachæ fieri: illas non poſſe abſque Pontificis venia recipi exiſtimant; & ita à Congregatione declaratum eſſe referunt Miranda de ſacris Monialib. quæſt. 2. art. 6. Ferdinand. Barboſa, Sanch. & alij cum Tamburin. diſp. 24. quæſt. 14. num. 3. Quia hic etiã caſus neceſſitatis non eſt, ſed vtilitatis tantùm alicuius viduarum eiuſmodi, non ipſius monaſterij. Quare ſi in aliquo caſu Epiſcopus prudenter iudicaret eſſe aliquam neceſſitatem moralem; vt quia ex eiuſmodi viduæ receptione leuabitur Monaſterium ære alieno, quo premitur, aut extruetur, aut ingens aliquod eiuſmodi commodum percipiet, quo maximè indiget, & cuius aliunde nulla, aut exigua admodum ſpes eſt. Exiſtimarem Epiſcopum, aliúmve ſuperiorem eam facultatem admittendi talem viduam facere poſſe; maximè in Gallia, vbi non ſunt authenticæ promulgatæ, neque proinde receptæ declarationes Congregationis Cardinalium, & ex iure communi proceditur.

CAPVT VIII.

De pœnis violantium Clauſuram.

Clavsvra violatur, vti conſtat ex tota iſta diſputatione, egreſſu & ingreſſu: quare vtroque iſto modo violantibus illam, pœnæ aliquæ inflictæ ſunt: quas paucis explicare placet.

§. I.

Pœna Monialium è monaſterijs illicitè egredientium & illis fauentium.

Violant per egreſſum clauſuram tum ipſæmet Moniales, quæ exeunt illicitè è monaſteriis; tum illi, qui ipſis ad eiuſmodi exitum fauent, comitantur nimirum, extrahunt, recipiunt, illíſque licentiam concedunt. Quare ij omnes pœna aliqua mulctantur. Et quidem Bonifacius in cap. periculoſo, nullam pœnam certam huic crimini impoſuit: neque Concilium Trident. Pius tamen V. in ſua conſtitutione. *Decori & honeſtati*, geminam pœnam inflixit. 1.

Prima eſt excommunicatio ipſo facto incurrenda, & ſummo Pontifici præterquam in mortis articulo reſeruata, quia Moniales ſine licentia, & aliter quàm Pius ibidem præſcribit, ac demum iniuſtè & culpabiliter egredientes percellit: quandonam verò culpabiliter & iniuſtè egrediantur Moniales defectu, aut licentiæ, aut cauſæ conſtat ex cap. 5. & 6. Non opus verò eſt ad hanc pœnam incurrendam, vt longiùs à ſeptis monaſterij diſcedant. Nam ſi limites clauſuræ, de quibus fusè diſputauimus cap. 2. exeant vel ad ianuam exteriorem, vel ad Eccleſiam, ad quam ſæculares veniunt, reuera violant clauſuram, ac proinde pœnis in clauſuram violantes à Pio V. latis obnoxiæ exiſtunt, modò tamen culpa in eiuſmodi violatione clauſuræ grauis ſit, qualem omnino exigit excommunicatio, aliæve cenſuræ, vti fuſiùs oſtendimus in noſtra ſcientia Canonica diſputantes de cenſuris.

Hæc

Hæc porrò culpæ leuitas oritur hoc loco, vel ex inconſideratione & inaduertentia, vel ex paruitate materiæ, quando non eſt perfecta, & plena violatio clauſuræ ſiue egrediendo, ſiue ingrediendo: quod continget, quando totum corpus non eſt intra aut extra clauſuram; ſed partim intra, partim extra, ſiue maior pars corporis ſit intra aut extra; quia reuera tunc non eſt perfectus & conſummatus ingreſſus, aut egreſſus: quare illum culpæ lethalis non damnat, neque pœnis ſubiicit Sanchez lib. 6. cap. 16. num. 70. vbi tamen non bene affirmat ſtantem in oſtio non plecti his pœnis, eo quod oſtium ſit partim intra, partim extra clauſuram: contrarium enim diximus c. 2. conſect. 1. & eiuſmodi in oſtio ſtantem his pœnis ſubiicit Lælius Zecchius de caſibus reſeruatis caſu 10. num. 1. perſtandum nobis eſt in iis, quæ diximus illo conſectario.

2. Veriùs eſt licitè propter vrgentem neceſſitatem abſque ſuperioris licentia egreſſam, & quæ deinde certiorem non fecit ſuperiorem de ſuo egreſſu, vti teneri dicebamus, antequam ſe reciperet in ſuum monaſterium cap. 5. conſect. 9. non incurrere hanc excommunicationem: quia Pius V. plectit tantùm illegitimè & & culpabiliter egreſſas, cuiuſmodi non eſt illa Monialis, de qua agimus. Neque apparet cur culpam non monendi ſuperiorem de iuſto egreſſu ipſo inconſulto puniamus hac cenſura, quam Pontifex in iniuſtè egredientes tulit. Ita Sanch. lib. 6. cap. 15. num. 70.

3. Maior difficultas eſſe videtur, an Moniales, quæ iuſta ex cauſa egreſſæ ſunt: & deinde illa ceſſante, non reuertuntur, ſed illicitè vagantur extra monaſterium: ideóque grauiter peccant, & clauſuram violant, vti oſtendimus cap. 5. conſect. 13. & 14. hac pœna puniantur. Negat Sanch. cap. 15. num. 70. & Bonac. quæſt. 1. de clauſura punct. 4. num. 3. Quia Pontifex punit tantùm iniuſtè egredientes, cuiuſmodi non ſunt iſtæ Moniales: & leges pœnales ſunt ſtrictiùs interpretandæ.

Exiſtimo tamen cum Llamas in methodo curatio. in appendice §. 10. & Ferdinand. à Caſtro tract. 16. diſput. 4. punct. 9. num. 21. has Moniales reuera excommunicari: quia Pius punit eas, quæ aliter quàm ipſe diſpoſuit, egrediuntur, diſpoſuit autem, vt non extra monaſteria, niſi neceſſario tempore manerent. Et non eſt ſpectandus duntaxat primus phyſicus egreſſus, ſed moralis & continuatus. Et denique punit eos, qui egreſſas comitantur, & recipiunt. Igitur egreſſas & egredientes eodem modo accipit Pius in ſua conſtitutione: quare vtraſque punit eadē pœna. 4.

Secundò eadem excommunicatione ferit Pius V. *Licentiam exeundi quomodocumque concedentes, necnon comitantes ac illarum* (Monialium ſcilicet egreſſarum) *receptatrices perſonas, ſiue laicas, aut ſaculares, vel eccleſiaſticas, conſanguineas, vel non.* Hæ verò omnes perſonæ debent ſuo comitatu, aut receptione iniuſtè cooperari egreſſui iniuſto Monialium, aut continuationi egreſſus iniuſti & illiciti. Nam ſi aut vrbanitatis, vel amicitiæ cauſa, vel conſanguinitatis, aut vt earum honori, vel pudicitiæ conſulant, illas aut recipiant, aut comitentur, reuera non incurrunt hanc pœnam: quia in ea re non peccant, ſed potiùs officium charitatis exhibent, & laudem, non pœnam merentur. Ita Sanch. lib. 6. cap. 15. num. 72. Bonac. quæſt. 1. de clauſura

clauſura punct.4. Ferdinand. punct.9. citat. Roderiq. tom. 1. qq. Regular. quæſt.49. artic. vlt. & alij apud ipſos. Qui verò quomodocumque aut comitabuntur, aut recipient Nouitias egreſſas, in hanc pœnam non incident: quia de ſolis profeſſis loquitur conſtitutio, & ſanè Nouitiæ non obligantur clauſuræ legibus ex c. 3. conſect. 8.

5. Tertiò cum Moniales egreſſas, tum Præſidentes & alios ſuperiores eis licentiam eiuſmodi concedentes priuat Pius omnibus dignitatibus, officiis, & adminiſtrationibus obtentis, & inhabiles, tum ad obtenta, tum ad obtinenda in poſteram facit.

Nomine verò dignitatum, officiorum & adminiſtrationum intelligit Pontifex hoc loco illa, quæ habent aliquam ſuperioritatem & iuriſdictionem adiunctam, vt Generalatus, Prouincialatus, & alia quælibet ſuperioritàs localis; non verò eſſe Doctorem Theologiæ, Definitorem, Secretarium. Sanch. cap. 15. num.66. Bonacin. diſput. de clauſura quæſt.1. punct.4. num. 6. qui Filliucium, alióſque Doctores allegat & Ferdinand. à Caſtro diſputat.4. citat. punct.8. num.10. & punct.9. num.20. Contra Lezanam tom.1. ſum. cap.10. n.32. quia hæ dotes ſic accipiuntur in iure: quod probatur ex Sixto V. qui cum in quadam conſtitutione Regulares illegitimos priuaſſet dignitatibus, gradibus & officiis; ita ſuam deinde mentem alia Extrauagante explicauit, vt de officiis & dignitatibus iuriſdictionem habentibus loquutum ſe fuiſſe dicat. Cum igitur iſta conſtitutio Pij V. ſit pœnalis & odioſa, atque ſtrictiùs interpretanda: priuatio & inhabilitas officiorum, quam imponit, de ſolis ſuperioritatibus explicanda erit: quandoquidem ea conformis eſt ſignificationi illarum vocum etiam in iure.

Grauior videtur dubitatio, an Epiſcopi & Religioſi, qui aut licentiam iniuſtam dant, aut comitantur, vel recipiunt egreſſas, incidant in has pœnas, tum priuationis & inhabilitatis officiorum, tum excommunicationis: quia Pius nominat ſolùm laicas, vel ſæculares, aut Eccleſiaſticas perſonas; quibus verbis neque Epiſcopi, neque Religioſi deſignantur. Non Epiſcopi, quia ne quidem Clerici in dignitaté conſtituti, vt Canonici Eccleſiæ Cathedralis nomine communi Clericorum, aut Eccleſiaſticorum deſignantur, vti docent Roſella ver. Clericus. Angelus, Sylueſt. Tabiena eodem verbo poſt Abbatem in Rubric. de vita & honeſtat. Cleric. maximè in odioſis, in quibus etiam Religioſi non comprehenduntur nomine Clerici, vt tradunt ſummiſtæ allegati: quia cum hi habeant qualitatem, quæ omnibus Clericis minimè communis eſt, nomine communi exprimi non debent, niſi aliquid aliud addatur, quo expreſſiùs ſignificentur, aut ex ipſo contextu id euidenter colligatur. 6.

Reſpondeo tamen cum Sanch. & Ferdinando omnes iſtos comprehendi: quia cum Pontifex dixerit ſolius Epiſcopi, aut Superioris eſſe hanc licentiam concedere: & deinde ipſos licentiam concedentes puniat; reuera tum Epiſcopos, tum Superiores Regulares, ſi licentiam iniuſtam fecerint, his pœnis multauit: Deinde in vniuerſum comitantes & recipientes excommunicat. Et ne quis aliquam perſonam excipiendam eſſe exiſtimaret, quod conſanguinea, aut laica, aut Eccleſiaſtica foret, variáſ-

que inde cauſas obtenderet, ſingillatim illas expreſſit, non vt reſtringeret quod indefinitè & generaliter dixerat, ſed potius vt ampliaret, oſtenderétque qui eiuſmodi verbis generalibus contineretur. Itaque ſatis perſpectam habemus Pontificis mentem ex ipſo diplomatis contextu. Neque præcipuum vllum ius Epiſcoporum obiici poteſt hoc loco: quia in ſententia excommunicationis generaliter lata & ipſi comprehenduntur, non in ſententia ſuſpenſionis, niſi ipſorum fiat expreſſa mentio. cap. quia periculoſo, de ſentent. excommun. in 6. igitur nihil impedit, quo minus pœnam excommunicationis latam incurrant hoc loco, etiamſi non fuerint nominatim expreſſi. Suſpenſio verò nulla eſt hic: nam priuatio Officiorum & inhabilitas ad illa ſuſpenſio non eſt.

Vnde etiam fit, vt hæc pœna non incurratur ante ſententiam declaratoriam criminis, vti tradit Sanchez num. 65. Ferdinand. & alij: quia licet ſit pœna priuatiua; illa tamen niſi ſit cenſura, non incurritur ante ſententiam, vt cum eodem Sanch. lib. 9. de matrim. diſput. 30. num. 1. fuſius oſtendimus in ſcientia noſtra canonica diſputantes de cenſuris.

§. II.

De pœnis violantium clauſuram per ingreſſum.

7. QVia frequentiores, faciliorésque ſolent eſſe iſti ingreſſus, idcirco Pontifices variis pœnis, quibus tum ingredientes, tum ingredi facientes, admittentes & permittentes caſtigarunt, illos impedire voluerunt.

Primò igitur ingredientes monaſteria Monialium ſine licentia Superioris in ſcriptis obtenta, incurrunt excommunicationem latam à Tridentino ſeſſ. 25. de Regular. cap. 5. Quod idem dicendum erit, ſi abſque iuſta cauſa facta eſt illis ea poteſtas, iique nouerint Superiorem ea in re ſua abuti poteſtate. Quia licet Concilium excommunicet diſertis verbis ingredientem ſine Epiſcopi, aut Superioris licentia, & non meminerit eo loco iuſtæ cauſæ, ſatis tamen ſignificauit eam cauſam exigi, & ſanè abſque illa, licentia nulla eſt. Ita Sanch. lib. 6. cap. 16. numer. 73. Hæc excommunicatio reſeruata non eſt. Si tamen ob malum finem quis ingrederetur in caſum Pontifici reſeruatum incideret, vti deciſum eſſe à ſacra Congregat. refert Bonacin. diſput. de clauſ. quæſt. 4. punct. 5. n. 2. ſunt & aliæ excommunicationes reſeruatæ, quibus Pontificees ingredientes certa quædam Cœnobia virginum perculerunt. Verum hæc priuata iura non moramur. Moneo duntaxat fœminas, quæ ſine licentia ſngrediuntur monaſteria animo inibi aſſumendi habitum Religioſum, vix vnquam incurrere hanc Tridentini excommunicationem, vti obſeruat Sanch. num. 74. Quia bona fide & zelo Religionis excuſantur, ac metu, ne à conſanguineis ipſarum ingreſſus impediatur. Debet porrò ingreſſus fuiſſe completus, vti dicebamus de egreſſu.

Secundò excommunicationem impoſuit Pontifici reſeruatam Gregor. XIII. cum motu proprio, *Vbi gratia* an. 1575. Idib. Iunij, præſumentibus ingredi monaſteria Monialium prætextu facultatum à Pontifice, Legato, Epiſcopo, aut aliis hactenus conceſſarum; quas omnes reuocauit, quæ pœna modo conſiderandа 8.

ſideranda non videtur, cum vix vllus ſit, qui licentiis ante Greg. XIII. conceſſis & ab illo reuocatis vtatur. Quia tamen etiam Paulus V. in conſtitutione *Monialium ſtatui*, eamdem excommunicationem tulit in fœminas prætextu facultatum Apoſtolicarum, quas etiam irritas eſſe voluit ingredientes; circa hanc pœnam aduertendum eſt eum, qui hæc monaſteria ingrederetur quidem ſine licentia, non tamen prætexando iſtas facultates iam conceſſas, & reuocatas non incurrere hanc excommunicationem Gregorij XIII. aut Pauli V. Quia lex pœnalis reſtringenda eſt: iſtæ verò agunt dũtaxat de iis, qui præſumunt ingredi facultatum iſtarum prætextu: atque ita docent Suar. tom. 5. in 3. part. diſp. 22. ſect. 6. num. 11. Sayr. lib. 3. theſauri cap. 31. num. 10. Rodriq. tom. 1. qq. Regular. quæſt. 47. art. 1. & quæſt. 48. art. 2. Miranda de ſacris Monialib. quæſt. 2. art. 10. concl. 1. Zerola in praxi ver. Moniales quæſt. 8. Sà de excomm. Papæ reſeruatis num. 15. Barboſa de poteſt. Epiſcop. allegat. 102. num. 37. Sanchez lib. 6. cap. 16. num. 79. Philiarch. de officio Sacerdot. 1. part. tom. 1. part. 1. lib. 3. cap. 30. Bonacin. quæſt. 4. punct. 1. num. 4. contra Nauar. in Manuali. cap. 27. num. 205. excommunicat. 61. Coriolan. de caſib. reſeruat. 2. part. caſu 3. Quarant. ver. Monialium monaſteria. Azor. 1. part. lib. 13. cap. 8. quæſt. vlt. & Filliuc. qui tract. 29. cap. 8. num. 170. dicit illam eſſe de ſtilo curiæ: ideóque Bonac. tutius eſſe exiſtimauit illam in praxi ſequi, quód ego non cenſerem, cùm vt latiùs diximus in noſtra ſcientia Canonica, nulla opinio tutior ſit alia comparatione culpæ, à qua vtraque ſententia probabilis, omnino eximit.

Non rectè verò obiiciunt aliqui grauiùs peccare ingredientem ſine licentia, quàm prætextu facultatum iam reuocatarum: nam quamuis id daremus; non tamen peccata æquè grauia eadem, aut ſimili pœna plectuntur. Neque in pœnalibus valet eiuſmodi argumentatio, cum plures aliquando rationes ſuadeant ſtatuere certas pœnas in quædam leuiora crimina, & non in grauiora.

Non vrget etiam quod dicitur excommunicationem latam à Pio V. in ſua conſtitutione *Regularium perſonarum*, contra fœminas ingredientes monaſteria virorum prætextu ſimilium facultatum, extendi ad eaſdem ingredientes abſque licentia ex communi ſententia. Nego enim eiuſmodi extenſionem haberi vi prioris illius conſtitutionis *Regularium perſonarum*, ſed alterius, qua priorem illam declarauit, & ad ingredientes quoque ſine licentia extendit, quæ incipit *Romanum Põtificem*, an. 1570. 16. Iulij. At verò Gregorius nullibi ſuam mentem aliter declarauit, quàm ferant verba conſtitutionis *vbi gratia*, quæ præſumentes ingredi, facultatum hactenus conceſſarum prætextu excommunicat: quare quoties illis facultatibus aliquis non vtetur neque illas prætexet, non incurret hanc pœnam à Gregorio inflictam, licet aliàs facultates prætexat, etiam inualidè obtentas: quia illas non reuocauit Gregorius, qui agit tantùm de prætextu licentiarum à ſe reuocatarum.

Deinde qui non præſumit ingredi, quæ præſumptio temeritatem quamdam importat, non incidet in excommunicationem Gregorij, & ab illa ignorantia ſupina ac craſſa excuſabitur, niſi illa ſit cum audacia & temeritate coniuncta.

9. Tertiò mulieres, quæ habent priuilegium à ſummo Pontifice ingrediendi monaſteria Monialium excommunicantur*, niſi habeant conſenſum Monialium capitulariter & per ſuffragia ſecreta præſtitum. Ex motu proprio Vrbani VIII. die 27. Octobr. 1624. *Sacroſanctum Apoſtolatus miniſterium.* Quæ conſtitutio nō videtur Galliæ noſtræ innotuiſſe.

10. Quartò, qui prætextu facultatis à ſuperiore obtentæ in caſibus neceſſariis præſumit extra caſum neceſſarium ingredi, incurrit excommunicationem, priuationem beneficiorum, & inhabilitatem ad illa ex motu proprio Gregor. XIII. *vbi gratiæ.* Quare ſi ceſſauerit cauſa propter quam iure data fuerat licentia, reuera incurritur excommunicatio. Quod etiam diximus cap. 4. ſi verò dum facta fuit licentia, nulla erat iuſta cauſa, quæ tamen talis eſt tempore ingreſſus: quia iam reuera eſt neceſſitas, quam vnam attendit hoc loco Gregorius; pœnis ab illo inflictis non tenebitur, ille tamen incurret excommunicationem Tridentini: quia reuera ingreditur ſine licentia, quæ initio defectu cauſæ fuit irrita & inualida, ac proinde nulla, neque cauſa ſuperueniens eam validam facit, cum ex ea data non fuerit; quare reuera ſine licentia ingreditur: illum autem ingreſſum punit excommunicatione Tridentinum.

11. Quintò Prælati ingredientes ſine neceſſitate monaſteria Monialium ſibi ſubditarum, ſi pontificalis dignitatis fuerint, prima vice Eccleſiæ ingreſſu interdicuntur; ſecunda autem, munere pontificali, & à diuinis ſuſpenduntur; ac deinceps ipſo facto excommunicantur; Regulares verò omni officio & miniſterio priuati, excommunicantur ſimiliter. Ita ſtatuit Gregor. XIII. in conſtitutione *dubijs, quæ emergunt* an. 1581. 23. Decembr. Hæ porrò omnes pœnæ incurruntur ipſo facto, & ante iudicis ſententiam etiam declaratoriam præter priuationem beneficiorum & inhabilitatem ad illa vti diximus §. ſuperiori.

Deinde ſoli Prælati ſæculares pontificali dignitate fulgentes, & omnes Prælati Regulares his pœnis afficiuntur: quare Epiſcoporum Vicarij, & Abbates ſæculares, aliíve eiuſmodi Prælati Epiſcopalem licet iuriſdictionem habentes, ſi abſque neceſſitate ſubdita ſibi monaſteria ingrediantur, peccabunt quidem; non incurrent tamen has pœnas: quia licet Gregor. omnibus etiam Cardinalibus hunc ingreſſum interdixerit; non tamen pœnas ſtatuit niſi Prælatis ſæcularibus pontificalis dignitatis & Prælatis regularibus. Inter Regulares verò Prælatos & Epiſcopos diſcrimen ponit Gregor. quòd illi prima vice priuantur omni ſuo officio & excommunicantur; iſti verò per gradus quodammodo plectuntur: nam primò prohibentur ingreſſu Eccleſiæ; ſecundò ſuſpenduntur ab officio & à diuinis; tertia vice & deinceps quoties idem peccabunt, excommunicantur: Ita enim verba ſonare videntur, docétque Sanchez cap. 16. num. 102. Quamuis Llamas in methodo curation. in appendice §. 7. Velit eos non incurrere has pœnas niſi pro tertio ingreſſu, & conſequentibus deinceps. Neque exiſtimat improbabile Bonac. punct. 5. cit. num. 11. eo quod in pœnis mitior pars ſemper accipienda ſit. Illud verò certum exiſtit has pœnas non eſſe reſeruatas Pontifici, cum nullum verbum reſeruationis in ea conſtitutione legatur: & non incurri, quamuis

uis hi Prælati in caſibus neceſſariis ingrediantur, aut ſoli, aut non cum comitatu inibi præſcripto: quia Pontifex non punit niſi ingreſſum extra caſus neceſſarios & vrgentes.

12. Sextò Abbatiſſæ, conuentus, & ſuperiores facientes aut permittentes aliquam perſonam ingredi in ſua monaſteria prætextu facultatum cōceſſarum ante Gregor. XIII. incurrunt excommunicationem, priuationem officiorum, & inhabilitatem ad illa ex eiuſdem Pontificis ſanctione *Vbi gratia*. Paulus verò V. in Bulla *Monialium ſtatui* Eaſdē pœnas ipſo facto incurrendas infligit Abbatiſſis ſeu Prioriſſis ac Superioribus ſi eiuſmodi perſonas introducere, ſeu admittere, vel admiſſas retinere audeant, ſeu præſumant. Gregorius verò non tantùm agit de ingreſſu in monaſteria Monialium; ſed etiam de ingreſſu fœminarum in monaſteria virorum: ſed de his diſquiſitione ſequenti dicemus.

Obſeruo duntaxat illum facere ingredi, ex communi loquendi modo, qui actione aliqua poſitiua, phyſica aut morali in illum ingreſſum influit: & reuera cauſa eſt, vt alter ingrediatur: quia aut ducit, aut ianuam aperit, aut iubet, aut conſulit. Permittit verò ingredi, qui cum poſſit & ex officio teneatur impedire, non impedit. Ita Rodriq. tom. 1. qq. Regular. quæſt. 47. art. 3. Miranda quæſt. 2. de ſacris Monialib. artic. 12. concluſ. 3. quia tunc ſolum eſt cauſa ſaltem indirecta illius ingreſſus. Soli verò ſuperiores, aut Superioriſſæ & conuentus; non autem priuatæ Moniales afficiuntur his pœnis, quia Moniales non expreſſit Gregorius, vti tamen fieri ſolet, ipſéque Gregorius in eadem conſtitutione fecit, dum Moniales ipſas voluit comprehendere: nomine verò conuentus intelligendæ ſunt Moniales in vnum capitulariter coactæ, non tantùm Prælata cum ſuo conſilio, vti voluit Rodriq. loco citato: quamquam ſi eiuſmodi permiſſionem faciat Prælata cum ſuo conſilio, cum Prælata conſulentes incurrant hanc pœnam: quia cum impedire potuerint illum ingreſſum, ipſum permiſerunt. Debet autem ille ingreſſus fieri virtute prædictarum licentiarum, & non alio titulo: tunc enim non incurrentur iſtæ pœnæ, vti iam diximus. Non requiritur autem præſumptio ex motu proprio Gregorij XIII. ait enim ingredi faciunt, vel permittunt. Quare ſupina aut craſſa ignorantia non excuſaret. At verò Paulus V. ait *audeant aut præſumant*: quare niſi audacia & temeritas cum ignorantia aut ſcientia coniuncta ſit, non incurretur eiuſmodi pœna, vti iam monuimus. Excommunicatio autem à Gregorio lata reſeruata eſt, vt obſeruauit Suarez. diſput. 22. de cenſu. & ſect. 6. numer. 14. & alij paſſim.

Septimò Gregorius XIII. in eodem motu proprio Moniales quæ aliter quàm neceſſitatibus vrgentibus ingredientes admittere præſument, iiſdem pœnis afficit. Quare ſi neceſſitate vrgente admittant, non puniuntur hac pœna: Deinde niſi ex officio teneantur impedire ingredientem illum admittere, vt iam monuimus, non cenſentur, niſi aliunde actionem aliquām poſitiuam præſtent; qua faciant ingredi, vt ſi conſulant, aut inuitent ad ingreſſum. Nam quæ conſulit alteri, vt ingredi permittat v.g. Ianitrici, tantum remotè cooperatur, neque dicitur admittere niſi ipſa, aut Prælata ſit, aut aliunde ingreſſum illum impedire

obligetur : neque etiam ſi iam ingreſſum alloquatur, comitetur, aut detineat : quia reuera illum non admittit. Ita Sanch. num.95. Denique requiritur præſumptio : quare bona fides & ignorantia excuſabunt.

CAPVT IX.

De acceſſu ad monaſteria Monialium.

PLVVIA, inquiebat Iordannez Magiſter generalis Ordinis Prædicatorum bona eſt : terra item bona eſt : ex vtriuſque tamen commixtione fit lutum, ex conſortio quoque fœminarum etiam Religioſarum plurima pericula ſuboriuntur. Sicut enim ſal in aquam, ex qua concretum fuit, ſoluitur, vbi illi immerſum fuerit: ita Monachus ex muliere factus, vbi mulieri appropinquarit, ſoluitur, & deſinit eſſe Monachus, aiebat ſenior apud Moſch.cap.217. Carni, inquit, Balſam.in cap.47. Synod. Trullenſ. iunctus eſt perturbationum ignis, quem ſi materia non accendat, lentior redditur; ſi verò illi fomitem addideris, profectò vehementiùs exardeſcet, & te vti fœnum depaſcetur. Non poteſt autem viris eſſe maius fomentum ad cupiditatem muliere; & ad mulieris flammam excitandam nihil vehementius viro reperietur. Idcirco tum Clericis & Monachis conſortia fœminarum : tum Sanctimonialibus virorum neceſſitudines & colloquia prohibuerunt Patres. Et ne viris ad ſacra gynecæa liber eſſet acceſſus; aut fœminis ad virorum Cœnobia, atque Clericorum domos, ſæpiùs edixerunt. Nos hoc loco de priori prohibitione quædam annotabimus, de poſteriori ſequenti diſquiſitione dicturi.

§. I.

Antiqui mores circa acceſſum ad monaſteria Sanctimonialium.

SEuerior fuit hac in parte priſca diſciplina, neque ſine cauſa : vti enim dixit Author ſermon. de ſingularit. Clericor.apud Auguſtin.non eo minùs fœminæ fugiendæ ſunt; quia Religioſæ videntur : quia quantò religioſiores, tantò citiùs alliciunt : & ſub prætextu religionis latet viſcus libidinis. Idcirco Concil. Matiſcon.1.Can.2. ſub annum Chriſti 581. Non laicis modò, ſed etiam Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis & Clericis *præter vtilitatem, aut quamcumque reparationem monaſterij ad quaſcumque earum neceſſitates habitare, aut ſecretas collocutiones habere prohibuit & extra ſalutatorium, aut Oratorium vlterius ingredi.* Vbi notare oportet non modò habitationem in monaſterio, ſed etiam ſecreta colloquia, licet in ſalutatorio, aut Oratorio haberentur, nam vlteriùs ingredi non licebat, vetita fuiſſe. Concil. Turonenſ. 3. cap.29. ibi habitationem Clericorum intra monaſteria puellarum prohibuit, & ſolum ingreſſum ad Miſſarum ſolemnia permiſit : ſic edixit. *Similiter & aliis hominibus eadem monaſteria importunè frequentare cupientibus omnis aditus præcludatur.* Sed maximè Clericis ac Monachis, qui, vt loquitur Concil. Pariſienſ. 6. cap. 29. ſub annum Chriſti 829. *Obtendere ſolebant ſe non ob aliud illuc accedere, niſi* 1.

aut

aut propinquitatis, aut familiaritatis, aut certè neſcio cuius collocutionis gratia, *eiuſmodi acceſſum*, interdixerunt & eos omnes prætextus abſciderunt.

2. Atque imprimis ne cœnobiorum communio aliquam conſuetudinis nimiæ occaſionem daret, Nicen. 2. cap. 20. prohibuit deinceps monaſteria duplicia virorum, & mulierum fieri, quæ ſcandalum & irriſionem multis præbebant: facta verò hactenus ita retineri voluit, vt Baſilij Canones & inſtituta in illis ſeruarentur: neque ſimul degerent Monachi & Monachæ in vno monaſterio διαιτᾶσθωσαν. δίαιτα autem non pro conuiuio, vt apud Grammaticos; ſed pro habitaculo, vti apud Iuriſconſultos accipitur: quod obſeruat Balſam. in ſcholiis; neque dormiret Monachus in monaſterio mulierum: neque cum Monacha ſingulariter conuiuaretur; & ne prætexeretur conſanguinitas, quæ ſuſpicionem omnem tollere videretur, præcipit; vt cum quis cum ſuis cognatis ſæculo abrenunciare ἀποτάξασθαι voluerit: viri virorum, fœminæ fœminarum monaſteria ſubeant. Ex quibus ſapienter aduertit Balſam. duplicia ſiue dupla monaſteria olim fuiſſe, in quibus ſimul habitarent viri & mulieres, quamuis cubiculis & domibus ſeiuncti: & non tantum quæ propter vicinitatem, ita coniuncta erant, vt vnum exiſtimarentur, maximè cum mulierum monaſteria à virorum monaſterio regerentur: alioqui non dixiſſet Concil. vt cum aliqui cognati monachiſmum ambiunt, viri virorum, & mulieres mulierum monaſteria adirent: id enim ſanè fuiſſet ſeruatum, etiamſi hæc monaſteria forent duplicia, id eſt vicina, & quæ ibi prohibentur, oſtendunt fuiſſe idem monaſterium, cuius partem occuparent viri, partem fœminæ. Ratio etiam, quam reddunt Patres, idem ſupponit μοιχεία γὰρ μεσολαβεῖ τὴν συνδιαίτησιν, adulterium intercipit cohabitationem. Idipſum confirmatur ex nouell. 123. cap. 54. apud Iulianum anteceſſorem. Nam Iuſtinianus prohibet Monachos & Monachas vnum habitare monaſterium, & monaſteria duplicia tolli imperat; ita vt Monachas in ſuo monaſterio manere permittat Epiſcopus; & Monachos aliud ſibi ædificare cogat. Quòd ſi fuerint plurima eiuſmodi monaſteria duplicia, difficiléque ſit tot monaſteria à viris ædificari: In quibuſdam monaſteriis Monachæ; in aliis Monachi ſeparentur: & res, quas habebant communes ſecundum iura eis competentia diſtribuantur. Quæ verba falsò ex Regeſto Gregorij, apud quem non reperiuntur, adducit Gratian. 18. quæſt. 2. c. In nullo Cuiacius in hanc nouellam obſeruat ea duplicia monaſteria tolli quoque conſtitutione Græca Iuſtiniani, quæ non habetur in Codice, & Epiſtola quadam Cypriani. Sapienter omnino cum ne quidem Clerici cum fœminis vllis habitare permitterentur, vt ſæpiùs monuimus, & iterum diſquiſitione proxima indicabimus.

Secundò non modò monaſterij communionem, ſed etiam ipſorum vicinitatem prohibuerũt Patres. Nam iuſſit Agathenſis Synodus cap. 28. vt monaſteria puellarum longiùs à monaſteriis Monachorum, aut propter inſidias Diaboli, aut propter oblocutiones hominum collocarentur. Et Ammonius, quando ſibi in Eremo, ſuiſque fratribus monaſterium ædificauit, ſororibus ſuis aliud longo interuallo diſſitum extruxit ea lege, 3.

vt neque fratres alias mulieres ad ſalutandum: neque illæ alios viros ſuſciperent: quod teſtatur Pallad. in Lauſiaca cap. 4. Pachomius idem obſeruauit, & ſorori ſuæ procul à ſe monaſterium conſtrui iuſſit, vti dicitur cap. 28. eius vitæ. Gregorius lib. 9. Epiſt. 20. gratulatur Ianuario Epiſcopo Caralitano, quòd monaſterium conſtrui vetuerit in domo Epiphanij quondam Lectoris, quòd illa cohæreret monaſterio ancillarum Dei.

4. Tertiò, quia parum omnino fuiſſet ſeiuncta eſſe iſta monaſteria, ſi liber acceſſus viris ad fœminas Deo dicatas, ſiue illæ in monaſteriis, ſiue in propriis domibus habitarent, fuiſſet. Ideóque prohibuit Nicæn. 2. c. 20. cit. ne liceret Monacho ſeorſim cum Monacha verſari. Et ne obtenderetur, vti ſæpe fiebat, conſanguinitas, quæ aliquando officioſas ſalutationes poſtulare videretur, præſcripſit modum, quo ſine periculo eiuſmodi ſalutandi officium permitteretur: quod & præſtitit Pachomius, vti ſtatim referam. Concilium verò Tarraconenſe primum cap. 1. Monachum, qui familiariùs cum propinqua ſuæ curæ commiſſa conuerſaretur, iuſſit includi in cella monaſterij, pœnitentiæ lamentis incumbere, & pane & aqua vitam ex Abbatis imperio ſuſtentare; clericum verò deponi, & quamuis ea pœna videatur, arguere aliquid turpitudinis in ea familiari conuerſatione fuiſſe; non tamen quantum ex eo capite licet colligere, fuit niſi eius periculum, vel offenſio cæterorum, ad quam amoliendam eiuſmodi omnis familiaritas iure meritò fuit prohibita.

5. Quartò huic propinquitati accedebat aliquando pietatis prætextus, ſepulturæ nimirum & monumenti alicuius cognati intra monaſterium viſendi; ſed vtrumque illum prætextum reiicit, vti refert fusè Balſamon in cap. 48. Synod. Trullanæ, Imperator Nouellar. 133. aut cap. 15. lib. 4. Baſil. Titul. 1. *Quia non eſt cognatio Monachis qui eam, quæ eſt in cœlo vitam æmulati ſunt.* Quare nequidem ad inuiſendum aut monumentum, aut ſepulchrum cognatorum permittit mulieres adire monaſteria virorum, aut viros mulierum. Ideóque vt præſcindatur omnis eiuſmodi occaſio, quam ex conſanguinitate & pietate aduerſus mortuos aliqui captabant, prohibet virorum cadauera inferri in monaſteria mulierum, ibique mandari ſepulturæ, & cadauera fœminarum inhumari in monaſteriis Monachorum. Rationem reddit Imperator, ne pietatis & ſanctitatis prætextu fiant indecoræ, & inhoneſtæ congreſſiones cum iis, qui propter defunctos accedunt. Quia verò dum corpus in monaſterio ſepelitur, neceſſe eſt, qui lectum ferunt, & terram effodiunt, ad monaſterium accedere: idcirco præſcribit modum Imperator, quo iſta cum decoro fiant, *vt religioſiſſimæ quidẽ mulieres in ſuo monaſterio maneant; ſola autem oſtiaria, vel oſtiaria, vel ipſa fortè lectrix;* adſint iis quæ fiunt, & illi veſpillones nimirum & alij ad funus neceſſarij, cùm primum iuſta & exequias, quàm celerrimè fecerint, & ſepulchrum foderint, corpúſque contexerint humo, ſtatim recedant, nec vllis à ſe viſis religioſiſſimis fœminis, nec eis viciſſim ab vllis earum conſpectis. Denique prohibet, ne obtentu eorum, quæ in iuſtis & exequiis pro mortuo fiunt, tertio, nono, aut quadrageſimo die aut anno elapſo accedant viri ad monaſteria mulierum: &

& viciſſim mulieres ad virorum Cœnobia, cum liceat mulieribus & viris hæc omnia ſeorſim exequi: neque talium obſeruationum prætextu ſanctis monaſteriis aliquam infamiæ notam inuri vult ſapientiſſimus Imperator.

6. Quintò communis quoque pietatis prætextus huius familiaritatis petebatur ex diſcendi, aut recitandi officij diuini neceſſitate, quam obiiciebāt maximè ſanctimoniales, quæ in propriis domibus degebant: idcirco Toletanum primum ſic ſtatuit c.9. *Nulla profeſſa, vel vidua abſente Epiſcopo, vel Presbytero in domo ſua antiphonas cum Confeſſore, vel ſeruo ſuo faciat. Lucernarium verò niſi in Eccleſia non legatur, aut ſi legatur in villa præſente Epiſcopo, vel Preſbytero, vel Diacono, legatur.* Vbi Confeſſor non accipitur pro illo, qui exciperet confeſſionem ſacramentalem huius Sanctimonialis, cum hic diſtinguatur à Presbytero & Sacerdote, qualem tamen fuiſſe neceſſe erat ad confeſſionem ſacramētalem. Quare ad illuſtrandum hunc canonem, videndum eſt quid nomine Confeſſoris deſignet. Nam Confeſſoris vox varia ſignificauit apud veteres. Et primò quidem quod obſeruauit Baronius in notis ad Martyrologium 2. Ianuar. Confeſſores dicebantur, qui interpellati de fide coram Iudice Chriſti nomen confeſſi eſſent: ſic Euſeb.lib.8. hiſtor.cap.17. ὁμολογητὰς, ad metalla damnatos, aut carcere concluſos, ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ, vocat. Qui vero non interpellatus Martyrio ſe ingerebat, profeſſor dicebatur, cuiuſmodi fuit Heſichius, de quo 15. Iunij in Martyrolog. & Beſas miles, qui apud Euſebium lib.6.hiſt. Eumo & Iuliano, dum ad ſupplicium ducerentur, opem ferre contendit, ideóque pro pietate illa ſecuri percutitur. Deniquè qui timore correptus, ne tormentis victus fidem deſereret, ſpontaneum exilium eligebat, extorris dicebatur. De his extorribus Cyprian. Epiſt.19. ſi autem fidei cauſa in exilium deportarentur, relegati dicebantur. Atque hæc quidem vulgaris & trita eſt Confeſſoris ſignificatio; ſed quæ ad canonem, de quo diſputamus, non pertinet, vt vides: quid enim eiuſmodi Confeſſori cum recitatione Antiphonarum, & Lucernario, vt illi ſingulariter ſint interdicendæ; ne iſta cum Sanctimonialibus celebret.

Secundò dicebantur Confeſſores Iudices, quos rei Clerici eligebant, apud quos ſua crimina fatebantur; vt ipſorum verecundiæ, Eccleſiæ opprobrio, ac inſolenti inſultationi ſæcularium parceretur: & ne dignitas ſacerdotalis pollueretur, ſi publicè de his, de quibus impetiti & adhuc impetendi erant confeſſi, aut conuicti forent. Ita loquitur Floდoard. lib.2. Hiſtor.Rem.cap.20. Ex quo & Hincmar.lib.contra Gothelc. cap.36. hanc Confeſſorum & Iudicum rationem colligimus: agunt enim illi de Ebonis Remenſis depoſitione. Hic igitur qui caput rebellionis in Ludouicum Pium fuerat, quique deinde in Concilio Metenſi, vbi Ludouicus ſolio reſtitutus fuit, præſentibus omnibus Epiſcopis, Imperatore, ipſo Clero, ac populo in Eccleſia S. Stephani ambonem aſcendit faſſuſque eſt ſe, *Eumdem Imperatorem falſo criminatum & iniuſtè ab imperiali ſede depoſitum publica pœnitentia ſubdidiſſe.* Deinde in Synodo in Palatio Theodonis villa habita ab ipſomet Auguſto accuſatus vti ſcribit Hincmar. inducias petiit, & ſecundum canonicam in- 7.

ſtitutionem elegit ſibi per conſenſum Synodi Epiſcopos, Iudices peccatorum ſuorum: quos canones electos appellant, de quibus ſcriptum eſt in Concilio Africano cap.63. vt ab electis Iudicibus prouocare non liceat. Et dedit libellum Synodo ſua manu firmatum hæc eadem continentem. *Ego Ebo indignus Epiſcopus recognoſcens fragilitatem meam, & pondera peccatorum meorum teſtes Confeſſores meos Aiulſum videlicet Archiepiſcopum, & Badaradum Epiſcopum, necnon & Modoinum Epiſcopum, conſtitui mihi Iudices delictorum meorum, & puram eis confeſſionem dedi, vt recederem ab officio & miniſterio pontificali, quo me recognoſco eſſe indignum, & alienum me reddens pro peccatis meis, in quibus peccaſſe ipſis certò confeſſus ſum, eo ſcilicet modo vt ipſi ſint teſtes alio ſuccedendi.* Et manu deinde propria ſubſcribens firmauit. Hac ſcriptura coram Synodo prolata atque confirmata confeſſus eſt ipſe viua voce, & dedit teſtes alios, exceptis Iudicibus, vnum videlicet Archiepiſcopum & duos Epiſcopos & ab omnibus præſentibus Concilio Epiſcopis accepit ſententiam dicentibus per ordinem omnibus: *Secundum tuam confeſſionem ceſſa à miniſterio.* Demum coram ipſo iubente, ac audiente Synodo dictatum eſt à Iona Aurelianenſe Epiſcopo, Heliæ Presbytero, poſtea Carnotenſi Epiſcopo, & præſcripta pagina confeſſionis eiuſdem in ipſa Synodo *ſubſcriptum atque ſubiunctum*, annotato ſcilicet die & anno, tum Chriſti, tum Imperatoris, loco ac Synodo, quæ eadem refert Flodoard. loco citato. Ex quibus habes imprimis hæc omnia & legibus Canonum Africanorum facta eſſe, & præterea quòd, vt oſtendit Hincmar. Epiſcopus, qui libellari confeſſione propria manu ſubſcripta propter corporis, aut animæ infirmitatem, non poteſt ad miniſterium conſurgere, à Sede Epiſcopali, & ſacerdotio debeat remoueri, & ſucceſſorem accipere. Itáque iubent Pontificum decreta, quæ ibidem adducit. Secundò debebat reus, nullo cogente, ſed propria ſponte Iudices iſtos & Confeſſores eligere. Tertiò illis ſua crimina fateri, ac libellum, quo & ſe ſua crimina confeſſum, & iſtos teſtes, ac Iudices & Confeſſores elegiſſe, atque ſe depoſitione dignum diceret, dictare, & *ſcribi coram ſe facere*, & manu ſua ſubſcribere. Quartò eundem libellum propriæ, ac viuæ vocis confeſſione atteſtatum in abdicationem ſui, nullo ab eo quærente, vel exigente Synodo, aut Iudicibus vltrò porrigere. Quintò alios tres in teſtimonium ſuæ profeſſionis aſciſcere. Sextò iudicabatur ab omnibus hac formula: *Secundum tuam profeſſionem, ac ſubſcriptionem ceſſa à miniſterio, aut fac illud*, quod nimirum ſibiipſe expetebat in ſua confeſſione. Septimò, Notario, qui libellum confeſſionis ſcripſerat, notitia illius dabatur & aſſeruanda & ſubſcribenda.

Confeſſores igitur erant electi Iudices à Reo Clerico, qui vt ſuæ verecundiæ parceret; apud illos crimen fatebatur, totuſque proceſſus ſic ſecretò fiebat. Sed neque de his Iudicibus agit Canon Toletanus, cùm familiaritatem Sanctimonialis prohibet cum Confeſſore ſuo.

Tertiò confeſſores erant, Cantores ſiue Pſalmiſtæ, qui in Eccleſia conſtituebant diſtinctum officium, aut etiam fortaſſis gradum & ordinem à cæteris: quandoquidem à veteribus numerantur tanquam diſtin- 8.

ctis ab Acolythis, Oſtiariis, Exorciſtis & Lectoribus, vti videbis in Ignatio Epiſt. ad Antiochen. & in lib. 8. conſtitut. Apoſtolic. cap. 10. Concilio 4. Carthagin. cap. 10. Iſidor. lib. 2. de offic. eccleſ. cap. 12. & Epiſt. 1. ad Ludefredum. Hieron. Epiſt. 2. ad Nepotian. *Si Lector, ſi Acolythus, ſi Pſaltes te ſequitur, non ornentur veſte, ſed moribus, nec calamiſtro criſpent comas, ſed pudicitiam habitu polliceantur.* Vnde reiicias Gloſſam, quæ in cap. cum contingat; de ætate & qualit. ordinand. Pſalmiſtatum, cum prima Tonſura confundit; ita vt Pſalmiſta ſit idem quod Clericus. Cur enim illum tanquam diſtinctum à cæteris perpetuò numerant veteres. Qua eadem ratione reiiciuntur, qui exiſtimarunt Cantores, ſiue Pſalmiſtas eſſe lectores, non quidem omnes, ſed qui ex illo ordine ad hoc munus deligebantur. Nam in veteri illa Eccleſia nullum veſtigium habemus confundendi lectores cum Pſalmiſtis, maximè cum perpetuò tanquam diſtincti nominentur: & quædam tum lectoribus, tum Cantoribus ſeorſim permittantur, aut prohibeantur, quod ſuperfluum foret. Si enim omnes Cantores ex Lectoribus ſumebantur, quæ Lectoribus permiſſa aut prohibita erant: Cantoribus quoque permittebantur, aut prohibebantur, neque attinebat eos diſtinctiùs appellare. Can. 26. Apoſtolorum ſolis Lectoribus & Cantoribus vxorem ducere permittitur γαμεῖν ἀναγνώστας καὶ ψαλτὰς μόνον, aut vt alij legunt μόνους. Can. 43. Hypodiaconus, vel lector, vel cantor ebrietati & aleis deditus ſegregari, id eſt, excommunicari debent cap. 69. Epiſcopus, Presbyter, Diaconus, Lector & Cantor, qui ſanctam Paſchæ Quadrageſimam non ieiunant, aut quartam Feriam, aut Paraſceuem, deponuntur. Laodic. cap. 23. prohibet Lectoribus & Cantoribus orariis vti. Denique Cantores officium ab aliis Clericis diſtinctum habuiſſe certum eſt, ex Can. 15. Conc. Laodicen. Solos Canonicos, qui ambonem & ſuggeſtum aſcendunt, & ex membrana legunt ἀπὸ τ͂ διφθέρων, eo quod libri eccleſiaſtici ex pellibus compoſiti ſunt, cantare in Eccleſia iubet: quod Balſamon interpretatur de incipiendis canticis, quæ deinde non modò cæteri Clerici; ſed populus ipſe proſequeretur. Hi verò Canonici Cantores alij non erant, quàm qui ad hoc munus erant canonicè & legitimè deſtinati. An verò tunc conſtituerent gradum aliquem & ordinem à cæteris inferioribus diſtinctum, mihi incertum videtur. Vaſq. in 3. part. diſp. 236. num. 13. negat ſicut & Baronius ann. Chriſti 44. & miniſterium potiùs fuiſſe quàm gradum, ſicut & Laborantium, quos cum Cantoribus numerat Ignatius Epiſt. ad Antioch. & Foſſarios dixit Author Epiſt. ad Ruſticum Narbon. apud Hieron. tom. 9. Quorum erat officium cadauera fidelium obuoluere teſte Epiphan. probat Vaſq. quia in Conc. 4. Carthagin. cap. 10. Cantor officium illud ſumere poteſt abſque ſcientia Epiſcopi, ſola Presbyteri benedictione, quod non contingit in aliis ordinibus; & non vocat ordinationem, ſed officij ſuſceptionem. Vnde etiam exiſtimat Vaſquez hoc officium minus eſſe quàm primæ tonſuræ, aut Clerici: cum nullus fieri Clericus poſſit ſine iuſſu Epiſcopi; & ad pſallendi officium poſſit aſciſci à ſolo Sacerdote abſque Epiſcopi licentia, vt dicitur in illo Canone: quare ex Vaſq. eſſe poterant laici, & non Clerici neceſſariò,

quaſi attenderetur duntaxat ars pſallendi, & vocis modulatio, quod monet Iſidor. lib. 2. de offic. cap. 12. vbi vocis dulcedinem, vt loquitur exigit, & Chriſtianam ſimplicitatem, non theatralem artem in modulatione, monétque pſallentes legumine cauſa vocis aſſiduè vſos fuiſſe: & Cantores ideò apud Gentiles fabarios dictos fuiſſe, atque lamina pectori impoſita ſub ea cantica exclamantes alendis vocibus rationem demonſtraſſe: ſanè id à Nerone factitatum prodidit Plin. lib. 34. c. 18. Verùm non laicos, ſed Clericos fuiſſe Pſalmiſtas & Pſalmiſtatum non fuiſſe tūc aliquid minus prima Tonſura demonſtrant contra Vaſq. omnes veteres Canones ſuperiùs adducti, in quibus perpetuò cantores cum aliis ſeptem gradibus, aut ordinibus diſtinctè numerantur: neque aut nomine laicorum, aut Clericorum in vniuerſum tantum deſignātur. Deinde in Conc. Laodicen. dicuntur Canonici Cantores, qui in ambone ex membrana pſallant. Et præter eos negat Synodus aliquos alios canere in Eccleſia debere. Quibus verbis tam peculiare munus Cantorum eſſe, quàm Lectorum, aut oſtiariorum ſignificat. Cur Apoſtoli Can. 26. ſolis Lectoribus & Cantoribus permittunt vxores ducere. Si enim minus erant quàm Clerici, vndenam coniugium illis prohibebatur? Aut cur æquè dubitabatur, an hoc liceret Cantoribus & Lectoribus, niſi quia vtrique erant Clero mancipati, atque etiam in certo gradu licet inferiori? Conc. Carthagin. 3. cap. 2. *Clericorum autem nomen etiam Lectores & Pſalmiſtæ & Oſtiarij retinent.* Quid clariùs? Can. 43. Apoſtolorum Hyppodiaconum, Lectorem, & Cantorem aleis, & ebrietati deditos ſegregari, id eſt, excommunicari iubet, ſicut & laicum. At verò Canon. 42. Epiſcopus, Sacerdos & Diaconus, qui idem crimen admiſerint, deponuntur. Vides itaque Cantores non modò Lectoribus, ſed etiam Hyppodiaconis coniungi, & cum illis eadem pœna puniri: quæ licet laicorum quoque eſſet: illis tamen idcirco non poteſt accenſere Cantores, niſi idem de Subdiaconis, & Lectoribus dicas: Et ex ea pœna laicis communi eos minus eſſe quàm Clericos colligas; quin potiùs ex pœna ſolis Clericis propria, quæ infligitur Cantoribus, eos & Clericos eſſe, & in aliquo gradu conſtitutos certò colligimus. Canon. autem 69. Apoſtol. Epiſcopus, Presbyter, Diaconus, Lector & Cantor ob non ſeruatum ieiunium quadrageſimæ deponuntur: laici verò ſegregantur. Depoſitio autem καθαίρεσις propria Clericorum erat, vti in omnibus veteribus Canonibus aduertes. Erat verò καθαίρεσις gemina, totalis vna per quam Clericus omnino remouebatur à Clero, & inter laicos redigebatur, ad laicam communionem damnatus: quod fuſiùs oſtendimus in noſtra ſcientia Canonica diſputantes de cenſuris. Ideò καθαιρεῖσθαι explicat Baſil. Epiſt. ad Amphiloch. cap. 51. ἐκπίπτειν τῆς ὑπηρεσίας, à miniſterio excidere, iacturam Clericatus nominauit. Toletan. 4. cap. 18. quæ, aliáque quàm plura adduximus loco citato. Quædam verò partialis erat depoſitio, per quam quis à ſuperiori gradu ad inferiorem in perpetuum ablegabatur. Quod ex antiqua quoque diſciplina illuſtrauimus: nam Conc. Toletan. 1. cap. 4. Subdiaconum, qui defuncta vxore aliam duxerit à gradu deiicit, & ad Oſtiarios, vel Lectores amandat. & cap. 5. Clericum,

rioum, qui ad ſacrificium quotidianum non venerit, Clericum haberi non vult, niſi caſtigatus ab Epiſcopo veniam promereatur. Cum igitur Cantores depoſitione & καθαίρεσει, punirentur ſiue totali, ſiue partiali, reuera Clerici erant, atque vt videtur etiam in aliquo gradu, quo ſimplicioribus aliis Clericis eminerent ratione ſacri illius Officij, ad quod ſoli deſtinabātur, ſicut Oſtiarij & Lectores ratione ſibi peculiaris miniſterij in gradu & ordine eſſe dicuntur. Sic enim ordinem definiuit Vaſq. loco cit. Quod vero ait Pſalmiſtatū collatum fuiſſe ſola Sacerdotis benedictione, & ſine licentia Epiſcopi: inde non efficaciter colligitur non fuiſſe gradum in Eccleſia ſed tantum minoris momenti. Nam etiam alij gradus ab Abbatibus, non Epiſcopis, poſſunt conferri, ex cap. cum contingat de ætate & qualitat. ordinand. & in quibuſdam aliis requirebatur ſcientia; immò & benedictio Epiſcopi: Vnde non benè colligeretur ordinatio vt de cōſecratione virginum cōſtat ex eod. Conc. Carthag. 4. c. 11. & de ordinatione Diaconiſſæ habes apud Clem. lib. 8. conſtit. Apoſtolic. cap. 19. & 20. cap. verò 26. ait Exorciſtam non fieri ordinatione; vnde tamen non dicet Vaſq. Exorciſtam non eſſe in ordine & gradu peculiari. Denique Concil. Laodicen. Can. 24. *Presbyterum & Diaconum & deinceps quemlibet Eccleſiaſtici Ordinis vſque ad miniſtros, vel Lectores, vel Cantores, vel Exorciſtas, vel Oſtiarios, vel exercitatorum Ordinis cauponas ingredi non oportet.* Exercitatos vertit Dionyſ. Exig. continentes & Monachos. Verùm quidquid de hac controuerſia ſtatuatur, certum eſt ſubinde ex variis ordinibus Cantores aſſumptos fuiſſe, maximè ex Lectoriubs Conc. 1. Braccarenſ. c. 2. 9. prohibet ne Lectores habitu ſæcu lari pſallant in Eccleſia, id eſt, modo & ratione ſæculari, vti monebat quoque Iſidor. cap. 12. lib. 2. de offic. Synod. 2. Turonenſ. cap. 20. Presbyterum & Diaconum, qui cum ſuis vxoribus redierint per quartum annum excommunicat, & deponit omni clericali officio; hoc tamen excepto, vt inter Lectores in Pſallentium choro colligantur. Magnus Gregorius queritur in Synodo Romana à ſe habita exortam fuiſſe in ea Eccleſia valde reprehenſibilem conſuetudinem, vt ſacri altaris miniſtri, ſiue Diaconi, Cantores eſſent: vnde fieret, vt dum ad ſacrum miniſterium blanda vox quæreretur, quæri congrua vita negligeretur; & Cantor miniſter Deum moribus ſtimulet, cum populum vocibus delectat, prohibet itaque, ne ſacri altaris miniſtri deinceps cantare præſumant. Pſalmi verò & lectiones per Subdiaconos, aut ſi neceſſitas exigat per minores ordines exhiberi mandat. Refertur hæc Synodus lib. 4. Regeſti Epiſt. 44. Itaque iam exoleuerat in Eccleſia Romana Officium iſtud, aut gradus Clericorum Cantorum à cæteris diſtinctus, ſenſimque deinde electi ſunt ex omnibus gradibus Pſalmiſtæ, & facta eſt ſchola Cantorum, de qua diximus ſuperiùs cap. 2. qui etiam ritus erat in Eccleſia Conſtantinopolitana, vti ibidem obſeruauimus: & ſanè in libro Sacramentorum S. Gregorij fit mentio huius ſcholæ, vt feria 4. poſt Palmas. Poſtea verò hora octaua ingrediuntur ad Miſſam hoc ordine. *Dicit ſchola antiphonam ad introitum, qua finita dat orationem Pontifex.* Quæ ſchola alia non erat quàm Cantorum: in illam tamen Gregorius ad-

mitti prohibuit Diaconos. Huic ſcholæ & Cantoribus monita dedit Aquiſgran. Concil. Can. 136.

9. Porrò iſti Pſalmiſtæ & Cantores, qui gradum aliquem inferiorem licet, inter clericales tenebant, vti hactenus euicimus, Confeſſores nominabantur. Nam vbi lib. 8. conſtit. Apoſtolicarum c. 10. in orationibus, quæ fiunt pro fidelibus, dicitur: *Oremus quoque pro Lectoribus, Cantoribus, virginibus, viduis & orphanis.* In lib. ſacrament. Gregorij feria 4. poſt Palmas. Et pro omnibus Epiſcopis, *Presbyteris, Diaconibus, Acolythis, Exorciſtis, Lectoribus, Oſtiariis, Confeſſariis, Virginibus, Viduis & pro omni populo ſancto Dei.* In Miſſali verò Romano hæc eadem habentur in Paraſceue, præterquam quod ibi adduntur Subdiaconi, quos Gregorius omiſerat. Manifeſtum pòrrò eſt ibi Confeſſores accipi pro Cantoribus, quos nominarat Clemens: illis adduntur virgines & viduæ, quæ virginitatem, aut viduitatem profeſſæ erant, & Deo ſolemni ritu, de quo aliàs, dicauerant, éſtque trita ratio huius nominis, confiteri enim ex vſu ſacro ſignificat gratias agere, & laudare Deum Pſalm. 8. ver. 18. Confitebor Domino ſecundum iuſtitiam eius, & pſallam nomini Domini Altiſſimi. Vbi vides confeſſionem cum laude & Pſalmo coniungi: & ſanè ipſum verbum Hebræum Hadah ידה eundem vſum habet; vnde & Iehudah יהודה Iuda laudabunt te fratres tui. Geneſ. 49. ver. 8. inde Græcum ᾄδειν & ᾠδή, ſumptum videri poſſet: ἐξομολογεῖν, denique ſignificat aliquid ingenuè profiteri, vel prædicare, laudare, gratias agere: ideóque Suidas τὴν ἐξομολόγησιν, interpretatur non tantum ἀφήγησιν τῶν βεβιωμένων, expoſitionem eorum, quæ in vita facta ſunt, ſed etiam εὐχαριστίαν. Quare quod dicitur Pſalm. 29. ver. 10. nunquid confitebitur tibi puluis, reddidit Apollinaris μήτε κόνις μέλψειν. Nunquid puluis te canet. Ita vt ἐξομολογεῖσθαι ſit idē quod μέλπειν. Amalari lib. 3. de offic. Eccleſiaſt. cap. 3. de choro Cantorum agens. *Porrò Cantores*, inquit, *Laudatores Dei, & ad laudem cæteros excitantes* citat. Hieronym. in Iſaiam lib. 1. *Super choros Aſaph & Idithum & Eman filij Chore conſtituti ſunt, vt paulatim à ſacrificiis victimarum ad laudem Domini transiret Religio.* Probat Amalarius ex veteri teſtamento, in quo dicitur eorum opus eſſe confeſſionem Domini. Et hæc verba ſæpius Cantoribus imputantur: Confitemini Domino, quoniam bonus.

De his igitur Confeſſoribus, id eſt, Cantoribus loquitur Concil. Toletan. 1. nuper adductum, dum puellæ Dei, familiaritatem prohibet cum Confeſſore & Cap. 6. non vult conuiuium adire ſolam, *Niſi ea ſit honeſtorum, ſeniorum, aut viduarum frequentia, vbi honeſtè Confeſſor quilibet cum plurimorum teſtimonio teſtium conuiuio intereſſe poſſit: Cum Lectoribus autem in ipſorum domibus non admittendas, aut videndas.* Quis iſte amabo Confeſſor, qui cum Lectore etiam quoad iſtam familiaritatem coniungitur, aut quem dicimus vulgo Confeſſarium; ne huius quidem ſignificationis veſtigium apparet hoc loco: neque alius ille omninò eſt, quàm Cantor & Pſalmiſta: quod apertiùs oſtenditur ex cap. 9. quod prohibet profeſſæ, vel viduæ abſente Epiſcopo, au presbytero recitare antiphonas in domo ſua cum Confeſſore, iubétque lucernarium legi in Eccleſia, aut in villa præſente

te Epiſcopo, vel Presbytero, vel Diacono. Quid enim Sacerdoti Confeſſario ſiue excipiendis confeſſionibus deſtinato cum antiphonis, quis hic Confeſſor, cum quo nequeant dici antiphonæ, abſente Epiſcopo, aut Presbytero. Immò nequidem hic Confeſſor Diaconus eſt: quia alioquin ipſo præſente dici poſſet lucernarium in villa.

Confeſſor itaque hoc loco Cantor eſt, qui eiuſmodi profeſſas virgines, vel viduas inuiſebat prætextu docendi illas ordinem & modum diuini officij recitandi, & ipſos Pſalmos. Neque enim hoc ſtudium Pſalmorum & Orationum commendabatur duntaxat in monaſteriis, vti iubet Concil. Cabilon. 2. cap. 59. & Mogontinum ſub Rabano cap. 16. Et de virginum monaſteriis à Paula conſtructis teſtatur Hieron. Epiſt. 27. ad Euſtoch. ſed etiam iis, quæ extra monaſteria in propriis ædibus educabantur. Illæ enim eaſdem horas Pſalmis recitandis deſtinatas obſeruabant domi quidem: quod diſces ex Hieron. Epiſt. 8. ad Demetriadem. *Præter Pſalmorum & Orationis ordinem, quod tibi hora tertia, ſexta, nona, ad veſperum, media nocte, & mane ſemper eſt exercendum.* Et Epiſtol. 7. ad Lætam de educatione Paulæ virginis iam Deo dicatæ; *Præponatur ei probæ fidei, ac morum, & pudicitiæ virgo veterana, quæ illam doceat & aſſueſcat exemplo ad orationes, & Pſalmos nocte conſurgere, mane Hymnos canere, tertia, ſexta, nona hora ſtare in acie quaſi bellatricem Chriſtianam, accenſáque lucerna reddere ſacrificium veſpertinum.* Et Epiſt. 22. ad Euſtoch. *Poſt hæc quamquam Apoſtolus orare nos ſemper iubeat, & ſanctis etiam ipſa, ſit ſomnus, oratio: tamen diuiſas orandi horas debemus habere, vt ſi fortè aliquo fuerimus opere detenti, ipſum nos ad officium tempus admoneat. Horam tertiam, ſextam, nonam, diluculum quoque, & veſperam, nemo eſt, qui neſciat.* Ibidem eamdem Euſtochium hortatur, vt ſit Cicada noctium. Hinc impenſum fuit ſemper ſtudium tum Monachorum, tum Sanctimonialium diſcendi Pſalmos: & quidem Monachi deſtinabant huic diſciplinæ ſpatium, quod inter nocturnas vigilias intercedebat, vti conſtat ex Regula S. Benedicti, & qui Pſalterium memoria tenebant Pſalterati fratres dicebantur ex cap. 57. Regulæ Magiſtri, & antiquiores etiam Monachos huic opere vacaſſe diſces ex Caſſiano, & aliis. Moniales quoque huic ſtudio incumbebant, quod de monaſterio à S. Paula ædificato teſtatur Hieron. Epiſt. 27. ad Euſtoch. *Nec licebat cuiquam ſororum ignorare Pſalmos.* Ideóque idem ipſe Hieronymus ſæpiùs commendat eiuſmodi ſtudium virginibus viduiſque Deo ſacris. Epiſt. 22. ad Euſtoch. *Quid facit cum Pſalterio Horatius.* & Epiſt. 7. ad Lætam de inſtituenda filia Paula priùs Chriſto conſecrata, quàm genita. *Adhuc tenera lingua Pſalmis dulcibus imbuatur.* Epiſt. 12. ad Gaudentium de Pacatulæ educatione. *Pſalmos mercede decantet: amet, quod cogitur diſcere, vt non opus ſit, ſed delectatio, non neceſſitas, ſed voluntas.* Neque tantùm domi Pſalmos cantabant Virgines & Sanctimoniales; ſed etiam ad Eccleſias auditturæ, & cantaturæ procedebant. Quod ex eodem Hieronymo colliges: qui idcirco illas monet, ne ſolæ ad vigilias irent. Epiſt. 7. de Paula ad Lætam. *Baſilicas Martyrum & Eccleſias ſine matre non adeat: vigiliarum dies & ſolemnes*

perno-

pernoctationes ſic virguncula noſtra celebret, vt ne tranſuerſum quidem vnguem à matre diſcedat. Cum igitur Sanctimoniales domi horas canonicas recitarent, indigeréntque Magiſtro; illius pietatis, & officij prætextu Cantores & Pſalmiſtæ, qui Confeſſores dicebantur, eas adibant. Quare, vt infandum abuſum tolleret Concil. Toletanum, omnem cum eiuſmodi Confeſſore, ſiue Cantore familiaritatem damnat, & ſeuerè prohibet, ne antiphonas faciat eiuſmodi Sanctimonialis domi ſuæ, cum Confeſſore, aut cum ſeruo ſuo, niſi præſente Epiſcopo aut Presbytero. Antiphonas vocat eiuſmodi orationes: quia antiphonatim recitabantur, id eſt, alternantibus choris.

11. Sed imprimis vetat, ne lucernarium domi fiat; ſed in ſola Eccleſia, aut ſi in villa, non niſi præſente Epiſcopo, Presbytero, aut Diacono. Erat verò lucernarium officij veſpertini finis: tunc enim lucernæ accendebantur in Eccleſia. Dicitur & Caſſiano lib. 3. cap. 3. lucernalis hora. Græci etiam Gentiles, qui hunc ritum ſeruabant, vocabant λυχνιῶν, aut λυχνῶν ἁφὰς apud Suidam, & λυχναψίαν. Latini primam facem Macrob. lib. 1. ſat. cap. 3. Græci λυχνικὸν ſexta Synodo cap. 91. hinc εὐχαὶ τ λυχνικῆ Lucernarij preces in Liturgic. Apud Baſil. verò lib. de Spiritu ſancto cap. 29. & apud Nyſſen. in vita S. Macrinæ ἐπιλύχνιος εὐχαριστία; ab Epiphanio in Synopſi λυχνικοὶ ψαλμοὶ. Quomodo verò fieret hæc Synaxis, & qui ritus in Lucernario ſeruaretur, nihil attinet hoc loco recenſere: Diſces ex Baſilio loco citato de Spiritu ſancto cap. 29. Clem. lib. 8. conſtitut. Apoſtol. cap. 35. 36. & 37. Prudent. in Cathem. Hymno 5. qui falsò inſcribitur ad incenſum cerei Paſchalis, cum inſcribendum ſit ad incenſum Lucernæ, vti obſeruauit Sirmond. in lib. 1. carminum Ennodij, Hymno 1. Sed ob ſimilitudinem rituum, qui hodie ſeruantur in accenſione cerei Paſchalis ſciolus aliquis mutauit inſcriptionem. Paucis rem omnem complectitur Can. 2. Conc. 1. Ementenſis. *Sicut in fide ſancta noſtra eſt vnanimitas; ita pro ſancto Dei officio debet eſſe intentio ſumma. Oportet igitur, vt ſicut in alijs Eccleſiis veſpertino tempore poſt lumen oblatum prius dicitur veſpertinum, quàm ſonus in diebus feſtis: ita & à nobis cuſtodiatur in Eccleſiis noſtris*, &c. Vbi tria vides, lumen oblatum, veſpertinum, & ſonus. Lumen oblatum erat illius accenſio, & ex ſilice excuſſio cum Hymno: Deinde dicebantur Pſalmi veſpertini. In feſtis verò ſubiiciebatur Hymnus, ſiue ſonus: *Venite exultemus*, aut alius euchariſticus. Cum igitur lucernales preces, & Pſalmi non niſi poſt ſolis occaſum & prima iam face accenſa dicerentur, iure meritò prohibuit Concilium, ne à profeſſa, vel vidua domi ſuæ cum Confeſſore, aut etiam ſeruo dicerentur; ſed in Eccleſia, ad quam, ſi vellent, irent eiuſmodi Sanctimoniales, ſed non incomitatæ, vt omnis occaſio, atque offenſio, eiúſque prætextus ex diuino officio cum Pſalmiſta recitando ineptiſſimè ſumptus tolleretur, vt & omnis familiaritas cum Lectore, quam etiam idem Concil. Toletan. 1. cap. 6. prohibuerat, tegebatur autem illa prætextu diſcendi eloquia diuina.

Sextò ad prætextum pietatis pertinebat quoque communitas eiuſdem chori, quæ alicubi erat in vſu: ſic ſtatuit Innocent. II. in Concil. Romano. *Prohibemus ne Sanctimoniales*

niales ſimul cum Canonicis, ſiue Monachis in Eccleſia, in vno choro conueniant ad pſallendum.

12. Septimò, tum prædicationis ſermo, tum confeſſio ſacramentalis Monialium excipienda obiiciebatur: ideóque in loco publico, & in Eccleſia hæc omnia facienda eſſe decreuit Concil. Pariſienſe 6. cap.46. fuſiſſimè, vt etiam aliquoties retuliſſe me memini.

Octauò, quoad domi habitantes virgines obiiciebant neceſſitatem illas alendi, indéque inductæ Agapethæ & ſorores, de quibus iam alibi diximus; ſed & illæ omninò damnatæ ſunt, vt ibi retulimus pluribus: & denique Concil. 4. Carthagineuſ. cap. 102. edixit, ne Clericorum familiaritate adoleſcentiores Sanctimoniales vterentur. *Ad reatum Epiſcopi pertinet, vel Presbyteri, qui parrochiæ præeſt, ſi ſuſtentandæ vitæ præſentis cauſa adoleſcentiores viduæ, vel Sanctimoniales Clericorum familiaritatibus ſubyciantur.*

13. Nonò, denique obtendebatur gubernatio monaſteriorum ſiue quoad vitæ regularis inſtitutionem, ſiue quoad rerum temporalium adminiſtrationem, quæ liberum acceſſum ad iſta monaſteria poſtulare videbantur. Hiſpalenſis tamen Synodus cap. 11. anno Domini 619. ne huius neceſſitatis & pietatis cauſa familiaritas vlla cum Monialibus obreperet, ſapientiſſimè prohibuit. Reiecit quidem curam iſtam in Monachos: *Monaſteria*, inquit, *in prouincia Boëtica Monachorum adminiſtratione, ac præſidio gubernentur: tunc enim ſalubria Chriſto dicatis virginibus prouidemus, quando eis patres ſpirituales eligimus, quorum non ſolum gubernaculis tueri, ſed etiam doctrinis ædificari poſſunt.* Quæ pertinent ad inſtitutionem ſpiritualem, vt vides: ad curam verò bonorum temporalium hæc adiiciunt: *Conſtituentes, vt vnus Monachorum probatiſſimus eligatur, cuius cura ſit prædiis earum ruſticis, vel vrbanis intendere, fabricas extruere, & ſi quid aliud eſt ad neceſſitatem monaſterÿ, prouidere vt Chriſti famulæ pro animæ ſuæ vtilitate tantum ſolicitæ ſolis diuinis cultibus viuant, operibúſque ſuis inſeruiant.* Addunt veſtes ſuppeditandas eſſe à virginibus iis, à quibus tuitionem expectant. Vt verò occurrerent familiaritati, quæ ex eiuſmodi adminiſtratione naſci potuiſſet, cauent vt *Monachi ab earum familiaritate remoti, nec vſque ad veſtibulum habeant accedendi familiare permiſſum.*

Quia tamen fieri omninò non poterat, vt cauſæ illæ allatæ ſemper reiicerentur, erátque omninò permittendus aliquando iſte acceſſus ad monaſteria virginum, ne quid inde labis, vel virginibus, vel ad illas accedentibus oriretur, formam horum, & locum huius colloquij præſcripſerunt Clericis & Monachis ſæpius Patres.

Forma erat vt rariùs cum licentia Epiſcopi, atque comitati accederent: 14.
veniam quoque acciperent à Præpoſita monaſterij, & coram aliis alloquerentur paucis Monialem, quam inuiſebant. Iam olim Presbyteris & Diaconis libertas aliqua erat videre mulieres, atque virgines, ſiue viduas Deo ſacratas: qua licentia ſæpiùs abutebantur, quod queritur Hieronymus Epiſtol. 22. ad Euſtochium: *Sunt alÿ, de mei Ordinis hominibus loquor, qui ideò Presbyterium & Diaconatum ambiunt, vt mulieres licentiùs videant.* Ait Hieronymus eos, vt ſe gratiores mulieribus exhiberent,

berent, impenſiùs ſe ornaſſe; *Omnis his cura de veſtibus, ſi benè oleant, ſi pes laxa pelle non folleat, crines calamiſtri veſtigio rotantur: digiti de annulis radiant: & ne plantas humidior via ſpargat, vix imprimunt ſumma veſtigia: Tales cum videas, ſponſos magis exiſtimato, quàm Clericos. Quidam in hoc omne ſtudium, vitámque poſuerunt, vt matronarum nomina, domos, moréſque cognoſcant.* Quæ vtinam plerique etiam hodie Clerici expenderent: Plures etiam matronæ ſanctitatem ſimulãtes; ſuam turpitudinem ea familiaritate Clericorum, qui ipſis adulabantur, tegebant: quod carpit eadem Epiſtola Hieronym. *Clerici ipſi, quos & magiſterio eſſe oportuerat pariter, & timori, oſculantur capita matronarum, & extenta manu, vt benedicere eos putes velle, ſi neſcias, pretia accipiunt ſalutandi. Illæ interim, quæ Sacerdotes viderint, ſuo indigere præſidio, eriguntur in ſuperbiam: & quia maritorum expertæ dominatum, viduitatis præferunt libertatem, caſtæ vocantur, & Nonnæ: & poſt cœnam dubiam Apoſtolos ſomniant.* Quare vt eiuſmodi abuſus tollerent Patres, edixerunt, ne Clerici ſine licentia Epiſcopi, & ne ſoli ac incomitati adirent, aut monaſteria, aut domos virginum, vel viduarum. Synodus Hiſpalenſ. citata iuſſit, vt qui præficeretur monaſterio, ab Abbate, iudicio ſui Epiſcopi comprobaretur. Synod.general.Carthaginenſ.cap.41. *Clerici, vel qui ſunt continentes.* (ἐγκρατευόμενοι, hoc eſt Monachi, interprete Balſamone) *ad viduas, vel virgines non ingrediantur, niſi ex permiſſione, & conſenſu proprij Epiſcopi, vel Presbyterorum. Porrò hoc quoque non ſoli faciunt, ſed cum conclericis, vel cum eis, cum quibus Epiſcopus, vel Presbyteri ſoli habent aditum ad eiuſmodi mulieres: vel vbi adſunt Clerici, vel aliqui bonæ exiſtimationis Chriſtiani.* Quod & aliis canonibus, & iuri Iuſtinianeo conſentaneum eſſe notauit Balſamon in ſcholiis. Concil. Pariſienſ. 6. cap.46. damnat Canonicos & Monachos, *qui poſthabito Religionis ſuæ pudore monaſteria Sanctimonialium tam Monacharum, quàm Canonicarum inconſulto Epiſcopo ſuo impudenter, atque irreuerenter adirent,* &c. *Quod factum;* inquiunt, *quia nec Canonico, nec monaſtico congruit propoſito, prorſus interdicimus.*

Obtinendam quoque fuiſſe ve- 15.
niam à Præpoſita & coram aliis colloquendum paucis omnino habes in Concil. Nicæn. 2. cap.20. ſæpius relato. *Si contigerit vt aliquam propinquam ſuam videre voluerit Monachus, in præſentia Abbatiſſæ huic confabuletur per modica & compendioſa verba, & in breui ab ea diſcedat.* Quæ vltima verba ſunt in illo canone apud Balſamon. Pachomius iuſſerat Monachum, qui propinquam, aut ſororem in monaſterio fœminarum viſitare voluiſſet, ſocium vnum è ſenioribus probatæ vitæ ſecum ducere, & primum monaſterij Præpoſitam adire: ea deinde & aliis aliquot præſentibus ſororem, aut propinquam ſuam alloqui. Synod. Hiſpalenſis 2. cap.11. *Non vult licitum eſſe Abbati, vel ei, qui præficitur, extra eam, quæ præeſt, loqui virginibus Chriſti aliquid, quod ad inſtitutionem morum non pertineat. Adhæc ne quidem cum ea, quæ præeſt, loqui liceat; ſed ſub teſtimonio duarum, aut trium ſororum: ita vt rara ſit acceſſio, & breuis omnino locutio.* De iiſdem teſtibus agit etiam Concil. Cabilon.2. cap.55.56. & 61.

Concil.

Concil. Pariſien.6. cap. 26. teſtimonium virorum Religioſorum & fœminarum Religioſarum requirit. Terracon.1. cap.1. & ſocium, & breues ſermones exigit. Nefas quoque fuit munera illis deferre, ita prohibuit Pachomius, Hieronymus verò Epiſt. ad Nepot. *Crebra munuſcula & ſudariola & faſciculas, & veſtes ori applicitas, & oblatos, ac degustatos cibos, blandáſque & dulces literulas ſanctus amor non habet.*

16. Duodecimò, locus debuit eſſe publicus, & colloquiis deſtinatus, auditorium ſcilicet. Ita Concil. Pariſien.6. cap.26. citato. Cabilon.2.c.61. Aquiſ.2. 3.part. cap.14. *Admonendæ Prælatæ ſunt, vt prævideant, ne in ipſis monaſteriis multimodi ſint anguli, vel talia loca, quæ ſint tenebroſa, aut viſui Prælatarum occulta, in quibus Deus pro ſceleribus inibi commiſſis ad iracundiam prouocetur.*

17. Tempus denique præſcribitur, ne ſit hora incompetens, vt loquitur Concil. Cabilon.2. cap.55. nempe à prima hora ad veſpertinam; à veſpera verò ad primam non niſi propter ineuitabilem neceſſitatem. Ita idem Concil. cap. 56. Sanè furtiua colloquia ſæpiùs exagitat Hieron. hoc vnum ex Epiſt. 12. ad Gaudentium dabo. *Quare ſolus cum ſola, & non cum arbitris ſedes; vt cum ipſe non pecces, aliis peccare videaris, vt exemplo ſis miſeris, qui nominis tui authoritate delinquunt? Tu quoque virgo, vel vidua, cur tam longo ſermone viri retineris? cur cum ſolo relicta non metuis?* &c. Et Epiſt.2. ad Nepotian. *Si propter officium Clericatus aut vidua viſitatur, aut virgo: nunquam domum ſolus introeas, & ſolus cum ſola ſecretò, & abſque arbitro, vel teſte non ſedeas. Si familiarius eſt aliquid loquendum; habet nutricem maiorem domus, virginem, viduam, vel maritatam: non eſt tam inhumana, vt nullum præter te habeat, cui ſe audeat credere,* &c. *Mel meum, lumen meum, meum deſiderium, omnes delicias & lepores, & riſu dignas vrbanitates, & cæteras ineptias amatorum, in comediis erubeſcimus, in ſæculi hominibus deteſtamur; quantò magis in Monachis & in Clericis, quorum & Sacerdotium propoſito, & propoſitum ornatur Sacerdotio?*

§. II.

Iura poſteriora circa acceſſum ad monaſteria Monialium.

QVia porrò ſeuerior iſta diſciplina contrariis moribus exoleuerat, coactus fuit Alexander III. in Concil. Lateranen. 1. part. cap. 11. pœnis grauioribus licentiam iſtam ſua conſtitutione caſtigare: *Monaſteria Sanctimonialium*, inquit, *ſi quiſquam Clericus ſine manifeſta & rationabili cauſa frequentare præſumpſerit, per Epiſcopum arceatur: & ſi non deſtiterit, ab officio eccleſiaſtico reddatur immunis. Si laici, excommunicationi ſubdantur, & a cœtu fidelium fiant penitus alieni.* Quæ poſtrema clauſula de laicis non habetur in Conciliis editis; refertur tamen in Gregoriana collectione cap. monaſteria de vita & honeſtate Clericorum, & in 1. collectione antiqua eod. tit. 18.

Hoc Decreto comprehenduntur ipſi etiam Epiſcopi, & alij Prælati extra ſuam diœceſim; ſicut enim non poſſunt monaſteria ſibi non ſubdita ſine licentia Superioris ingredi: ita neque illa frequentare, vt optimè arguit Stephan. Gratian. tom.4. diſput. Forenſ. cap.392. num.1. Quia

Epiſcopus extra ſuam diœceſim, & Præſes extra ſuam Prouinciam eſt in perſona priuata. Vide Innocent. in cap. cum inferior, de maioritate & obedientia. Itáque in hoc ipſo caſu cenſuit Congregatio Cardin. S. Concil. Trident. cuius declarationem ex Antonio Nauarro integram refert Tamburin. diſp. 25. de iure Abbatiſſ. quæſt. 2. num. 4.

19. Secundò damnatur frequentatio monaſteriorum, & non acceſſus duntaxat, niſi frequens ſit. Frequentiam verò aliqui haberi volunt per binum acceſſum. Ita ibidem Gloſſa, ver. frequentare, quæ etiam in cap. ita nos 25. quæſt. 2. ver. vſum, in criminibus duabus vicibus frequentiam indicere dixit. Et in l. 3. C. de Epiſcopali audientia, ver. conſuetudini, crimen bis commiſſum imputari conſuetudini. Panormitan. vbi fuſiùs diſputauit in cap. monaſteria, quod modò exponimus num. 5. quæſtionem indefinitam relinquit. Alij paſſim Doctores in idem caput ſcribentes prudentis arbitrio permittunt, vt Hoſtienſis num. 2. ver. frequentare. Ioan. Andr. Anton. Cardinal. Anchara, Imola. Sed deinde variant prudentes in ſua definitione, & arbitrio. Nam Nauarr. comm. 4. de Regul. num. 61. & Roderiq. tom. 1. qq. Regul. q. 45. art. 4. dicunt frequentiam eſſe, ſi tribus diebus continuis aliquis Monialem alloquatur; non autem ſi duodecies tribus annis, ſemel quolibet trimeſtri. Llamas in methodo in appendice §. 4. frequentiam putat, ſi vel bis eadem die, vel duobus diebus continuis adeat monaſterium. Sanchez lib. 6. in Decal. cap. 16. n. 111. Ferdinand. à Caſtro diſp. 4. punct. 12. tract. 16. Bonacin. quæſt. 3. de clauſ. punct. 2. bis vno die, aut tribus diebus continuis ſemel, aut ſemel in menſe, vel hebdomada Monialem adire. Mihi res prorſus videtur incerta.

Nomine verò monaſterij, quod frequentari prohibetur, non rectè intelligunt ipſummet monaſterium materialiter ſumptum, vt ita loquar, Hoſtienſ. Panormit. Ioan. Andr. Anton. Imola, Cardinal. & alij in illud cap. monaſteria: nam ſic qui aut audiendi ſacri cauſa, aut orandi, aut ornatum viſendi, monaſterium frequentaret, pœnas in eo capite latas incurreret: quare nomine monaſterij Moniales ipſas, quæ in eo degunt, intelligendas eſſe in eo capite ſentiunt Innoc. ibid. Nauar. comm. 4. de Regul. num. 61. Roderiq. tom. 1. qq. Regul. quæſt. 45. art. 2. Sanchez lib. 6. cap. 16. num. 112. Bonacin. q. 3. de clauſ. punct. 1. num. 3. Ita vt qui ad inuiſendum, aut colloquendum cum Monialibus monaſterium frequentat, violet conſtitutionem Lateranen. Alexandri; immò ſi tantùm ad videndum, & non loquendum accederet, non violaret hoc decretum ex Nauar. 20.

Præterea, vt hæc frequentia damnetur, debet eſſe, *ſine cauſa manifeſta & notabili*, vt habet diſertè Alexand. in illo ſuo Decreto, & obſeruat Nauar. comm. 4. cit. num. 61. Quia vbi eiuſmodi cauſa reperitur, neque acceſſus, neque frequentia ſcandalum pariet, aut periculum, & iure negari non poſſet, multóque minùs tam grauibus pœnis puniri. Quænam verò fuerit ea cauſa, non definit Alexand. quare prudentis arbitrio relinquenda eſt; moneo tantùm eam non debere eſſe neceſſariam, modò æqua & iuſta aliunde ſit: quia eam non requirit Alexand. & ſi requireret, reuera exprimeret, vti fecit deinde Trident. & Gregor. XIII. 21.

gor. XIII. circa ingreſſum in illa monaſteria, vti explicuimus ſuperiùs cap.7.§.1. Neque ex ingreſſu licet argumentari ad acceſſum, vti ſapienter aduertit Sanch. cap.16. citat. & Roderiq. articul.4. nuper citat. & maiorem omninò cauſam exigere debet ingreſſus, quàm acceſſus, ad quem proinde quæcumque vtilitas, aut alia ſimilis *Cauſa notabilis & manifeſta* ſufficiet ad vitandam tum culpam, tum pœnam huius decreti.

Nullam quoque licentiam exigit Alexander: quare modò non fuerit prohibitus, aut acceſſus, aut frequentia, non peccabit aduerſus eam legem, qui ex cauſa manifeſta & iuſta, id eſt, certò & euidenter iuſta, monaſteria Sanctimonialium, nulla petita licentia, frequentabit: cum tamen ad ingreſſum præter cauſam neceſſariam, requiratur licentia Superioris, vti expoſuimus cap.5. quia ita præſcribit Tridentin. quoad ingreſſum. Alexand. verò in ſua conſtitutione, quam ſolam modo examinamus, de licentia prorſus ſilet.

Pœnæ, quas imponit Alexander, non incurruntur ipſo facto, quod ſatis denotant verba futuri temporis, quibus vtitur, quæ ſententiam ferendam deſignant, vt fuſiùs in noſtra ſcientia canonica diſputantes de cenſuris oſtendimus, cum Tiraquell. in l. ſi vnquam. C. de reuocandis donationib. ver. reuertatur. num. 39. & Clerici quidem ab officio ſuſpendendi ſunt; laici verò excommunicari, & à cœtu fidelium fieri alieni debent, quæ vltima verba non inferunt duas pœnas, excommunicationem videlicet maiorem & minorem, vt aliqui voluerunt apud Cardinal. ne cogantur verba aliqua ſuperflua in decreto pontificio admittere. Nam, vti obſeruat ibidem Cardinalis, excommunicationis vox ſimpliciter & abſolutè poſita de maiori excommunicatione ſemper accipitur cap. ſi quem de ſentent.excom. Itaque his verbis excommunicentur, & à cœtu fidelium alieni fiant, explicatur effectus excommunicationis: & particula, &, ſignificat idem quod, id eſt, quod contingit, quoties ponitur inter duo, quorum vnum eſt ſequela & effectus alterius, vti obſeruant Doctores in l. 1. ff. de pactis.

Præcedere verò debet has omnes 22.
pœnas monitio ab Epiſcopo, ne eiuſmodi monaſteria frequentare pergant: ita enim imperat Alexand. vt ſi Clericus monaſteria illa frequentare ſine notabili & manifeſta cauſa præſumpſerit, per Epiſcopum arceatur; & ſi non deſtiterit, ab officio Eccleſiaſtico reddatur immunis: quare vti inſinuat Suarez tractat. 8. de Relig. lib.1. cap.10. numer. 25. ante eam monitionem ille acceſſus, ac etiam frequentia per ſe loquendo carebit culpa, niſi frequentia euidenter eſſet nimia, & cum aliquo ſcandalo, ac proinde tam grauem pœnam non merebitur, quæ & frequentiam illam & contumaciam plectet.

Denique obſeruat Bonac. punct.2. 23.
cit. cum Alexand. ſuo decreto Clericos & laicos expreſſis verbis deſignarit, non comprehendiſſe Religioſos: quia in materia pœnali & odioſa non comprehenduntur nomine Clerici, ſicut neque aut Epiſcopi, aut Clerici in dignitate conſtituti, vt Prælati & Canonici Cathedralis Eccleſiæ: quod fuſiùs pluribus allegatis oſtendit Sanch. lib. 6. in Decalog. cap.15. num.74. verum initio monuimus hos omnes hac le-

ge comprehendi, quæ alioquin non haberet effectum, quem intendebat Alexand. & Concil. Lateranenſ. quare omnino vniuerſalis eſt, & Religioſos quoque, ac omnes omnino Clericos afficit. Hactenus de Alexandri conſtitutione.

24. Bonifacius deinde VIII. in capite periculoſo, ſæpiùs explicato non modò ingreſſum in monaſteria prohibuit; ſed etiam acceſſum: *Nullique*, inquit, *inhoneſtæ perſonæ, vel etiam honeſtæ ingreſſus vel acceſſus pateat ad eaſdem* (Moniales videlicet.) Hæ porrò duæ voces diuerſos actus ſignificant: itáque cum Nau. omnes paſſim docent. Syluester ver. religió 7. quæſt. 16. Angel. ver. Monialis num. 3. & alij. Bonifacij igitur conſtitutio vniuerſalior eſt decreto Alexandri, qui & ſolam frequentiam, & viris duntaxat illam prohibuerat, poſt monitionem tamen Epiſcopalem. At verò Bonifacius omnem acceſſum, etiam primum non modò viris, ſed etiam fœminis vetuit: neque monitio Epiſcopalis neceſſaria eſt, ſufficitque hæc generalis conſtitutio. Et præterea non modo cauſam manifeſtam & rationabilem, ſed etiam Superioris licentiam exigit ad licitum acceſſum, ſicut ad ingreſſum: quam licentiam non poſtulauit Alexand. Mitior tamen in eo eſt Bonifacij lex, quòd certas pœnas non irroget accedenti ad monaſteria iſta, quas Alexander graues omninò comminatur.

25. Bonifacianam cōſtitutionem contrariis moribus obſoletā antiquatam innouauit Tridentin. vbi ſuperiùs explicuimus circa ingreſſum in monaſteria Monialium; de acceſſu verò nihil omninò dixit, licet affirmet ſe conſtitutionem Bonifacianam innouare, vbi tamen ipſam innouationem ponit, de ſolo ingreſſu loquitur, & de acceſſu omninò ſilet, vti ſapiēter obſeruauit Suar. lib. 1. tract. 8. de Relig. cap. 10. num. 26. Ferdinand. à Caſtro tract. 16. diſput. 4. punct. 11. num. 6. contra Nauarr. comment. 4. de Regular. n. 61. & Rodriq. tom. 1. qq. Regular. quæſt. 45. artic. 4. atque vt videtur Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 16. numer. 105. neque debemus adeo rigidam legem vltra verborum proprietatem extendere, aut acceſſum nomine ingreſſus prohibiti deſignare, niſi dicas Bonifacium de illo tantum acceſſu loquutum, qui cum ingreſſu coniunctus eſſet; quia tunc auditoria aut ſalutatoria, de quibus cap. 2. diximus, non diſtinguebantur, aut cratibus, aut aliis ſeptis: ideóque cum ad illa aliqui conuenirent, partem aliquam monaſterij ingrediebantur, non interiorem tamen: vnde dicebantur potiùs accedere quàm ingredi in monaſterium: & iſtæ Moniales collocuturæ è monaſterio interiori ad hanc exteriorem partem veniebant: Ideóque cum imperata fuit clauſura omnimoda à Bonifacio, & omnis ingreſſus prohibitus, exiſtimauit Tridentin. dum eiuſmodi conſtitutionem innouauit, de ſolo ingreſſu ipſum egiſſe: qui ſolus per ſe pertinet ad clauſuram, neque quidquam de acceſſu ſtatuendum eſſe; ſed ſi quid in eo peccaretur aliquando, Prælatorum curæ relinquendum, atque ita intelligendam eſſe conſtitutionem Bonifacianam, quam confirmabat.

Maior videtur difficultas circa extrauagantem Pij V. *circa Paſtoralis*: 26.
ait enim ſe innouare conſtitutionem Bonifacij, *In omnibus & per omnia.* Verùm in tota illa conſtitutione ſua agit tantùm de clauſura, atque de ea maximè, quæ ad egreſſum pertinet: quare

quare ea innouatio generalis intelligenda eſt circa ſubiectam materiam: Bonifacij itaque lex innouatur, & obſeruari præcipitur, *In omnibus & per omnia* quæ ad clauſuram, ſcilicet, & egreſſum è monaſterio pertinent, de quo ſolo in tota ea cõſtitutione loquitur; in alia verò quadam extrauaganti, de qua dicemus diſquiſitione ſequenti: de ingreſſu quidem agit, ſed fœminarum in monaſteria virorum. Denique Gregorius XIII. in ſua conſtitutione 13. diſertè affirmat Tridentini Decreto, quo innouatur Bonifacij conſtitutio, prohiberi Monialibus è ſuis monaſteriis egredi; aliis verò perſonis cuiuſcumque ſexus, aut ordinis, ad eas ingredi, vbi de acceſſu altum ſilentium eſt, cum tamen ille omnino exprimendus fuiſſet, ſi de eo agere vellent Pontifices, quando quidem diſtinctus eſt ab ingreſſu, neque eo deſignari, aut intelligi poteſt, vt ex communi & proprio vſu loquendi conſtat, niſi ſit reipſa cum ingreſſu coniunctus: qui enim ingreditur, accedit; non autem qui accedit ad monaſterium, ingreditur.

17. Quia tamen ex acceſſu maximè frequenti ad monaſteria Sanctimonialium periculum aliquod ſuboriri poſſet; idcirco Congregatio Regul. anno 1590. Sixto V. Pontifice, prohibuit omnibus Religioſis, excepto Superiore & Confeſſario, tum ordinario, tum extraordinario ad tempus deputato, adire abſque expreſſa eiuſdem Congregationis licẽtia monaſteria Monialium, ſiue ſui, ſiue alterius ordinis, & aut Moniales, aut alias perſonas intra clauſuram exiſtentes alloqui: Confeſſariis autem, ne pernoctent in ædibus monaſterij aut ipſi contiguis, aut inibi reficiantur extra tempus confeſſionum generalium, aliáque plurima mandauit.

28. Refert præterea Nauarr. comm. citato num. 61. ſuo tempore edictum Romæ promulgatum fuiſſe à Vicario Pontificis, ne quis ſiue vir, ſiue fœmina aut alloqueretur Monacham, aut puellam monaſterio inclnſam, aut illi literas ſcriberet, abſque Vicarij ipſius, aut Protectoris licentia, ſub pœna quingentorum ducatorum, & alia arbitraria, excepto eo, qui eleemoſynam deferret, aut aliquid aliud ad vſum monaſterij, qui ſolam Abbatiſſam, aut eius Vicariam alloqui poſſet.

Tamburinus diſp. 25. de iure Abbatiſſarum, quæſ. 4. Barboſa de poteſtat. Epiſcop. allegat. 102. ann. 72. alias quaſdam prohibitiones factas Regularibus à Cardinalib. Congregationis; Regular. referunt: nam an. 1605. 22. Auguſti & 7. Septembris prohibet Regularibus, ne monaſteria etiam ſui ordinis ad colloquendum, aut tractandum cum Monialibus adeant, abſque ipſius Congregationis licentia: anno verò 1617. 7. Martij, qui ſecus fecerint, carcerari mandat & Superioribus tradi, vt iuxta Tridentini Decretum puniantur: qua de re Congregationem certam facere tenentur ipſi Superiores. 1. Septembris eod. anno 1617. decreuit eadem Congregatio Vicarium regularem alloquentem Moniales abſque licentia, incurrere pœnas decreti, niſi ipſe tunc abſente Priore, ipſius munus gerat; & 13. Martij ann. 1628. ſtatuit ſubcollectorem abſque licentia Ordinarij alloquentem Moniales poſſe excommunicari. Nihilominus 12. Kalend. Decembris an. 1623. de mandato Vrbani VIII. conceſſerat Congregatio Epiſcopis poteſtatem faciendi licentiam Religioſis

gioſis alloquendi Moniales ſibi in primo, & ſecundo gradu conſanguineas quater in anno, extra Aduentum, Quadrageſimam, Ferias ſextas, Sabbatha, & dies feſtiuos: quæ licentia detur ſeruanda Confeſſario, qui aſſociet & præſens ſit, & auſcultatrices de more aſſiſtant: quæ omnia, aliáque ibidem præſcripta ita ſeruari debent, vt horum defectu licentia nulla ſit, & Religioſi ſint puniendi arbitrio Congregationis.

§. III.

An & quale peccatum ſit accedere ad monaſteria Monialium ſine licentia.

29. ITa recenſitis tum veteribus, tum nouis legibus circa hunc acceſſum ad Sanctimonialium monaſteria: reſtat inquirendum, an hodie damnandus ſit alicuius culpæ, quando deſtituitur legitima cauſa.

Dicendum eſt primò, acceſſum etiam frequentem ad virginum cœnobia, ſecluſo ſcandalo, praua intentione, & aliis eiuſmodi circumſtantiis maleficis, non eſſe malum ex natura rei, & ſepoſitâ lege eccleſiaſtica illum prohibente. Hanc ſaltem aſſertionem docent Doctores ſtatim allegandi, qui etiam hodie propter antiquata, aut non recepta iura prohibentia eiuſmodi acceſſum, dicunt illum carere culpa. Igitur ex natura rei per ſe, & ſublata prohibitione eccleſiaſtica, malus non eſt; & ſanè nihil aſſignari poteſt, vnde eiuſmodi colloquia mala ſint ex natura rei, vbi & prauam intentionem, & periculum lapſus alicuius, & ſcandalum, aliáque eiuſmodi ſuſtuleris; alioquin omne colloquium cum virgine, aut Sanctimoniali malum eſſet, neque per licentiam ſuperioris redderetur bonum. Quoad cauſam verò legitimam, ſeu, vt loquuntur, rationabilem: illa varia eſt, & non vna certa, ſed quæcumque, ſecluſis illis omnibus circumſtantiis maleficis, erit aut æqua, aut ſaltem non mala. Neque in hac aſſertione ampliùs immorandum eſt: quod enim Suarez ſentire videtur, omne furtiuum colloquium cum virgine grauiter malum eſſe, falſum eſt, vbi & ſcandalum & praua intentio, atque periculum omne reiectum fuerit: nam reuera malum eſſe tantùm præſumitur propter aliquam eiuſmodi circunſtantiarum ſuſpicionem, aut ſi foret contra expreſſum mandatum parentis; tunc enim violatur ius paternum. Verùm iam hæc malitia erit ex iure poſitiuo prohibente, non ex natura rei. Niſi igitur ratione circunſtantiæ, vt loci ſecreti, aut temporis importuni, aut alterius ſimilis circunſtantiæ praua aliqua ſuſpicio generetur, aut ſcandalum, ſitque praua intentio, aut periculum, nullum erit in illis colloquiis peccatum.

Dico ſecundò, ex nullo iure eccleſiaſtico reddi acceſſum ad monaſteria Monialium culpabilem vniuerſè omnibus. Ita Sanchez lib. 6. cap. 16. num. 120. Suar. lib. 1. tract. 8. de Relig. cap. 10. Ferdinand. à Caſtro Palao tract. 16. diſp. 2. punct. 11. ſub fin. & alij; & facilè oſtenditur. Nam imprimis omnia antiqua iura §. 1. adducta vel conſuetudine antiquata ſunt, vel acceſſum pro ingreſſu capiunt: eo quod ad eiuſmodi colloquia, vel ingredi in monaſterium neceſſe foret, vel Moniales ad partem externam, in qua erat ſalutatorium, aut auditorium, vti expoſuimus 30.

mus cap. 2. conuenire; & ſanè nomine acceſſus ipſe etiā ingreſſus deſignari poteſt: atque itaque dubio procul vſurpatur in Concil. Epaun. c. 38. cap. 1. adducto: & licet aliquando Synodi quæpiam diſtinguant acceſſum ab ingreſſu, vt Hiſpalenſ. 2. de qua nuper §. 1. cum prohibet Monachis ad ipſum veſtibulum monaſterij accedere; illæ tamen Synodi prouinciales ſunt, neque ius commune ſtatuunt; aut extra ſuam prouinciam, vt Hiſpalenſis extra Bæticam, vti fuſiùs docuimus in noſtra ſcientia canonica. Denique non niſi quibuſdam perſonis, & in certis quibuſdam caſibus iſtum acceſſum vetant, ipſóque vſu illis fuit derogatum. Quod attinet ad recentiora iura, Alexandri imprimis conſtitutio in cap. monaſteria conſuetudine fuerat abrogata; cum enim, vti queritur Bonifacius, nulla planè clauſura ſeruaretur à Monialibus, eſſétque liber omnino ingreſſus atque egreſſus; quis dicat fuiſſe prohibitum acceſſum, aut legi illum prohibenti non fuiſſe communibus moribus detractum. Deinde illa Alexandri conſtitutio ſolum obligabat Clericos, non laicos, ſi veteribus exemplaribus, atque etiam omnibus editis, Concilij illius Lateranenſ. fidem adhibeamus. Quòd ſi Gratiani & Iuonis collectionem ſequamur, laicos quidem etiam afficit; ſed non Monachos & alios Religioſos ex plurium ſententia nuper relata. Atque ita non erit lex vniuerſalis. Verum licet eam vniuerſalitatem in eiuſmodi lege agnoſcamus; ea tamen poſtulat monitionem præceptiuam Epiſcopi, antequam frequentantes iſta monaſteria puniātur pœnis, quas ibidem infligit, atque adeò ante eiuſmodi monitionem non peccatur contra eam legem, vti affirmant Ferdinand. Sanch. Suarez & alij locis adductis, qui alios dabunt contra Bonacin. diſput. de clauſura q. 3. punct. 3. Bonifacius quidem cap. periculoſo, tum ingreſſum, tum acceſſum prohibuit ex communi interpretum ſenſu, de quo ampliùs diſputare non placet. Verùm ſicut aut vbique non fuerat acceptata ea conſtitutio, aut ſaltem conſuetudine refixa, vti omnes conſentiunt: ea non obligat, niſi quia fuit per Tridentinum & Pium V. renouata. At verò renouata non fuit, niſi quoad egreſſum Monialium & ingreſſum externorum; non verò quoad acceſſum, vti oſtendimus §. ſuperiori: Neque vlla alia poſteriorum Pontificum lex aut conſtitutio hac de re reperitur. Nulla igitur lex Eccleſiaſtica affertur prohibens in vniuerſum acceſſum ad monaſteria Monialium.

Recenſet quidem Nauarr. vti diximus, edictum aliquod Vicarij Generalis Romæ hac de re promulgatum; verùm illud extra vrbem non obligabat, vti exiſtimat ipſemet Nauarrus, neque perpetuæ legis vim habuit, vt patet. Quare neque hodie obligare cenſendum eſt, niſi fuerit renouatum. Denique varia decreta Congregationis Cardinalium, tum Tridentini Interpretum, tum eorum, qui Regularium cauſis præficiuntur: quæ §. ſuperiori adduximus, & quæ alij Doctores diligentiùs fortaſſis referent, Religioſos duntaxat reſpiciunt. Verùm vt non diſputem de obligatione, quam imponunt, ea non obligant vel extra vrbem Romam, vel in locis ſaltem remotioribus, vti etiam Ferdinand. 31.

à Caſtro punct.11. citat.& alij annotarunt. Cum, vti argumentabatur Nauarrus in ſimili caſu de edicto Vicarij, velint poſtulari licentiam ab ipſa Congregatione ad iſta colloquia: quod quomodo ab iis, qui in extrema Scythia, Hiſpania, aut Gallia ſunt, fiet? Deinde debent hæc decreta authenticè promulgata fuiſſe, & prætereà vſu recepta, quod in ſcientia noſtra canonica fuſiſſimè oſtendimus. Id verò in iſtis decretis, aut declarationibus Congationis factum fuiſſe non oſtenditur.

32. Dico tertiò poſſe, tum lege Eccleſiaſtica, tum præcepto Superioris prohiberi acceſſum ad monaſteria Monialium, propter grauiſſimas cauſas periculi, ſcandali, aliáſve ſimiles, propter quas ſapientiſſimè olim prohibitum fuiſſe retulimus §.1.& 2. Et tunc, qui eiuſmodi prohibitionem violabit, reuera peccabit, pœnas comminatas incurret, & reuera peccant, qui in locis, in quibus vigent decreta ſuperiùs allata ſacræ Congregationis, aduerſus ea quidpiam committunt, quod tandem propter diuerſas hac in parte Doctorum ſententias, de quibus aliàs declarauit ipſamet Congregatio an. 1606. 1. Iulij, vti referunt Bonac: aliique.

33. Dico quartò Edicto Epiſcopali, quo excommunicantur accedentes ad monaſteria Monialium, obligantur etiam illi, qui ad monaſteria exempta accedunt, modò in edicto fiat expreſſa mentio eiuſmodi monaſteriorum. Quia licet nihil poſſit in exemptis illis locis: tamen cum crimen, quod punitur, committatur in loco ipſis ſubdito, nempe in itinere; acceſſus enim fit extra monaſterium: reuera ratione criminis illi ſubduntur rei. Exigunt tamen Doctores expreſſam eiuſmodi monaſteriorum mentionem: quia alioquin non præſumitur de illis agere Epiſcopos. At verò alloquentes Moniales in monaſteriis exemptis, non afficientur pœnis ab Epiſcopo colloquia illa vetante impoſitis: quia tunc crimen conſummatur in loco extra iuriſdictionem ipſius. Quæ omnia fuſiùs probare nihil attinet, cum principia iuris communia alibi à nobis ſtabilita ſupponant: neque hoc loco ſunt adducenda. Adi interim Tamburin. diſput.25. de iure Abbatiſſ. quæſt. 5. 6. 7. & 9. & quos ipſe dabit. Neque poſſunt Regulares, qui habent priuilegium, vt non poſſint excommunicari, propter eiuſmodi colloquia ab Epiſcopo excommunicari, vti habet fuſiùs Tamburin. quæſt. 9. vbi tamen viget Bulla Gregorij XV. *Inſcrutabili*. Poterunt puniri ab Epiſcopo: qua de re alibi fuſiùs.

Dico quintò vbi prohibitus eſt acceſſus ad monaſteria Monialium, non violat eam prohibitionem, qui ex propria domo per feneſtram alloquitur Moniales, quia non accedit ad Monaſterium; ſecùs verò ſi prohibitum ſit colloquium: quia reuera colloquitur. Quod contingit, etiamſi Monialis nihil reſpondeat. De quibus aliiſque caſibus ſimilibus conſule Tamburin. diſputat. citat. quæſt. 8. & Diana de dubiis Regular. Reſolut. 48. vt de loquente per interpretem, aut per ſigna & nutus: quidquid enim alij ſentiant, exiſtimo eſſe vera colloquia & infringi legem prohibentem. Spectandus enim eſt animus legiſlatoris, potius quàm ipſa legis verba, quando is perſpicuus eſt. 34.

Dico ſextò in prohibitione acceſſus & colloquiorum non comprehendi 35.

hendi ſcriptionem literarum, niſi illa exprimatur, vt factum quondam fuiſſe à Gregor. XIII. quibuſdam Regularibus refert Nauarr. qui ſapienter & eum ſequutus Sanchez cap. 16. num. 117. Bonac. Ferdinand. aliíque cenſent excommunicationem propter ſcriptionem literarum eiuſmodi non incurri, niſi eæ peruenerint ad manus Monialis; quia opus, quod punitur, conſummatum eſſe debet. Addit Sanchez, neque hanc incurri pœnam, quamuis Monialis deinde accipiat à fide dignis, quod illis literis continebatur.

Atque hactenus de Sanctimonialium clauſura.

DISQVISITIO II.

Canonica.

De clauſura Religioſorum.

RELIGIOSORVM nomine, tum Monachos, tum Clericos Regulares comprehendo: ſic enim iam olim appellatos inuenio. Nam in Conc. Tarrac. 1. cap. 1. de his, qui ſtatuta circa familiaritatem fœminarum ſibi commendatarum violaſſent, ſic edicitur: *Si Clericus eſt, loci ſui dignitate priuetur; ſi verò Religioſus, vel Monachus in cella monaſterij incluſus pœnitentiæ lamentis incumbat*, &c. Vbi vides Religioſum pro Monacho accipi, & particulam, *vel*, expoſitiuè vſurpari. Clericis verò regularibus idem omnino tributum fuiſſe nomen nihil eſt: quod pluribus oſtendam, cum ipſæ voces Regularis & Religioſi, aut ſynonimæ ſint, aut multum affines, & in Conciliis Pariſien. Aquiſgran. aliiſque antiquioribus quoque vſurpetur. Toletan. 4. cap. 5. Religioſorum quorumdam, qui neque inter Clericos, neque inter Monachos habebantur, licentiam ab Epiſcopis coërceri mandat, & aut in Clero, aut in monaſterio deputari. Quæro itaque an viris Religioſis clauſura aliqua fuerit imperata, ſicut & Sanctimonialibus, & quinam fuerint tum priſci, tum recentiores æui mores hac in parte. Ex quibus plurimas intricatas quæſtiones licebit explicare.

CAP. PRIMVM.

An viris Religioſis fuerit imperata aliqua clauſura.

1. AFFIRMANDVM omnino eſt aliquam clauſuram imperatam eſſe viris Religioſis communem ſiue cœnobiticam vitam profitentibus; ne videlicet pro arbitrio, & abſque Prælati licentia exire è monaſterio poſſent, aut in illud quoſlibet externos admittere: id enim ſatis oſtendit antiqua monaſteriorũ ſtructura, quam fuſiùs cap. 2. ſuperioris diſquiſitionis explicuimus. Vt quid enim ſepta & clauſtra, quibus interius monaſterium cinctum fuiſſe diximus? vt quid Ianitor ad fores excubans, ſi cuilibet exitus, aut aditus liber patuiſſet. Idipſum antiqui Canones & Regulæ confirmant, quæ non tantùm de exitu per apoſtaſiam aut fugam, aut ad miniſteria quædam ſiue eccleſiaſtica, ſiue alia Monachis prohibita exercenda loquuntur, vti videtur ſentire Suar. tract. 8. de Relig. lib. 1. cap. 6. num. 2. Sed de permanentia in clauſtro & monaſterio, vt ita dicam, materiali, aut de egreſſu ex illo, vti expendenti facilè conſtabit. Quid verò nomine clauſuræ monaſterij intelligatur, ſiue quinam ſint eius limites,

mites, ſatis ſupérque explicuimus diſquiſit. ſuperiori cap.2. toto.

§. I.

Prohibetur viris Religioſis egreſſus è monaſterio abſque Prælati licentia.

1. AGo duntaxat de egreſſu è monaſterio: de admiſſione enim perſonarum externarum in illud, quæ eſt altera clauſuræ pars, dicam cap. vlt.

Exitum igitur è monaſterio, inuito, aut inconſulto Prælato, & ſine eius licentia prohibitum eſſe demonſtro primò, ex lege eccleſiaſtica. Concil. Turon. 2. cap. 16. *Si qui in monaſterio conuerſi ſunt, aut conuerti voluerint nullatenus exinde habeant licentiam euagandi, nec quod abſit vllus eorum coniugem ducere, aut extranearum mulierum familiaritatem habere*, &c. Vbi & vagationem extra monaſterium, & reditum ad ſæculum per infandas nuptias diſtinguit; & primò vagandi licentiam, tum connubium ſacrilegum prohibet, atque *vxoris malè ſociatæ conſortium*, iudicis authoritate ſeparari vult: & illud grauiori pœna, nimirum excommunicatione punit, non autem euagationem, vtpote leuiorem. Tarracon. tempore Hormiſdæ Pontificis cap. 11. *Monachi à monaſterio foras egredientes, ne aliquod miniſterium eccleſiaſticum præſumant agere, prohibemus, niſi fortè cum Abbatis imperio.* Et ſub finem, Canonum Gallicanorum conſtitutionem ſeruari mandat. Neque Concilium prohibet tantùm egreſſum è monaſterio ad miniſteria eccleſiaſtica exercenda, vti contendit Suarez, ſed Monachis è monaſterio egreſſis illa miniſteria prohibet: quod manifeſtum fit ex eo quod permittat, vbi acceſſerit Abbatis imperium, hoc eſt, vbi ex eo imperio fuerint egreſſi: poterant enim tunc illa miniſteria, quorum capaces erant intra monaſterium, foris exercere, vt Miſſas celebrare, & diuina officia ſi Clerici, aut Sacerdotes eſſent. Leo IV. in Synodo Romana cap. 28. ſic edixit: *Ne Monachi à monaſteriorum clauſuris abſque Abbatis, vel qui ab eo eſt conſtitutus, licentia ad quodlibet opus exercendum egredi præſumant; cùm verò licentia impetrata ad aliquid peragendum perrexerint, non ſine duorum, vel trium ex fratribus teſtimonio peragant.* Neque ſolùm prohibet Leo egreſſum è monaſterio animo aliquid operis extra monaſterium ſuſcipiendi, quaſi ſimplicem egreſſum è monaſterio permittat: ſed quia varij prætextus quærebantur ad exeundum è monaſterio, maximè ad quædam opera ſiue vtilia, ſiue neceſſaria: vt præſcindat omnes eiuſmodi egrediendi, & vagandi occaſiones, vult Leo etiam, cum aliquod opus peragendum eſt, obtinendam eſſe licentiam: & ne falsò quis ad licentiam extorquendam opus eiuſmodi faciendum afferat, iubet Leo duos, aut tres fratres aſſumi, qui de opere facto teſtari poſſint; & ſanè ſi nequidem cauſa operis faciendi licebat inconſulto Abbate exire è monaſterio, multò minus id licitum fuerit animo duntaxat exeundi & vagandi: neque teſtimonium duorum, aut trium fratrum de peracto opere, propter quod petebatur licentia exeundi, alia de cauſa requiritur à Pontifice, quàm vt conſtaret ſuperiori talem Monachum reuera cau-

ſa operis faciendi egreſſum eſſe, & non ſolius vagationis gratia. Sed iam olim Trullan. Synodus cap. 46. vbi prohibuit Sanctimoniales è monaſterio exire, niſi vrgente inexorabili neceſſitate cum benedictione Præpoſitæ, & Comitibus aliquot ſenioribus: de Monachis deinde ſic ſtatuit: *Sed & viri, qui vitam monaſticum perſequuntur; vrgente neceſſitate, & ipſi cum benedictione eius; cui regimen creditum eſt, procedant.* Demùm tum viros, tum mulieres, quæ huic decreto non paruerint, conuenientibus pœnis plecti mandat, quæ pœnæ imperatam omninò fuiſſe hanc clauſuram oſtendunt; vti diſquiſitione priori de Sanctimonialium clauſura inferebamus. Synod. in Vernis Palatio, regnante Pipino cap. 10. negat etiam obtentu Romanæ peregrinationis licere Monacho ſine Abbatis venia è monaſterio exire: *Vt Monachi*, inquit, *qui veraciter regulariter viuunt, ad Romanam ſedem, vel alicubi vagari non permittuntur, niſi Abbatis ſui obedientiam exerceant.* Quin immò addit, quoties monaſterium Abbatis negligentia in manus laicorum deuenerit, indéque Monachi *propter Deum & ſuas animas ſaluandas migrare voluerint* opus eſſe conſenſu Epiſcopi, vt inde aliò diſcedant. *Hi*, inquit, *per conſenſum Epiſcopi licentiam habeant, qualiter eorum anima poſſint ſaluari.* Et quamquam eo caſu non de exeundo duntaxat è clauſtris monaſterij; ſed de monaſterio ipſo omninò deſerendo agatur; cum tamen intra illud manere iubeantur, donec conſenſum & iuſſionem Epiſcopi habuerint, indè etiam ſatis colligitur exitum è monaſterio non fuiſſe liberum omninò Monachis Mogunt. 1. ſub Carolo Magno c. 12. vbi prohibuit Monachos, immò & ipſum Abbatem ad ſæcularia placita itare ſine iuſſione & conſenſu Epiſcopi, ſubdit de Monachis: *In eorum clauſtro permaneant, nullúſque ex eis foras vadat, niſi per neceſſitatem ab Abbate mittatur in obedientiam, nec foras manducent, neque bibant ſine permiſſione Abbatis, nec vadant ad conuiuia ſæcularia.* Quæ lex clauſurâ apertiſſimè viris imperat æquè ac Sanctimonialibus ea ætate imperabatur, vti diximus cap. 1. §. 2. diſquiſit. 1. ead. Synod. cap. 20. ea de cauſa iubet ita monaſteria conſtrui, *Vt omnia neceſſaria infra monaſterium exerceantur, vt non ſit neceſſitas Monachis, vel Clericis vagandi foras: quia non expedit animabus eorum.* Concil. Remenſ. Imperante Magno Carolo, & Vulfario Archiepiſcopo præſidente an. 813. cap. 25. Iubet Monachos & Clericos diligenter inquirere rationem, qua præſcindant omnes vagandi occaſiones, *Vt Monachi & Canonici pleniter conſilium habeant, qualiter Deo militare, animáſque eorum meliùs valeant cuſtodire, ne propter aliquam neceſſitatem occaſionem quærant vagandi, & inter ipſos propter hoc locus tentandi detur diabolo.* Vult itaque Synodus omnes vagandi occaſiones præſcindi: & quod inde neceſſariò conſequitur, in monaſterio manere. Concil. Aquiſgran. cap. 134. inter peccata, quæ pœnitentiæ ſubiicit, enumerat exitum è clauſtris ſine licentia. Concil. Meldenſe cap. 57. ne prætextu adeundi palatium, aut quia gerendis negotiis neceſſarij eſſe videntur, facilè vagentur Monachi, non niſi cum authoritate Epiſcopi eo ſe conferre mandat. *Vt Monachi, quibus monaſteriorum cura commiſſa non eſt, paſſim & ſine authoritate palatium*

non adeant, nec in eo immorentur, vel vbi & vbi diſcurrere, ac peruagari præſumant: ſed ſi tales quilibet fuerint, vt vtiles & neceſſarij Eccleſiæ, ac Principi reperiantur, cum authoritate Epiſcopi canonicè ac religioſè pergant; ſin autem in monaſteriis ſuis, ſicut canonica & regularis docet inſtitutio, religioſè reſideant. Itaque non tantum prohibent adire palatium ſine Epiſcopi licentia; ſed etiam in ſuo monaſterio reſidere iubent Patres; immò neque ad eiuſmodi negotia facilè mitti volunt: addunt enim: *Quos etiam nec Epiſcopus, nec Abbas, nec quilibet alius veredariorum more in Miſſaticis inſtanter tranſmittat.* Addunt denique, *ne ſub prætextu obedientiæ villicationibus*, aut aliis eiuſmodi negotiis *diutiùs inſeruiant, ſed regulariter obedientiam in viciſſitudine ſua peragentes ſecum, vt de S. Benedicto legitur, in monaſterio habitent, atque ſeipſos recolligant: hac autem tranſgredientes ſiue Prælati in fauendo, ſiue ſubditi in obtinendo excommunicentur.* Quæ ſeuerior pœna arguit præceptum fuiſſe impoſitum, tum ſubditis clauſuram violantibus; tum Prælatis in facienda exeundi venia indulgentioribus. Quia verò nonnumquam cauſam quærendi ſibi victum obiiciebant Monachi, præcipit Treſleian. cap. 3. omnibus Abbatibus & monaſteriorum Præpoſitis, vt omnia illis neceſſaria miniſtrent, & omnis vagandi occaſio tollatur. Aquiſgr. c. 144. Canonicũ Regularẽ, qui extra monaſterium in biuiis, aut plateis confabulationibus vacare repertus fuerit, poſt ſecretam admonitionem *acrius iudicari* præcipit. Mogunt. cap. 9. Canonicos in ſuo clauſtro manere imperat. & l. 29. C. de Epiſcop. & Clericis, manifeſta habetur hæc prohibitio. *Qui in monaſteriis degunt, poteſtatem inde exeundi ne habento, vel in Antiochienſi ciuitate, vel in aliis quibuſcumque ciuitatibus conuerſandi, exceptis duntaxat Apocriſiariis, quibus licentiam damus.* Vult autem illos exire cauſa duntaxat Apocriſeon neceſſariarum; διὰ μόνας ἀναγκαίας ἀποκρίσεις ἐξιέναι. Erant verò Apocriſiarij Procuratores Cœnobiorum & Eccleſiarum, qui negotia curabant: de quorum munere multa habet Hincmar. Epiſtola 3. cap. 13. dicuntur & Reſponſales à Gregorio ſæpiùs; ἀποκρίνομαι, enim eſt reſpondeo, & ἀπόκρισις reſponſum, quod negotium ſignificat apud eundem Gregor. lib. 2. Dialog. cap. 12. & lib. 11. Epiſtol. 47. Nullis igitur aliis quàm monaſteriorum procuratoribus exire licuit è monaſterio. Vides itaque permanentiam in monaſterio & clauſuram indictam fuiſſe Religioſis, neque egreſſum abſque cauſa & licentia paſſim & pro arbitrio fuiſſe permiſſum.

Hæc antiqua decreta innouauit Tridentin. ſeſſ. 25. cap. 4. quod omnibus Regularibus prohibet è ſuis monaſteriis recedere etiam prætextu ſuperiores ſuos adeundi; niſi ab iiſdem, aut miſſi, aut vocati fuerint, mandatúmque in ſcriptis obtinuerint; alioquin puniri mandat ab Ordinariis, ſicut & in vniuerſitatibus ſtudiis vacantes alibi quàm in his conuentibus habitent. 3.

Secundò idipſum probatur ex omnibus antiquorum Ordinum Regulis, quæ eam permanentiam in monaſterio vel imperant, vel ſupponunt. Nam Pachom. art. 72. *Nemo exeat foras, nemo loquatur, nemo remaneat, excepto maioris imperio.* Et art. 47. *Nullus neque ambulandi in monaſterio, neque extra murum monaſterij,*

naſterij procedendi habeat facultatem, niſi interrogauerit Præpoſitum, & ille conceſſerit. S. Benedict. cap. 5. ſuæ Regulæ prohibet fratres, qui pro quouis reſponſo diriguntur, ſi eodem die reuerſuri ſunt, extra monaſterium ſine mandato Abbatis comedere. Supponit igitur nequidem ad reſponſum, id eſt, negotium, vti iam monuimus ex Gregorio, Monachos exire potuiſſe, niſi dirigerentur, id eſt, mitterētur. Regul. patrum, quæ eſt 3. in M.S. Floriac. c. 9. & Magiſter in ſua Regula cap. 61. dum ſeuerè extra monaſterium comedere prohibent Monacho abſque Abbatis conſcientia; illum quoque egredi non debere ſignificant. Benedictus etiam cap. 66. vbi de Oſtiariis monaſterij agit, liberum non fuiſſe aut exitum, aut ingreſſum ſatis oſtendit, ibidémque iubet ita conſtrui monaſteria, *vt in illis omnia neceſſaria exerceantur, & non ſit neceſſitas Monachis vagandi foras: quia non expedit animabus eorum.* Regula Orientalis, cuius neſcitur Author, & ferè in omnibus conſentit cum Regula Pachomij, nequidem ad funus propinqui Monachum exire permittit, niſi Pater monaſterij præceperit: immò neque permittit Monachum ſolum, & ſine arbitris etiam cum propinquo ſuo in monaſterio colloqui: *Si quis*, inquit, *ad oſtium monaſterij venerit dicens ſe velle videre fratrem ſuum, vel propinquum, Ianitor nunciabit Abbati, & permittente eo accipiet comitem, cuius fides probata eſt, & ſic mittetur ad fratrem videndum, vel proximum.* Quis igitur dicat liberum fuiſſe exitum è monaſterio, quādoquidem ne colloquia quidem cum externis libera erant, & ſine licentia Abbatis ſuſcipi nequibant? Magiſter in ſua Regula cap. 95. Vbi de duobus Oſtiariis, eorúmque cella intra regias monaſterij conſtituenda, déque ipſorum officio nunciandi Abbati venientes fratres, alióſque eiuſmodi de omnibus neceſſariis intra regias habendi, vt non ſit frequens occaſio, propter quam fratres multoties foras egreſſi ſæcularibus mixti ſint, egit. Hæc denique addit: *Cum ergo hæc omnia intus fuerint conſtituta, clauſa ſit ſemper monaſterij regia, vt intus clauſi cum Domino fratres, velut à ſæculo ſint iam clauſa Dei in cœleſtibus ſeparati.* Volunt aliqui ex M. S. Codice legi *caſa Dei*; ego nihil immutādum cenſerem; nam *clauſa Dei*, ſeparati fratres à ſæculo ſunt, vbi clauſa pro clauſura accipitur, aut pro clauſo: & ſic potiùs legendum foret: nam clauſum ſignificat locum concluſum, vti in operis huius præfatione monebamus. Regia verò monaſterij ſignificat portam primariam, voce non inuſitata illius æui ſcriptoribus. Nam Paulus Diaconus Eccleſiæ Neapolitanæ interpres vitæ Mariæ Ægyptiacæ agens de celebri monaſterio ad Iordanem, quod Zozimus viſitauit, ſic ait cap. 5. *Regia autem monaſterij nunquam aperiebatur, ſed ſemper erat clauſa, & abſque vlla perturbatione Monachi curſum ſuum explebant: nec enim licitum erat aperire aliquando, niſi fortaſſis Monachus propter opus aliquod neceſſarium adueniebat.* Tunc verò Ianitor monebat Abbatem, qui aduenientem ſuſcipiebat: quod contigiſſe ipſi Zozimo dixerat cap. 3. Vbi & antiquum clauſuræ morem vides, & Regiæ nomen pro porta monaſterij vſurpatum fuiſſe. Et apud Ennodium extat hæc inſcriptio Epigrammatis 17. *Super Regiam triclinij.* Anaſtaſ. Bibliothec. in Honorio: *Inueſtiuit Regiam ingreſſu*

ingreſſu Eccleſiæ maioris, quæ appellantur Mediana ex argento. Eamdem vocem vſurpauit etiam in Canone: & Gregorius quoque Turonen. lib. 4. Hiſtor. Franc. cap. 13.

Redeo ad clauſuram, eiúſque in antiquis Regulis veſtigia. Incertus Author Regulæ prout refertur in concord. Regular. cap. 71. dum munus oſtiariorum deſcribit, ſatis oſtendit hanc clauſuram: & præterea monet, ne Oſtiarij fabulas, quas ad portam audierint, conſodalibus ſuis referant. Si igitur ne rumores quidem ſæculares audire permittebantur Monachi, quis dicat illis licentiam fuiſſe, dum vellent exeundi è monaſterio, & cum ſæcularibus liberiùs agendi. Regula Orientalis duo maximè præſcribit Oſtiariis; primum ne vllus extraneorum cum aliquo de fratribus habeat neceſſitatem, aut facultatem loquendi abſque conſcientia Abbatis, aut ſeniorum: Secundum, *vt ante omnia hæc obſeruet; ne quem de fratribus foris ianuam exire permittat.* Iſidor. cap. 20. Regul. *Ad Ianitorem pertinebit cura hoſpitum, denunciatio aduenientium, cuſtodia exteriorum clauſtrorum.* Ne videlicet quis aut egrederetur, aut ingrederetur ipſo inſcio. Auguſt. cap. 29. Regul. *Qui habet aliquo eundi neceſſitatem cum quibus Præpoſitus iuſſerit, ire debebit.* Si verò ſocium à ſuperiore debet accipere; multò magis veniam exeundi. Baſil. cap. 8. conſtitut. monaſtic. monet Monachos, ne facilè diſcurrant, ſed in ſibi aſſignato loco permaneant: ſi tamen aliquando prodeundum ſit, id fiat certo modo, qui ſanè alius non erat, quàm vt & licentia peteretur à Præpoſito, & benedictio, atque ſocius aſſumeretur quem idem aſſignaſſet Præpoſitus.

Et quidem quod ad ſocium attinet, id ſanciuerat Pachom. art. 3. non vult enim mitti Monachum ad videndum propinquum, aut fratrem ſuum ad ianuam monaſterij præſtolantem ſine comite fidei probatæ; art. 31. Ad inuiſendum quoque ægrotantem mitti permittit Monachum, ſed cum ſocio fidei & diſciplinæ probatæ: Et ſequenti art. monet, vt ſi neceſſitas foris manere aut veſci coëgerit; id non faciat in paterna, aut propinquorum domo; ſed maneat in dominico, aut monaſterio eiuſdem fidei: Deinde art. 34. abſolutè pronunciat, vt nullus mittatur foras ad aliquod negotium niſi adiuncto ei altero. Qui mos tam ſanctè fuit obſeruatus à Monachis, vt Greg. lib. 10. Regiſtri Epiſtol. 22. Conſtantinum quemdam in Abbatem electum reiecerit, quòd ſolus ſine ſocio ad monaſterium aliquod ſe contuliſſet: *Deinde,* inquit, *cognoui, quia ad monaſterium quod in Piceni prouincia ſitum eſt, ſolus pergere ſine aliquo fratrum ſuorum præſumpſit. Ex qua eius actione cognoſcimus, quia qui ſine teſte ambulat, rectè non viuat. At quomodo alijs regulam teneat, quam ſibimet ipſi neſcit tenere.* 4.

De venia verò & benedictione accipienda à Patre monaſterij iam diximus ex Synodo Tarrac. Trullan. & aliis: ſic autem habet Baſilius in inſtitut. Monach. *Si quis egreditur è monaſterio non accepta benedictione, aut non dimiſſus à Patre & Præfecto monaſterij, ſit excommunicatus.* Apud Dorotheum doctrina 9. œconomus excuſat ſe apud Abbatem, quod fratrem aliquò miſiſſet, neque permiſiſſet petere ab illo eũdi facultatem, ne quietem eius poſt vigilias turbaret. S. Benedictus cap. 67. fratres in via dirigendos, omnium fratrum, vel 5.

Abbatis ſe orationibus commendare iubet, in quem locum Smaragdus obſeruat eiuſmodi fratres ante altare proſtratos orationem popoſciſſe, ipſáſque preces ac benedictionem, quæ dabatur, deſcribit Iſidorus c.23. Regular. *Nullus Monachorum inconſulto Abbate audeat vſpiam progredi*, &c. Quando fratres *foras proficiſcuntur, vel redeunt, congregatis omnibus in vnum in Eccleſia benedictionem accipiant.* Ad negotia verò mitti imperat *duos ſpirituales fratres comprobatiſſimos*; non verò aut adoleſcentulos, aut nuper conuerſos. Similia multa circa exeuntes & ingredientes fratres, atque iter facientes ſtatuit magiſter in ſua Regula: quæ omnia facilè oſtendunt nunquam licitum fuiſſe è monaſterio exire pro arbitrio, & ſine Præpoſiti facultate: quod etiam Regula Carmelitar. cap.6. ſanciuit. Ita vt de conſtanti hac praxi non ſit dubitandi locus. Mitto quæ prima diſquiſitione dixi de celeberrimo ſancti Iſidori monaſterio, ex quo ſemel in illud ingreſſis exire non licebat.

6. His omnibus accedit valida ratio, quæ demonſtrat Religioſos obligari non exire è clauſtro abſque Superioris licentia: nam Religioſus per ſui traditionem, quam facit in profeſſione religioſa, & per votum obedientiæ, ita ſub poteſtate Prælati conſtituitur, vt in proxima ſubiectione, & ad obediendum diſpoſitione illum eſſe oporteat; vt poſſit Prælatus, dum libuerit, illi imperare, ipſum regere & cuſtodire, atqui per furtiuum eiuſmodi egreſſum è monaſterio, omnimodæ illi ſubiectioni, & obedientiæ ſe ſubtrahit, quamdiu extra monaſterium verſatur inſcio ſuperiore: nam reuera toto eo tempore neque illi quidpiam imperare, neque ipſum regere, ſiue cuſtodire poterit Prælatus. Et ſicut ſeruus tenetur eſſe ſemper in proxima ſubiectione ſui Domini, neque eius, aut dominio, aut ſubiectioni ſubtrahere ſe poteſt, conſtituendo ſe in eo ſtatu etiam per breuiſſimum tempus, in quo Dominus diſponere de illo tanquam de re ſua non poſſit; alioquin peccat, violando ius domini ſui, aut illius vſum abſque cauſa impediendo, ideóque non poteſt fugere, aut contra ſui Domini voluntatem quopiam ſe conferre. Quàm Religioſi & ſerui à Patribus vſitatam comparationem hac in parte pluribus inſtituam cap.4.

§. II.

Qualis ſit obligatio Religioſorum ad clauſuram.

EX hac ratiocinatione facilè fuerit colligere, quo iure, & quam 7.
graui obligatione teneantur Religioſi legibus clauſuræ, non egredi, nimirum pro arbitrio & ſine licentia è monaſterio.

Dicendum igitur eſt hanc obligationem proximè fundari in natura ſtatus Religioſi, & iure, quod connaturaliter ſequitur ex ſui omnimoda traditione, quam Religioſus in profeſſione ſua religioſa facit Religioni, eiúſque Prælato, qui poteſtatem dominatiuam tanquam in rem ſuam acquirit, vt de illa diſponere poſſit ad libitum & tanquam Dominus in ſeruum, qui quidquid eſt, Domini eſt, & à quo proinde regi, ac cuſtodiri pro arbitrio poteſt, eius tamē obligationis determinatio pendet à iure poſitiuo, ſiue Eccleſiaſtico vniuerſali, ſiue regulari, priuato, quod voluit ad faciliorem eam guberna

gubernationem & ſubiectionem omnimodam Religioſos in eadem domo contineri, ex eáque non egredi inſcio Superiore, atque ita clauſuram aliquam ab illis ſeruari, quæ proinde proximè & formaliter à iure poſitiuo; remotè verò, ſiue fundamentaliter à iure naturali, ſiue ex natura ſtatus Religioſi naſcitur. Hac diſtinctione concilio pugnantes ſententias, & definio intricatam illam quæſtionem, quam fuſiùs diſputauit Nauarrus comment. 4. de Regularib. numer.29. & 30. An obligatio clauſuræ ſit ex iure naturali, an diuino, an humano duntaxat & quonam, an Eccleſiaſtico & vniuerſali, an verò priuato duntaxat? quod poſtremum tandem cenſuit ibid. Nau. & ſupponit Rodriq. tom.1. qq. Regular. quæſt.50. artic.1. Cùm ad ius naturale pertinere voluerit Suar. tract.8. de Relig. lib.1. c.6. num.8.& Ferdinand. à Caſtro Palao tract. 16. diſput.4. punct.7. neque alia ferè probatione indiget noſtra aſſertio, quàm explicatione: nam ex traditione ſui, quam facit Religioſus Religioni & Prælato, naſci omnimodam in ipſo ſubiectionem, & in Religione ac Prælato poteſtatem dominatiuam & gubernatiuam iam ſæpiùs monuimus, & fuſiùs oſtendimus in 2. parte noſtræ ſcientiæ canonicæ: Vnde neceſſariò ſequitur nunquam fas eſſe Religioſo ſubtrahere ſe illi poteſtati & ſubiectioni, aut conſtituere ſe in ea diſpoſitione, in qua nequeat aut gubernari, aut cuſtodiri à Prælato: ſic enim facit iniuriam Religioni eiúſque Prælato, vti diximus, cuius poteſtati ſe ſubtrahit, ac eius vſum impedit. Ex quo fit vlteriùs, vt contra Prælati voluntatem, nihil eorum, in quibus illi ſubiicitur, aut ſuſcipere, aut omittere poſſit: & demum vt quidquid ſiue Eccleſia, ſiue ipſamet Religio neceſſarium eſſe iudicauerit, ad eius gubernationem, aut ſubiectionem retinendam, illud omninò ſeruare teneatur. Cum itaque ſapienter cenſuerit Eccleſia, atque ſingulæ Religiones plurimùm conducere ad Religioſorum ſubiectionem, & ad vſum poteſtatis dominatiuæ, atque iuriſdictionis Prælatorum, vt Religioſi ſimul in eodem Cœnobio cum ſuo Prælato degerent, in eóque manerent: non poterunt illi contra voluntatem Prælati & Religionis alibi commorari, aut etiam inuito Prælato ex illo exire: quandoquidem poteſt æquè exitum è clauſtro prohibere, atque quidpiam aliud ad obſeruationem & diſciplinam regularem pertinens; etſi eiuſmodi præcepta violet Religioſus, reuera peccabit, potuit quoque, tum Eccleſia, tum Religio permanentiam in monaſterio etiam materiali, vt loquuntur, ita præſcribere, vt non modò ex illo exire non liceat Religioſis inuito & reluctante Superiore, ſed etiam ipſo inſcio, ſiue ſine ipſius licentia: quod & reuera præſcripſit, vti tum ex antiquis canonibus, tum ex omnium ordinum Regulis, tum ex conſtanti & perpetua praxi ſuperiore §. euicimus. Ad illam igitur clauſuram tenentur Religioſi vi Regulæ & Iuris Eccleſiaſtici, atque ipſiuſmet conſuetudinis, quæ vim legis obtinet ſine dubio, quæ obligatio iuris ſolius poſitiui & humani ſiue Eccleſiaſtici, ſiue Regularis eſt, vti & obligatio ſeruandi eas leges ab Eccleſia, vel Religione imperatas: neque aliud voluit Nauarrus. Eius tamen obligationis prima radix eſt ius naturale, ſiue natura ſtatus Religioſi, cui eſſentialis eſt omnimodò ſubiectio Religioſi, vt guber

gubernetur & cuſtodiatur à Prælato: quæ ſubiectio & gubernatio non poſtulant aliud eſſentialiter, ſiue ex natura rei, quàm vt Religioſus ſemper maneat in eo ſtatu, in quo ſubiectus ſit Prælato, & ab illo regi poſſit: quod fieret etiamſi Religioſi neque ſimul degerent, neque licentiam exeundi è monaſterio obtinere à Prælato tenerētur. Nam ſatis foret, ſi quoties mandatum Superioris ad illos deferetur, teneantur illi obſequi, & vocari poſſint à ſuperiore, atque illi ſe ſiſtere debeant: & quoties alicubi commorari, aut aliò ſe conferre, aut ſtationem, in qua collocati ſunt, non deſerere iubebuntur, parere omnino teneantur. Sanè Religioſi, qui propter laxatam diſciplinam in pluribus cœnobiis, his clauſuræ legibus non obſtringuntur, neque vt è ſuis domiciliis, quæ ferè ſeparata habent, quamuis intra eiuſdem monaſterij ſepta, exeant, nutum ſuperioris præſtolantur: non ſubducuntur propterea poteſtati ſuperioris, neque liberi ab omnimoda ſubiectione manent: & ſi ſuperior exitum è monaſterio grauiſſimis de cauſis vetaret, illius imperiis obſequi prorſus deberent; vt videas clauſuræ legem ad ſeruandam ſubiectionem Prælato debitam pendere omnino ex humana inſtitutione, & non eſſe iuris naturalis: potiori ratione, quàm ſint aliæ leges humanæ, aut eccleſiaſticæ, vel regulares, quibus parere cogimur ex natura ſubiectionis, & obedientiæ debitæ ſuperioribus: quæ obedientia iuris naturalis quidem eſt: non tamen omnes idcirco leges dicuntur iuris naturalis obligationem afferre, quamuis ex illo iure, quod determinant deriuentur. Quod eleganter oſtendimus prima parte ſcientiæ noſtræ Canonicæ. Quod confirmatur ex diuerſitate legum, quæ circa hanc clauſuram reperiuntur, cum aliæ Religiones ſint aliis rigidiores, vt de monaſterio S. Iſidori referebamus ex Ruffino, & de Carthuſienſibus hodie conſtat & fusè refert Nauarrus loco cit. vbi adductis pluribus ipſorum ſtatutis, tandem concludit: *Eorum clauſuram eſſe quidem carcerem quemdam perpetuum quoad delicias mundanas vitandas; quoad ſpirituales autem & ſemper duraturas aſſequendas eſſe viridarium, pomarium, & paradiſum quemdam terreſtrem, quo rectà in cœleſtem tranſeatur.* Addit hos Patres ſui æmulos habere Canonicos S. Crucis Conimbricæ, & alios quoſdam, de quibus iterum aliquid attingemus diſquiſitione ſequenti.

Dico ſecundò, ne ipſum quidem Pontificem poſſe imperare aliam clauſuram, quàm quæ iure communi indicta eſt, non exeundi ſine licentia, iis Religioſis, in quorum Religione nunquam fuit alia rigidior & ſtrictior, niſi tota Religio in eam conſentiat; aut niſi iis, qui de nouo in ea Religione profitebuntur. Non nego igitur antiquam clauſuram, etiamſi ſtrictior foret, ſi alicubi laxata fuerit, poſſe reuocari ab Eccleſia eodem modo, quo collapſa diſciplina inſtaurari poterit; qua de re in ſecunda parte ſcientiæ Canonicæ fatemur etiam poſſe communi conſenſu annuente, aut etiam imperante Pontifice condi noua ſtatuta à Religionibus circa clauſuram ſeueriorem inducendam, aut renouandam, retinendámve, ſicut circa alios regulares mores & diſciplinam: quod etiam loco allato diſputamus. Denique concedimus Pontificem, & Eccleſiam poſſe nouas leges condere ſingulis ſtatibus eccleſiaſticis, ad quas deinde 8.

deinde qui illos ſuſcepturi ſunt, teneantur: quod etiam diſquiſitione ſuperiori monuimus, exemplo continentiæ imperatæ ſacris miniſtris, & impedimẽtorum inualidantium profeſſionem Religioſam. Negamus itaque duntaxat hoc loco poſſe Pontificem Religioſis, apud quos nunquam alia ſeruata fuit clauſura, quàm quæ iure communi priori §. adducto, & ipſorum regulis imperatur, præſcribere clauſuram perpetuam, ſicuti Monialibus factum eſt à Bonifacio VIII. Trident. & à ſubſequentibus Pontificibus, aut ſimilem clauſuræ Carthuſienſium, aliámque eiuſmodi contra quoſdam apud Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 2. num. 21. & Sala de legib. diſp. 8. ſect. 12. num. 61. quibus adhæſit Bonac. diſp. 1. de legib. quæſt. 1. punct. 3. num. 19. verùm Sanch. loco cit. & num. 42. quem tamen malè in ſuam ſententiam adducit Bonac. ſapienter dixit, ne ipſum quidem Pontificem poſſe indicere Religioſis nouas auſteritates, quæ ſecundum Regulam non ſint, ad eámque directè, vel indirectè, aut ſaltem reductitiè non pertineant; quæ eſt communior quoque ſententia alibi fuſiùs ſtabilienda, & quam euidentiſſima ratio perſuadet. Pontifex enim nullam aliam poteſtatem in Religioſos habet, quàm vel generalem iuriſdictionem, qua pollet in omnes fideles; vel particularem, quatenus Religioſi ſunt. Et prior quidem illa vniuerſalis non facit, vt vel clauſuram, vel aliam quampiam ſeueriorem viuendi rationem poſſit imperare Religioſis potiùs, quàm aliis fidelibus, cùm æqualem in omnes, vt ſic, habeat iuriſdictionem; quare vel omnibus idem poterit iubere, quatenus ad obſeruantiam legis Chriſtianæ neceſſarium erit: vel ſi aliquibus fidelibus iubere quidpiam nequit, neque aliis idem iubere poterit, ex ea præcisè poteſtate. Peculiaris verò poteſtas, qua pollet Pontifex in Religioſos, non aliunde oritur, quàm ex obedientiæ voto, quod emittunt, & quo Pontifici tanquam ſupremo omnium Ordinum Generali obligantur potiori quadam ratione, quàm cæteri eccleſiaſtici: quæ eſt certa & conſtans omnium Doctorum ſententia. Vnde fit, vt ea poteſtas Pontificia non excedat limites voti obedientiæ, quæ non excedit ea, quæ in Regula directè, aut indirectè continentur, vti paucis explicuimus diſquiſit. priori cap. 1. §. quare non poterit imperare auſteritates, quæ in Regula non comprehendũtur aliqua ſaltem ratione, quatenus videlicet ad eius obſeruationem ſunt neceſſariæ. At verò clauſura perpetua, & qualis Monialibus indicta fuit, non continetur in communibus Religioſorum Regulis etiã reductitiè, conſtans enim Eccleſiæ praxis, & ipſæmet Regulæ, quæ aliam ferè clauſuram, quàm communem illam non exeundi ſine licentia Superioris non exigunt, euidẽter oſtendunt illam minimè neceſſariam eſſe ad viuendi modum Religioſum, aut Religioſæ diſciplinæ obſeruantiam, vti neceſſaria eſt Monialibus, quibus idcirco illam imperare potuit Eccleſia, non autem viris, niſi ipſorum priuatæ Regulæ ita poſtulent, aut in peculiari aliquo caſu bonum Religionis, & eiuſmodi aliæ grauiſſimæ cauſæ id exigant. Ideóque ſapienter Pontifices ingreſſum mulierum in clauſtra Religioſorum omnino prohibuerunt; atque eo ex capite clauſuram virorum arctarunt vt periculis infamiæ, & piorum ſcandalis, atque offenſioni occurrerent: quod

cap. vlt. huius diſquiſit. oſtendam. Simili de cauſa poterit Pontifex ſtatuere, ne Religioſi abſque licentia ſua, aut Epiſcopi, alicuiúſve alterius vnà cum venia proprij Prælati diutiùs, aut longiùs à ſuis monaſteriis diſcedant, niſi certis de cauſis, aut propter grauiſſima negotia. Ita Bonacin. 2.2. quæſt.1.articul.10. dub.6. ſub fin. & Sanch.cap. citat. num.43. qui & in hunc ſenſum interpretatur eos Doctores, qui clauſuram Monachis indici poſſe à Pontifice dixerunt, & ſapienter addit ſimili quoque ratione ab aliis Superioribus indici poſſe ſuis Monachis: quia & illi poſſunt imperare quæ ſunt ſecundum regulam modo explicato, qua de cauſa diſquiſitione Superiori cõtendebamus Superiores propria ſua authoritate, & non tantum à bullis pontificiis & Tridentini decreto deriuata potuiſſe omnimodam clauſuram Monialibus imponere: quia illa cum neceſſaria ipſis ferè ſit ad caſtitatem ſeruandam, & modum viuendi Religioſum tenendum, itáque ab omnibus ſapientibus iudicetur, vt ex ipſo deinde communi Eccleſiæ ſenſu conſtitit, reuera eſt ſecundum regulam, & in ea ſaltem reductitiè continetur: vnde vlteriùs neceſſariò ſequitur, ſi concedamus Pontifici poteſtatem iubendi viris religioſis clauſuram perpetuam & omnimodam aut ſeueriorem illam Carthuſienſium, & aliorum quorundam, ſimilem quoque poteſtatem faciendam eſſe Superioribus, quia etiam illi poſſunt ex voto obedientiæ ſibi debitæ imperare omnia, quæ quacumque ratione in Regula continentur, cum enim totam ſuam regulam ſeruare teneantur Religioſi, Prælati illam totam præcipere poſſunt, & ſubditi obligantur obedire, quoties imperia, voti obedientiæ ab illis emiſſi limites non excedunt, vti reuera non excedunt eo caſu: neque Pontifex aliam, vti iam ſæpiùs repetere cogimur, habet poteſtatem ad ſimilia iſta imperia, quàm ex illo ipſo obedientiæ voto. Quod enim aliqui diſcrimen hac in parte conſtituunt inter Pontificem & Prælatos Religionum, quòd iſti limitatam habeant iuriſdictionem iuxta votum obedientiæ & Religionis; Pontifex verò habeat abſolutam & illimitatam, falſum eſt: nam ſi agamus de poteſtate iuriſdictionis, certum quidem eſt eius plenitudinem in Pontifice reſidere, & ab illo in Prælatos omnes deriuari ſecundum illam partem, ſecundum quam à Pontifice illis communicatur. Verùm hæc iuriſdictio pontificia æquè reſpicit omnes fideles & omnes ſtatus Eccleſiaſticos, & non peculiariter, aut magis obſtringit Religioſos, quod nuper monebamus. Si verò agamus de poteſtate dominatiua, & peculiari in Religioſos, illa non eſt abſoluta & illimitata in Pontifice quoad quamcumque materiam; ſed limitatur ex voto obedientiæ, ex quo duntaxat naſcitur; eſt tamen illimitata quoad perſonas: quia Pontifex ea pollet in omnes omninò Religioſos & in omnes ordines. Eſt quoque illimitata quoad tempus; quia nunquam ab illo tolli, aut reſtringi poteſt. Eſt tertiò illimitata quoad dependentiam, cum poteſtas Superiorum Regularium quoad illa omnia limitata ſit; quia eam non habent, niſi in certas perſonas, neque niſi quamdiu ſunt Superiores. Deinde ab illis tolli poteſt, aut reſtringi vel ab ipſa Religione, vel ab alio maiori Superiore, vel ab ipſo denique Pontifice, vel circa vnam aliquam materiam,

riam, vel circa tempus. Ex quibus tamen non ſequitur, niſi illis limitetur ſua poteſtas, illos non poſſe omnia, quæ continentur quoquo modo in Regula, imperare, aut Pontificem poſſe aliud quidpiam iubere. Quare ſi ſpectetur natura illius poteſtatis, imperare poterunt clauſuram perpetuam & extraordinariam, ſi ipſe Pontifex illam iubere poſſit, niſi, vt dixi, aliunde illa ipſorum poteſtas limites accipiat.

9. Vnde quoque colliges cum Sanchez cap. 2. cit. num. 44. quo iure Pius V. anno 1567. ſuo diplomate cauerit, vt omnes Franciſcani conuentuales in Hiſpania è ſuis monaſteriis eiicerentur, & ad aliquem ordinem mendicantium tranſirent; atque adeò multò arctiorem, ſeueriorémque vitam amplecterentur, illa, quam primam profeſſi fuerant: quia propter corruptos mores ipſorum, & perpetua ſcandala, quæ ex ea vitæ ratione in illis regionibus quotidie naſcebantur, conſultis Doctoribus neceſſarium omnino viſum eſt ad ſeruanda tria vota Religionis, quæ emiſiſſent, & antiquam diſciplinam reſtituendam eiuſmodi mutationem imperare. Fuitque ea ſententia in pœnam criminum admiſſorum, potiùs, quàm lex, aut ſtatutum indicens aliquid ſuprà antiquam regulam in profeſſione ſuſceptam: neque dicas ſententiam latam contra partem non citâtam & inauditam, vti in hoc caſu contigit, eſſe ipſo iure nullam, atque limites humanæ poteſtatis etiam ipſius pontificiæ excedere. Nam quoties crimen publicum, & notorium eſt, ac per ſe probatum, vti erant iſta ſcandala, poteſt Rei citatio omitti à ſupremo Principe; vt ait Bald. in l. nec cauſas, num. 3. C. de appellat. & Nauar. cap. 25. Enchirid. num. 10. Non negamus itaque & clauſuram perpetuam, & carcerem infligi poſſe tanquam pœnam Religioſis; inde tamen non efficitur illam per modum legis, & ſtatuti poſſe inuitis imperari, contra quàm aut ius commune, aut ipſorum priuatæ Regulæ præſcribant.

Dicendum eſt tertiò, violationem clauſuræ hactenus explicatæ, exeundo ſcilicet è monaſterio abſque licentia, grauem aut leuem, mortalem, aut venialem eſſe, prout per illam grauiter, aut leuiter læditur ſubiectio debita Superiori, cui per eiuſmodi exitum illi ſeſe ſubtrahit Religioſus, vti dicebam §. ſuperiori. Atque ita compono diſſidia Doctorum. Nauarrus enim vult num. 35. comm. 4. de Regul. hanc violationem clauſuræ, ſecluſo ſcandalo & contemptu aut eſſe tantùm venialem, aut culpæ omnis immunem, quando imperatur tantùm per regulam, quæ in multis ordinibus non obligat ſub peccato. Ipſi adhæſit Bonac. diſp. de clauſura quæſt. 2. punct. 1. Suarez verò cap. 6. citato num. 7. & ſequenti contendit ex ſuo genere eſſe mortalem; fieri tamen venialem ex leuitate materiæ, vti in aliis pleriſque contingit. Mihi viſum eſt ex hactenus diſputatis totam malitiam huius violationis eſſe deſumendam ex violatione ſubiectionis debitæ Superiori, cuius regimini ac cuſtodiæ ad aliquod tempus ſe ſubtrahit Religioſus per eiuſmodi egreſſum modo ſuperiùs explicato: quæ ſubtractio à ſubiectione debita ratione voti obedientiæ, & traditionis ſui ipſius factæ Religioni ex ſua quidem natura, genericè ſumpta grauis omnino eſt: quod vnum, vt exiſtimo, voluit Suarez; at verò ſpecificè aut potiùs indiuidualiter ſumpta, & vt actu exercetur,

10.

cetur, modò grauis, modò leuis eſt. Cum itaque ex ea grauiori aut leuitiori ſubtractione Religioſi à debita ſubiectione, gubernatione & cuſtodia Superioris, deriuetur tota malitia in violatione clauſuræ. & egreſſu è monaſterio ſine licentia, attendenda erit grauitas, vel leuitas eiuſcemodi ſubtractionis, vt liquidò de malitia violationis clauſuræ pronuncietur: quod explicatur illo ſerui exemplo, quo ſub finem prioris §. vſi ſumus: idcirco enim ſeruus fugitiuus damnatur, quia ſua fuga ſubtrahit ſe dominio Domini ſui, ſiue eius diſpoſitioni: ſi verò aliquapiam ratione eidem dominio ſe ſurripiat, peccabit etiam, neque alia eius peccati menſura erit, quàm prout grauis, aut leuis erit illa ſubtractio, ſi v. g. diutius vagetur, aut ſi fugam capiat non rediturus, aut non niſi poſt longius aliquod tempus, grauiter peccabit, quia ius Domini grauiter lædit; ſi verò vt propriæ indulgeat voluntati, Domini oculis & imperiis ſe per horam ſubtrahat etiã cum aliquo ipſius incommodo, ac leui damno, qui interea eius opera vti nequit, neque quæ ſuſceperat, negotia gerere, non exiſtimatur grauiter peccare: quia illa ſubtractio à Domini imperiis propter breuitatem temporis reipſa leuis eſt. Eadem ratione filia, quæ ſub cuſtodia patris latet, ſi furtim diſcedat è domo paterna renitente patre peccat, quia ius paternum violat: ſi tamen per vnam, aut duas horas diſcedat, vt cum ſociabus diſcurrat, aut aliquas inuiſat, non damnatur grauioris noxæ: quia ius paternum eo exitu leuiter admodum læſum fuit. Prout igitur ius, quod Superior habet cuſtodiendi & regendi Religioſum, aut illi imperandi, per exitum è monaſterio ipſo inſcio, & violationem clauſuræ grauiùs aut leuiùs læditur, erit quoque grauior, aut leuior culpa violatæ clauſuræ. Ex eáque vniuerſali & certa regula facile fuerit circa ſingulares caſus definire, quando mortaliter aut venialiter in eiuſmodi illicito egreſſu peccatum fuerit. Atque ita egreſſus per apoſtaſiam animo non reuertẽdi, aut etiam per fugam ſolam; ſi ab apoſtaſia diſtincta ſit, graue peccatum eſt: quia vel omninò ſe ſubtrahit cuſtodiæ & ſubiectioni Superioris, vel ad longius tempus, & grauem illi infert iniuriam. Furtiuus & nocturnus egreſſus damnatur à Clemente VIII. & inter caſus reſeruatos recenſetur, ac proinde peccatum mortale eſt: quia violatur cuſtodia monaſterij, & aliũde omnino grauis eſt, vt apparet in egreſſu nocturno filiæ inuito patre; nam etiam ſi fiat ex quadam animi leuitate, & ſine malo animo, grauis cenſebitur. Idem quoque dicendum erit de diurna egreſſione animo pernoctandi extra monaſterium, quæ etiam propter varias circunſtantias diſplicet admodum Superiori, ipſiúſque cuſtodiam lædit. At verò diurna egreſſio ad paucas horas per conſuetam ianuam, & modo alioquin vſitato, ſine licentia tamen, non exiſtimatur à Suar. Ferdinand. à Caſtro, & aliis, grauis culpa: quia non eſt grauis ſubtractio à ſubiectione Superioris, niſi ſit, aut aliunde malus animus, aut prohibitio expreſſa Superioris, aut priuata regula & ſtatutum, aliæve ſimiles circunſtantiæ.

Dicendum eſt quartò conſuetudine derogari poſſe legibus clauſuræ, 19
ſicuti diximus de clauſura Monialium, & in omnibus aliis legibus merè poſitiuis contingit: neque proinde tollitur poteſtas Superiori regendi,

gendi, aut cuſtodiendi ſubditum, vti ex diſputatis facilè conſtat: neque in re adeo perſpicua diutiùs immorandum videtur.

CAPVT II.

De licentia viris Religioſis neceſſaria ad exeundum è monaſterio.

CIRCA hanc licentiam, quam neceſſariam eſſe demonſtrat doctrina hactenus tradita, tria quærenda ſunt: primum, à quo obtineri ea debeat: ſecundum, qualis ea ſit: tertium, quibus ex cauſis concedi poſſit. Duo priora capita priori §. Tertium altero explicabimus. Ex quibus plurima conſectaria circa caſus ſingulares ſolemni noſtro more deducemus.

§. I.

Quis dare poſſit licentiam viro Religioſo exeundi è monaſterio.

1. DIco primò monaſterij Superiorem, ſiue immediatum ſiue mediatum permittere poſſe egreſſum è monaſterio ſpectato iure communi: quod poſtremum addiderim; quia priuatis quorumdam Ordinum Regulis hæc facultas cum quibuſdam exceptionibus Superioribus immediatis attribui poterit, ne v.g. ad diuturnam moram; aut non niſi ad ſubitanea & inopinata negotia, prolixiorem abſentiam, aut longius iter concedant. Itaque in his Ordinibus quilibet Superior, quod ſibi permiſſum, quódve prohibitum fuerit, diligenter attendere debet: nos enim iura duntaxat communia ſpectamus, dicimúſque omnem Superiorem, cui totius monaſterij gubernatio incumbit, poſſe hanc licentiam concedere, ſiue ſit immediatus Prælatus illius Cœnobij, ſiue mediatus & illiúſmet Prælati Superior, vt ſunt Generales, Prouinciales, aliique ſimiles. Ita Nauarr. comm. 4. de Regular. num. 34. Suar. Ferdinand. à Caſtro Palao, Bonacin. locis ſuperiorici capite adductis, & alij deinceps. Ratio eſt, quia nomine Superioris abſolutè ſumpto intelligitur tum mediatus, tum immediatus; ius verò commune exigit licentiam Superioris ad eiuſmodi exitum, neque diſtinguit inter Superiorem mediatum aut immediatum. Et ſanè ſi localis & immediatus Prælatus hanc veniam facere poteſt, multò magis poterit mediatus, Prouincialis nempe & Generalis, qui & maiori authoritate in ſingulas domos & ſingulos quoque Religioſos pollet, & ipſis Prælatis inferioribus imperare, ipſorúmque poteſtatem temperare poteſt. Non eſſe porrò negandam hanc facultatem inferioribus Prælatis inde patet, quòd alioquin clauſura ferè perpetua tenerentur Religioſi, cum ſæpius Superior mediatus longiùs abſit, quàm vt ab ipſo poſſit peti licentia, maximè ad quotidianos & ordinarios caſus. Nam quoad quædam negotiorum genera illam ſibi ſoli vindicare poterit maior Superior, ſi bono communi, aut Religionis, aut monaſterij, ipſiúſque Religioſi expedire videbitur: & vti iam diximus, aliquando ipſis priuatis conſtitutionibus ita omninò cauetur.

Dico ſecundò ſufficere licentiam 2.

tacitam vel expreſſam, generalem, vel ſpecialem, niſi & ſingularibus Ordinum legibus expreſſa & ſpecialis exigatur. Ita Doctores nuper laudati, & alij paſſim. Et quidem ſufficere tacitam permiſſionem patet ex communiſſima regula: Tacitum & expreſſum parem vim habere, l.cum quid, ff. de reb. cred. & cap. 2. de Reſcript. Deinde quoties lex abſolutè, & ſimpliciter licentiam exigit, neque vtrum ſit expreſsè concedenda, explicat, non debet reſtringi ad expreſſam conceſſionem; falſúmque eſt, quoties licentia exigitur ad aliquem actum, expreſſam exigi, vti latiſſimè oſtendimus in noſtra ſcientia Canonica cum Sanchez lib. 3. de matrim.diſp.35. & lib.6. in Decalog. cap.11. num.11. & aliis ibid. magno numero adductis. Vnde etiam quod eo loco oſtendimus communiſſima ſententia S. Thom.2. 2. q. 32. art.8. ad 1. & aliorum, quos bene multos allegat Sanch. lib.7. in Decalog.c.19. num. 4. Tacitam licentiam ſufficere exiſtimat, vt Religioſus aliquid recipiat aut expendat abſque violatione voti paupertatis, qui potiùs concedent ad exitum è monaſterio ſufficere eamdem licentiam, cum multò minor ſit obligatio clauſuræ, quàm voti paupertatis, vt patet, quorum omnium ratio eſt; quia quoties præſumitur rationabiliter ſuperiorem aliquid velle, quamuis eius expreſſus conſenſus non habeatur, reuera non dicitur res fieri ſine licentia, ac proinde non violatur lex quæ fieri prohibebat ſine licentia.

3. Addebam generalem licentiam hac in parte ſatis eſſe, qualem habent Oeconomi & Procuratores monaſteriorum: quod ipſa praxis & vſus Ordinum etiam bene inſtitutorum ſatis oſtendit: in quibus permittitur eiuſmodi officialibus exire, quoties id neceſſarium eſſe iudicabunt. Obſeruátque Nauarr. comm.4.cit. n.34. id alicubi Senioribus & Doctoribus quibuſdam permitti. Ratio verò eſt, quia regulariter tantum valet generalis facultas, & clauſula quoad contenta in genere: quantum ſpecialis quoad contenta in ſpecie l.1. §.quod autem, ff. de Aleæ luſorib.& cap.ſolitæ, de maioritate & obedient.

Dico tertiò, vrgente grauiſſima neceſſitate poſſe Religioſum exire è monaſterio ſine licentia Superioris. 4.
Ita Suar. tract. 8. de Relig. lib.1. c.6. num. 11. Vt cum ſubueniendum eſt proximo morienti, aut vim patienti, neque poteſt peti licentia: tunc abſque illa exeundum erit, propter præceptum charitatis proximi, quod magis vrget & obligat, quàm præceptum clauſuræ: éſtque illa certiſſima regula fuſiùs in noſtra ſcientia Canonica ſtabilita, quando duo præcepta ſimul concurrunt, illud, quod maioris obligationis eſt, ſeruandum omnino eſſe; alioquin eſſemus in caſu perplexitatis; qui tamen nunquam datur, vti in eodem opere docuimus. In his tamen omnibus caſibus præſumi iure poterit licentia Superioris, vti monet Suarez; quare tunc non exibitur ſine licentia ſaltem tacita, & interpretatiua, quam ſufficere proxima aſſertione diximus.

Itaque tota difficultas eſt, an quando in ſimili aliquo caſu petitur licentia, eáque negatur; poſſit nihilominus inuito & reluctante Superiore Religioſus exire. Qua in re ſeruanda erit regula priori diſquiſitione cap.5. §.2.conſect.8. & 9. tradita, nempe ſi res dubia ſit, ſtandum eſſe iudicio Superioris, & generali principio alibi tradito, ſubditum teneri in dubiis obedire Superiori; ſi verò

grauis

grauis ea neceſſitas certa ſit, vt imminens proximi mors, abſque abſolutione, & euidenter conſtet ſuperiorem malè negare licentiam, ſiue ex prauo affectu, ſiue ex falſa præſumptione, abſitque omne ſcandalum, & infamia Religionis; poterit ſubditus reluctante ſuperiore exire, quamuis ſapienter moneat Suar. eodem loco hunc caſum rarentur admodum contingere.

5. Dico quartò, hanc licentiam aliquando eſſe per modum diſpenſationis; aliàs verò & communiter non eſſe; atque ita Suarem cum Nauarr. compono. Quoties enim vel ius commune, vel priuatæ regulæ prohibent exitum è monaſterio ſine licentia, non diſpenſatur in lege, quando datur licentia; ſed potiùs impletur lex, cuius materia eſt ipſa licentia, vti explicuimus diſquiſitione proxima c.5. §.2. conc.1. Idque vnum voluit Suar. At verò quando abſolutè & ſimpliciter prohibetur egreſſus, vel ad certa quædam negotia, aut non niſi ex ſingulari quadam cauſa, quam lex deſignat, & fit licentia exeundi, aut ad illa negotia, ad quæ exire prohibebatur, aut ex alia quapiam cauſa, quàm illa ex qua permittitur egreſſus à lege ſiue communi, ſiue priuata: tunc reuera diſpenſatio eſt: quia permittitur aliquid fieri, quod reuera lex prohibet, aut aliter quàm ipſa permittat: quæ eſt vera diſpenſatio, idque omnino contendebat Nauarr.

§. II.

An licentia facta Religioſo à Superiore egrediendi è monaſterio requirat aliquam cauſam, & qualem.

Dicendum eſt primò: quoties licentia egrediendi è monaſterio non eſt diſpenſatio, non requirit iuſtam cauſam, vt valida ſit; ſecus verò ſi ſit vera diſpenſatio. Ita Suarez cap.6. cit. à num.12. quia lex in primo caſu aliud non poſtulat, quàm licentiam Prælati ad eiuſmodi exitum: ergo quando illa obtinetur, ſiue Prælatus eam prudenter concedat, atque ex cauſa rationabili, ſiue imprudenter ex ſola animi libidine: non violatur lex clauſuræ, quæ prohibet duntaxat egreſſum ſine licentia: neque addit, ex qua cauſa danda ſit, ſed id totum relinquit arbitrio Superioris, quæ poterit quidem per imprudentiam peccare concedendo licentiam eiuſmodi; validè tamen concedet. Neque peccabit ſubditus contra clauſuræ legem vtendo eiuſmodi licentia, licet temerariò datam fuiſſe cognoſcat; poterit tamē aliunde pecccare, vt ratione ſcandali, aut aliarum circumſtantiarum, ſicut non violat legem ieiunij, qui cibis vetitis abſtinet, licet aliis permiſſis ſe ingurgitet, atque adeò peccet contra temperantiam. Et tandem ipſe Nauar. comm.4. de Regul. num.36. fatetur eiuſmodi licentia imprudenter conceſſa vtentem non incurrere pœnas exeuntis abſque licentia: quia reipſa exiuit cum licentia; quod etiam verum eſt in Religioſo malè aliquid expendente ex licentia Superioris: non enim pœnas proprietarij incurrit: quia reuera non expendit 6.

ſine licentia, vt Nauarr. comment. 2. de Regular. num. 21. Sanch. lib. 7. in Decalog. cap. 19. num. 25. & alij concedunt, quamuis aliunde peccet: quia eiuſmodi licentia ſine cauſa inualida eſt, vt tradit ibid. Sanch. numer. 21. quamuis benè multi ab eodem relati numer. 20. negent eo caſu peccari contra votum paupertatis: quia tunc Religioſus nihil vſurpat ſine licentia Superioris; & ad eius nutum omnia relinquere paratus eſt: qua de re fuſiùs alibi: multò minus violatæ clauſuræ in noſtro caſu, reus erit dum exibit ex licentia Superioris malè & ſine cauſa conceſſa, quando licentia non eſt diſpenſatio. At verò quando licentia vim diſpenſationis obtinet, vti explicuimus §. 1. conc. vlt. reuera indiget iuſta cauſa, alioquin inualida eſt. Cum enim Superior tunc diſpenſet in lege Superioris, ſiue illa ſit ius commune, ſiue priuatum ipſius Religionis, inualidè ſine cauſa diſpenſat, vti fatentur communi conſenſu Doctores à nobis alio loco adducti. Quoties igitur vel lex requirit cauſam in vniuerſum, vel aliquam certam, & diſpenſatur in ea obligatione legis; ſi iuſta cauſa non ſubſit, reuera nulla eſt diſpenſatio, & peccat Superior, atque etiam ſubditus, qui vtitur eiuſmodi diſpenſarione, quam tamen ſcit, aut ſuſpicatur inualidam, propter legitimæ cauſæ defectum: ſi enim confiſus Superioris ſui prudentiæ exiſtimet, vti poteſt, proprio dubio depoſito, Superiorem validè diſpenſaſſe, non peccat.

7. Dico ſecundò grauiorem aut leuiorem cauſam neceſſariam eſſe, vt prudenter, atque etiam aliquando validè concedatur licentia exeundi è monaſterio, quæ aſſertio ſequitur ex Superiore, pro ratione videlicet prohibitionis exeundi, & pro diuerſitate eiuſmodi exitus, qui aut diuturnior, aut breuior eſt, & cum maiori aut minori receſſu à monaſterio, & pro variis negotiorum generibus, ad quæ permittitur; quæ omnia ex diuerſis circunſtantiis expendenda erunt. Cum enim lex clauſuræ virorum neque certas quaſdam cauſas nominatim deſignet, neque certum modum ac formam licentiæ præſcribat, vti præſcripſit circa clauſuram Monialium: hæc omnia prudentiæ Superiorum reliquit quamquam deinde aliquæ Religiones ſuis ſtatutis nonnulla definierint, quæ omninò attendenda erunt, & ad eorum mentem licentia danda aut neganda erit.

§. III.

Conſectaria ex doctrina ſuperiori.

CONSECTARIUM I.

An Prælatus poſſit permittere Religioſo commorari extra monaſteria.

RAtio dubitandi petitur ex eo quod exitus è monaſterio & commoratio extra illud nō ſit vnum & idem: vnde prohibita commoratione extra monaſterium, non ſtatim prohibetur exitus ex illo; quamuis prohibito exitu neceſſario prohibeatur commoratio, quæ exitum è monaſterio ſupponit, è contrario verò permiſſo exitu è monaſterio, non idcirco permittitur commoratio extra illud: quare in regula ſancti Benedicti, qui diriguntur ad reſponſum, ſiue negotium extra monaſterium, 8.

naſterium, iubentur foris non comedere, ſi eodem die ſint reuerſuri, raróque permittuntur extra monaſterium pernoctare. Ex eo igitur, quòd Superior poſſit permittere egreſſum è monaſterio, non propterea poterit permittere commorationem extra illud; aliunde tamen cum eadem iura & eodem modo ſæpiùs loquantur de exitu, & commoratione extra clauſtrum, dum manſionem in illo imperant: videtur aut vtrumque à Superiore permitti poſſe, aut neutrum.

Reſpondeo & dico: licentiam commorandi extra clauſtrum, & monaſterium fieri poſſe Religioſo non modò à Pontifice, ſed etiam à Prælato regulari, propter grauiſſimam neceſſitatem, aut vtilitatem monaſterij & Religionis, aut ipſiuſmet Religioſi, vel proximi: neque propterea eximitur ille Religioſus à votorum, aut regularis diſciplinæ obſeruatione, quantum ille ſtatus patitur. Ita Nauarr. comm. 2. de Regularib. num. 16. & 40. & comm. 4. num. 36. Suar. tract.8. de Religione lib.3.cap.7.num.3. à S.Fauſto in Theſau. Religioſ. quæſt. 160. Tamburin. tom.3. de iure Abbat.diſp.8. quæſ.6. num.3. Bonac. diſp. de clauſura q.2. punct. 1.

9. Et quidem de pontificia licentia nequit eſſe dubium, ſi illa aliis Prælatis ipſo inferioribus conueniat, vti omnino conuenire volunt laudati Doctores, & ſupponunt paſſim alij in aliis conſectariis, & variis quæſtionibus inferiùs adducendi. Itaque tota difficultas eſt de Prælato regulari; de quo probatur. Primò, quia illi ipſi Canones, qui commorari iubent Monachos in ſuo monaſterio, & extra illud manere prohibent, addunt ſemper ſine licentia Epiſcopi, cui id temporis ſubiiciuntur; aut ſine imperio Abbatis, vti ex cap. ſuperiori, §.1. conſtabit: quibus adde Concil. Chalcedon. canon.4. iubet enim Monachos. *In quibus ordinati ſunt locis fortiter perſeuerantes, nec eccleſiaſticis, nec ſæcularibus negotijs ſe ingerere, vel communicare, propria relinquentes monaſteria, niſi quandoque à Ciuitatis Epiſcopo eis permiſſum fuerit.* Vnde tamen malè infert Balſamon in ſcholiis, ſi hanc facultatem poteſt facere epiſcopalis permiſſio, multò magis id poſſe imperialem poteſtatem, quæ ipſos Epiſcopos promouet. Sed quàm putidè Balſamon, aliíque Græci poſteriores ſuis Imperatoribus adulati fuerint, ipſiſque in omnia ſacra authoritatem tribuerint, ſæpiùs tum in ipſo Balſamo, tum in Cedino aliiſque licebit obſeruare. Eadem Synodus Clericos & Monachos, qui ſine Epiſcopi mandato in vrbe Conſtantin. morabantur, vult ab Eccleſiæ defenſore moneri, vt vrbe excedant; & niſi pareant, excommunicari. Quare cum Alexander II. in cap. iuxta, 16. quæſt.1. præcipit Monachis in clauſtro morari, intelligendus eſt, niſi licentia Prælati aliud permittat. Nam ſequi ſe ait. *Chalcedonenſis Concilij tenorem*; quod, vt diximus, cum mandato Epiſcopi eam commorationem extra clauſtrum probat. Addit deinde Alexand. *ad normam ſancti Benedicti intra clauſtrum morari præcipimus*; quæ verba duplicem poſſunt habere ſenſum: primus eſt, vt Monachis ad normam S. Benedicti viuentibus hanc commorationem in clauſtro præcipiat: atque ita reliqui Monachi aliorum Ordinum, & multò magis alij Religioſi hac lege non tenerentur: quod Alexandrum voluiſſe nemo dixerit: cur enim

 omnibus

omnibus aliis permiſerit extra clauſtrum morari, & ſolis Monachis Benedictinis id prohibuerit? Neque ſanè inſiſteret veſtigiis Concilij Chalcedonenſis, quod de omnibus Monachis egit, & cui ignoti erant Monachi Benedictini, cum neque Benedictus ipſe ea ætate extitiſſet, habita enim fuit Chalcedonenſis. Synodus an. 451. vti oſtendit Baron. eodem anno, cum Benedictus natus tantùm fuerit an. 480. quod demonſtrat idem Baron. an. 494. quo Benedictus annos 14. natus in eremum ſeceſſit. Nam cum Leo Oſtienſis ex antiquioribus Caſſinenſis Cœnobij monimentis affirmet illum obiiſſe an. 542. vixiſſéque 62. neceſſe eſt an. 480. editum fuiſſe in lucem 30. ferè annis poſt Chalcedonenſe Concilium, quod proinde legem ipſius Monachis non tulit. Alter itaque ſenſus verborum Alexandri eſt, vt præcipiat Monachis morari intra clauſtrum ad normam S. Benedicti, ſiue prout ſanctus Benedictus in ſua Regula præcipit neque per vicos, aut caſtella diſcurrere prædicationis obtentu, à qua omninò ipſos ceſſare vult. Itaque videtur Alexander duntaxat eas peregrinationes, quæ prædicationis Euangelicæ cauſa ſuſcipiebantur à Monachis, prohibuiſſe, vti illas quoque ſuis prohibuerat ſanctus Benedictus, quos in clauſtro ſibiipſis vacare imperarat. Licebat porrò ex eodem S. Benedicto, aliiſque antiquioribus regulis Reſponſales, aut vti appellabant, Oeconomos diutiùs aliquando à monaſterio abeſſe ad gerenda ipſius negotia, quod ex ipſomet Oeconomi officio, quod pluribus deſcribit Iſidor. Epiſt. ad Leufredum Epiſcopum Cordubenſem, neceſſariò colligitur, ad ipſum enim ſpectabat reparatio, atque conſtructio baſilicarum, actiones Eccleſiæ in iudiciis, cura agrorum, cultura vinearum, & alia eiuſmodi, ad quæ quandoque ipſum extra monaſterium morari neceſſe erat. Non igitur Alexander prohibet Monachos morari extra clauſtrum, niſi vbi id negant Superiores, neque illis tollit facultatem concedendi eiuſmodi licentiam. Quod verò Eugenius cap. placuit 2.16. quæſt. 1. edicit in Conc. Romano, *Nequis Monachus ex monaſterio pro lucro terreno, nefandiſſimo auſu exire præſumat, & vt ſit clauſtro ſuo contentus: quia ſicut piſcis ſine aqua caret vita, ita ſine monaſterio Monachus.* Damnat ſolam præſumptionem exeundi è monaſterio auſu nefandiſſimo, quæ præſumptio, & nefandiſſimus auſus eſſe non poteſt, quoties licentia Prælati obtinetur. Confirmatur ex Conciliis conſectario 4. afferendis, de non adeundo palatio, abſque Superioris licentia. Si enim illa fieri poterat, vt quis in curiam verſaretur, cur non etiam, vt alibi moraretur, vbi grauis aliqua ratio ita poſtularet.

Secundò hanc eandem facultatem 10.
in Prælatis ſupponunt paſſim Doctores, dum quærunt, an eo caſu monaſterium debitis & contractibus à Monacho celebratis teneatur: an eadem licentia, quæ datur ad commorãdum extra monaſterium, ſufficiat, vt ille Monachus acquirat peculium, aut ſibi foris donata, alióve modo licito acquiſita conuertat in vſus proprios; an eximatur à Prælato, legibus religioſæ diſciplinæ, dum monaſterij habitatione & clauſura eximitur. Quæ aliæve ſimiles quæſtiones inutiles profectò eſſent, ſi Superior licentiam morandi extra clauſtrũ facere non poſſet Religioſo.

Tertiò

11\. Tertiò idem euincit ratio: quia iſta in clauſtro perſeuerantia non eſt de eſſentia ſtatus religioſi, cùm ſine illa vota Religionis ſeruari poſſint. Nam de caſtitate conſtat ex Clericis ſæcularibus; de paupertate quoque certum eſt, cum neque propterea dominium aliquod acquirant eiuſmodi Religioſi, neque vllum vſum habeant niſi dependentem, vti iterum monebimus inferiùs, maximè cap. 4. Obedientia denique ſeruatur cum maneat debita ſubordinatio ad Prælatum quoad locum etiam habitationis; poteſt enim ſuum Religioſum ad clauſtrum reuocare, dum libuerit: ideóque paſſim dicitur Religioſus ibi ſuum clauſtrum & monaſterium habere, vbi ex voluntate ſui Superioris habitauerit. Idcirco nequit Prælatus dare hanc licentiam irreuocabilem à ſe, aut à Superiore Prælato: quia nequit illum eximere ab obedientia ſua: poterit tamen illum abſoluere ab obedientia inferioris Prælati, qui proinde nequibit reuocare facultatem à Superiore Prælato conceſſam, atque eadem ratione Pontifex, qui ſupremus Superior eſt, eiuſmodi licentiam ab omnibus inferioribus irreuocabilem dare poterit. Verùm non magis in ea facultate, quàm in aliis ſimilibus lædetur obedientia; quæ ordinem, atque dependentiam vnius ab alio inter ipſos quoque Prælatos poſtulat. Deinde cum ex iure communi eóque antiquiori, neque per Tridentinum reuocato, potuerit, hodiéque poſſit quis ex licentia profiteri Religionem ea conditione, vt in domo ſua priuata maneat, vti monuimus diſquiſit. 1. & cenſuit Nauar. de Virgine quadam Hiſpana comm. 2. de Regularib. num. 16. Cur cum ſimili licentia non poterit poſt profeſſionem factam extra monaſterium manere? Et cur potiùs contra ſubſtantialia Religionis, aut obſeruantias eſſentiales Religioni, aut contra ius commune peccabitur in hac poſteriore licentia, quàm in priori illa permittendi profeſſionem cum tali conditione? Si enim ea permanentia extra clauſtrum pugnat contra ſubſtantialia vota, aut vitam regularem quoad præcipuas, aut indiſpenſabiles eius obſeruantias, æquè pugnabit, ſiue detur in ipſa profeſſione, in illáque tanquam conditio includatur: ſiue poſt factam profeſſionem concedatur; & ſicut dari non poterit à Prælato iam profeſſis; ita neque permitti, vt ponatur per modum conditionis à profeſſionem facientibus: atque adeò vel habebitur pro non adiecta, vtpote turpis; vel profeſſionem inualidam reddet. Denique cum habitatio in clauſtro præcipiatur tantùm à regula, aut à iure communi modo iam ſuperiùs explicato, ne ſcilicet abſque licentia Superioris alibi habitare poſſit Religioſus: nihil eſt, vnde nos hanc poteſtatem Superiori negemus potiùs, quàm circa alias diſpenſationes eorum, quæ in regula continentur, imò & quæ materiam votorum reſpiciunt, vt de peculio dicebamus.

Aio ſecundò, ad hanc licentiam grauem aliquam cauſam requiri, vt iuſta & valida ſit; quod Nauarrus, Suar. aliíque laudati nuper Doctores tradunt: nam & omnia iura, quæ prohibent hanc habitationem; immò & exitum extra clauſtrum, niſi imperium, aut licentia Abbatis, vel Epiſcopi accedat, ſemper indicant aliqua negotia, aut miniſteria, aliámve cauſam, aut neceſſitatem, propter quam id permittatur, vt de aditione curiæ, de ſtudiis habendis, de reſpon- 12.

ſis

ſis ferendis conſtabit inferiùs: quare ſubintelligenda ſemper eſt in omni lege prohibente egreſſum è monaſterio duplex illa conditio, niſi de licentia Prælati & cum iuſta & legitima cauſa permittatur: immò omnes omninò leges prohibentes, in quibus poteſt diſpenſari geminam illam conditioně perpetuo includunt. Deinde cum clauſura ab omnibus Regulis & antiquis Synodorum decretis tam conſtanter & ſanctè imperetur, adhibitis aliquando grauioribus pœnis, vti retulimus cap. 1. Quis dicat eius ſolutionem permiſſam eſſe mero Superioris arbitrio, qui pro animi libidine non modò aliquem è clauſtro egreſſum; quæ leuis omninò clauſuræ violatio eſt, permittat, ſed commorationem & habitationem extra illud, quam præcipuo iure vetant Patres & Synodi, omnéſque regulæ vitæ cœnobiticæ, quæ quamdam & omnimodam inſtitutorum, atque actionum ferè omnium communitatem quoad locum, tẽpus, modum, rationem, poſtulat: quæque in priuata domo extra clauſtrum vix obſeruari poteſt: immò ne vix quidem quoad plurima adiacentia & circumſtantias, ac ritus regulares, eſto quoad ſubſtantialia retineri & valeat & debeat. Quare cum permanentia in clauſtro plurimum omninò conferat ad vitam Religioſam, cœnobiticam in primis, ad ſeruanda quoque ipſa vota, atque alia Religionis ſubſtantialia, ad obſeruantias externas diſciplinæ regularis, ad cauenda pericula & lapſus, quorũ frequentes occaſiones extra clauſtrum occurrunt, ideóque illud fortem & fidam ſtationem appellant Patres, ad cõformitatem & vnionem perfectam Religioſorum inter ſe, & cum reliquo corpore, à quo quodammodo quis diuellitur & ſeparatur per eiuſmodi ſeparationem habitationis: & ad externorum quoque exemplum & bonam Religionis famam ſeruandam, cum tanti momenti illam exiſtimauerit Eccleſia, vt omnibus ferè ætatibus illam grauiſſimis legibus ſancire voluerit, ipſique ſummi Religionis Antiſtites tam ſolliciti fuerint in ea communi habitatione retinenda & ita difficiles in cõcedendis licentiis ſe præbuerunt, vt interdum etiam à ſuis deceſſoribus datas reuocarint, monuerintque ſucceſſores, ne facilè ſimiles alias concederẽt, vt ſtatuit Clemens VIII. cum ipſa denique experientia oſtenderit mala ferè omnia in omnes Ordines ex eiuſmodi licentiis deriuaſſe, quis dicat eas abſque cauſa à Superiore, temerariò & provt libuerit, concedi poſſe. Iuſtam igitur cauſam concedendi licentiam habitandi extra clauſtrum requirebam, ne temeritate & imprudẽtia peccet Superior.

Addebam ne quidem validam eſſe licentiam ea legitima cauſa deſtitutam, imprimis ex principio vniuerſaliſſimo, inualidè inferiorem diſpenſare in lege Superioris abſque iuſta cauſa. Hic verò diſpenſatio eſt in iure communi & Religionis, vti monebam: quia hoc ius non eſt priuatũm vnius tantum aut monaſterij, aut Ordinis, ſed omnium Religionum, quæ ipſo vſu & praxi, aut illud ius acceptarunt, aut tulerunt, & ſecluſis omnibus Synodorum decretis, atque pontificiis ſanctionibus, ipſiſque regulis, omninò obligaret. Quare niſi ea licentia concedatur eo modo, quo concedi permittitur à communi illo iure, nempe ex cauſa legitima, & neceſſaria, vti ſtatim amplius exponam, reuera inualida erit eiuſmodi licentia: quia per eam 13.

inferior

inferior diſpenſat in lege Superioris, permittens ſine cauſa, quod ex iure communi & Superioris, nequit permittere ſine cauſa.

An verò peccet ſubditus vtendo illa licentia, quam ſcit aut dubitat ſine cauſa legitima datam fuiſſe? Diſtinguit ſapienter Suarez cap.7. cit. num.12. inter mandatum & ſimplicem licentiam Superioris: ſi enim Superior præcipiat ſubdito habitare extra clauſtrum, & dubitet ſubditus de iuſtitia cauſæ ac proinde præcepti, parere tenetur in eo dubio, maximè cùm non imperetur aliquid intrinſecè malum; ſi verò conſtet de inſufficientia cauſæ, & de iniuſtitia præcepti, licet non obligetur tunc ſubditus obedire Superiori aliquid contra regulam iniuſtè præcipienti; nihilominus poterit, ſi lubeat, obedire, neque peccabit vtendo illa licentia ex imperio Prælati: quia neque præcipitur aliquid intrinſecè malum, neque aliquid, quod abſolutè, & ſimpliciter ſit contra regulam reſpectu ſubditi, cui imperatur morari intra clauſtrum, & non extra illud ſua voluntate & arbitrio, & non ſine mandato Superioris, aut illius licentia. Cum itaque præcipienti hac in re obedit, nihil facit contra ius regulæ, aut obligationem illius, ſiue tunc Prælatus bene aut malè imperet. At verò quando eſt mera licētia, aut diſpenſatio Religioſus, qui ſciens nullitatem cauſæ illam petit: quia vel decipit Prælatum falſam cauſam ſupponendo, vel illum importunis ſuaſionibus vrget ad concedendum, quod ſine peccato concedere non poteſt: deinde quia vtitur licentia, quando ſcit nullam, & inualidam eſſe, atque adeò violat clauſuræ legem manendo extra clauſtrum, licet non ſe ſubtrahat à ſubiectione Superioris; cuius tamen voluntas tunc non tollit obligationem legis, cum non ſit, qualis à lege requiritur.

Non ago de Pontifice; qui etiam ſine cauſa in iure ſolùm eccleſiaſtico validè diſpenſat, quamquam & ipſe peccet, licet minor cauſa reſpectu illius, quàm inferiorum Prælatorum ſufficiat: tenetur tamen eam licentiam temerariò datam reuocare, & qui ad illam ipſum induxit ſciens cauſæ nullitatem peccauit: quod verius erit, ſi illi impoſuit; non peccabit tamen directè violando clauſuram propter validam diſpenſationem, iniuſtam licet, quæ tollit obligationem prohibitionis; aliunde tamen peccaturum exiſtimat Suarez num.16. quia pars, quæ ſine legitima cauſa diſcordat à ſuo toto, peccat; & quia hæc materia grauis eſt, quæ paſſim & ſcandalum, & infamiam Religionis generat; hæc difformitas mortalis cenſenda erit. Verùm tunc ea culpa ex circunſtantiis petenda mihi videtur: quare ſi abſint eæ circunſtantiæ, nulla prorſus erit culpa.

Aio tertiò, cauſam legitimam habitandi extra monaſterium ex licen- 14.
tia Superioris, eſſe grauem neceſſitatem, aut vtilitatem monaſterij, vel ipſius Religioſi, aut proximi: quia cum hæc cauſa definita non ſit à lege, ac proinde Superioris prudentiæ relinquatur: aliunde ſumi melius non poteſt, quàm ex triplici illa aut neceſſitate, aut vtilitate, vti ipſemet Nauarr. iudicat. Obſeruo tantùm comparandas eſſe iſtas cauſas, & cum ipſa licentia, & cum ipſis Religionibus: nam maior cauſa requiritur ad habitationem extra monaſterium quàm ad egreſſum ex illo: deinde quò ea habitatio diuturnior, aut breuior erit, in loco remotiori à monaſterio, aut proximiori; magis

aut minus periculoſo cum maiori aut minori ſecularium offenſione. Eo grauior, aut leuior cauſa requiretur, ſi cui & provt magis, aut minus Religiones ſunt addictæ clauſuræ: nam Monachi ſeueriori iure tenentur in monaſteriis habitare, quàm aut ordines mendicantes, aut clericales, quibus ex inſtituto incumbit impendere ſe proximis: quod abſque frequenti è Cœnobio egreſſu, atque aliquando ſeceſſu aliquo & habitatione extra illud præſtare non poſſunt: quare & leuis admodum cauſa ad egreſſum eiuſmodi exigitur, vt honeſta recreatio, aut viſitatio moderata, & ſtudioſa amicitia, ad habitationem verò externam miniſteria Euangelica extra monaſterium exercenda certis quibuſdam temporibus, vt dicam conſectario 7.

15. Ad extremum Religioſus habitans extra clauſtrum tenetur ad omnia vota ſubſtantialia, vti monui; quod & de paupertate, & de aliis ſtatim apparet: neque eximitur ab omnibus obſeruantiis regularibus, niſi ab illis, quæ neceſſario commorationem in clauſtro poſtulant, aut cum opere, ad quod permittitur extra illud morari, non ſatis commodè cohærent, ipſúmque potiùs impediunt, quàm iuuent. Neque datur alia licentia vi eiuſmodi habitationis, quàm quæ ad eam ex natura rei, aut ex morali quadam neceſſitate conſequitur: nam ad alia omnia licentia ſigillatim petenda erit, ſicut ab aliis intra monaſterium petitur, quamquam ſæpè maior erit ratio eam concedendi, & cum quadam veluti permanentia.

Consectarivm II.

An Prælatus poßit permittere egreſſum è monaſterio, aut habitationem extra illud dimiſſo habitu regulari.

Ponendum imprimis eſt Religioſos habitum à reliquis fidelibus diſtinctum perpetuò geſtaſſe: quod ex ipſo Dionyſio cap.6. de Eccleſiaſtica Hierarch. de Monachorum conſecratione diſputante, aliiſque antiquioribus certiſſimum eſt, qui de Monachali ſchemate ſæpiùs agũt, & nos de virginum conſecratione, atque viduarum benedictione agentes in noſtra ſcientia canonica fusè oſtendimus quoad ſacrarum fœminarum veſtes, de Monachis verò certum eſt ex Hieronym. Epiſt. ad Ruſticum Monach. Baſilio Epiſtol.1. ad Greg. Caſſiano & cæteris quos hoc loco numerare nihil attinet. Can.76. Nicænus ex Arabico exemplari, iubet Religioſos, tum Monachos, tum Moniales alia indumenta, & alios mores, quàm laicos habere: & neque ferant crumenam ad làtus, neque cultellos, ſicut ſolent milites & homicidæ, quando eunt ad bellum, & ſicut ſolent Mercatores, cum iter faciunt, portare crumenam ad oſtentationem, vt faciunt Magnates populi. 16.

Neque quidquam magis obuium eſt in antiquis Monachorum inſtitutis, atque etiam Synodis, quàm vt Tyrones probentur primùm in veſte laicali, quod de Monachis edixit in Concil. Roman. Gregorius lib.4. Regiſtri cap. 88. Et de puellis quoque in monaſteriis ſacrandis Concil. Aurelian.5. cap.19. Barcinon. 2. cap. 4. Gangrenſ. cap.12. Euſtachianos Monachos

nachos qui cum pallio vterentur, deſpiciebant cæteros birris, & communi veſte indutos percutit anathemate; vbi Balſamon ἐπιβόλαιον pallium & veſtem, quæ aliis ſuperimponitur, interpretatur; birros verò veſtes ſericas dixere veteres βίῤῥους, σηρικὰ ὑφάσματα, quod Galli dicimus *velours*, quaſi *verours*, inquit Cuiac. in l.4. C. de veſtibus holoneis. Vopiſcus in Carino laudat birros Attrebatenſes & Canuſinos, ad quos ſine dubio alluſit Hieronym. lib.2. aduerſ. Iouinian. nunc lineis, & ſericis veſtibus, & Attrebatum ac Laodiceæ indumentis ornatus incedis; illi itaque Pſeudomonachi Euſtachiani ſanctitatem viliori habitu mentiebantur ex Balſamone & Zonara. Verùm cum birri etiam ex viliori materia fierent, vnde & ſeruis permiſſi ſunt ſine exceptione. (C. Theodoſian. lib.14. tit.10. de habitu, quo vti oportet intra vrbem) ſeruos ſanè omnium aut birris vti permittimus, aut cucullis: non potuerunt Euſtachiani birris indutos tanquam pretioſioribus veſtibus deſpicere. Dico igitur birrum fuiſſe breuius indumentum clericale, atque epiſcopale humeros tantùm & brachia tegens, vti ex actis S. Cypriani iam decollandi *exuit ſe lacernam birrum, quo indutus erat*. Colligit Baron. an.261. S. enim Martyr, vbi ſe birro exuit, deinde Dalmaticam ſeu tunicam abiecit, & in tunica linea remanſit; de S. Britio Turonen. Epiſcopo, qui in ſuo birro prunas ardentes ad ſuam probandam innocentiam detulit vſque ad ſepulchrum S. Martini ſcribit Gregor. Turonen. lib. 2. Hiſtor. cap.1. de birro S. Athanaſij Lauſiaca cap.51. de birro Nonni Epiſcop. in vita Pelagiæ, cap. 12. fuiſſe quoque habitum Clericorum tradit Auguſt. ſerm. 50. de diuerſ. quamuis vt ibid. indicat Auguſt. birrus Epiſcopalis pretioſior eſſe ſoleret; ſed clerici deinde etiam pretioſiores affectarunt: quare illos caſtigat Sulpitius Decalog. c.14. *Hæc*, inquit, *charis viduis ac familiaribus mandat tributa virginibus illa, vt birrum rigentem.* (auro ſcilicet) *hæc vt fluentem texat lacernam.* Euſtachiani itaque Monachi oblongis palliis Philoſophorum inſtar induti cæteros, qui birris breuioribus, iiſque aliquando pretioſioribus veſtiebantur, deſpiciebant. Contra quàm facerent illi, quorum inſtituta deſcribit Caſſian. lib.1. cap.7. qui mafortibus hoc eſt anguſtis palliolis colla, & humeros tegebant, amictus humilitatem, vilitatem pretij & compendium ſectantes, planeticarum atque birrorum pretia ſimul, ambitionémque declinabant. Ideóque S. Iſidorus in Regula ſuis Monachis prohibuit planetas & birros. Ex his tamen vides certum fuiſſe Monachorum habitum. De viduis verò, quæ veſte laicali abiecta ſub religioſo habitu Eccleſiæ apparuerint, & deinde ad ſæculares tranſierint nuptias, excommunicandis agit Concil. Carthagin.4. cap. 104. De viduali quoque veſte impoſita à Presbytero coram Epiſcopo in ſecretario Arauſic.1. cap. 27. Toletan.4. cap.55. diſtinguit inter viduas ſæculares, & Sanctimoniales, quod hæ mutato habitu ſæculari ſub religioſo cultu in conſpectu Sacerdotij, & Eccleſiæ apparuerint. Vide & Concilium 6. Item Toletan. cap. 6. Foroiulienſe cap. 11. tum viduis, tum virginibus Deo mancipatis nigram veſtem in continentiæ ſignum ex antiquo more tribuit: neque in re adeò perſpicua diutiùs immorandum videtur. Neque Religioſi tantùm peculiari à cæteris

veſtitu differebant, ſed etiam varij ipſorum Ordines inter ſe hac etiam veluti nota & teſſera iam à priſcis temporibus perpetuò diſtincti ſunt, vnde & varij fuere habitus forma, colore, atque materia: quorum omnium varias rationes myſticas Caſſian. aliique proſequuntur, de quibus alio loco: nobis ſufficiat diſtinctionis cauſa, & vt ſignificarent ſe ab omnibus aliis, tum laicis, tum etiam Clericis differre ſingulare eiuſmodi ſchema aſſumptum fuiſſe: Clericalis quoque habitus à vulgari diſſidebat.

17. Ponendum ſecundò eſt nefas eſſe Religioſo ſuæ Religionis habitum relinquere, quod omnes fatentur, & ſupponit omninò Innocent. cap. Deus, qui de vita & honeſt. Clericor. & cap. Clerici 2. eod. titul. 1. ac denique Bonifac. VIII. vt omnis vagandi occaſio præſcindatur, prohibet hanc habitus dimiſſionem ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ; qua lege, non condit nouum ius Pontifex, ſed antiquum confirmat, & pœnis grauioribus ſancit. Quare fuit illa communis omninò ſemper perſuaſio, grauem eſſe obligationem deferendi habitum Religionis, quam quis fuerit profeſſus; cuius tamen obligationis radix non tam facilè reperitur, vti diſputat Suar. tractat. 8. de Relig. lib. 1. cap. 5. numer. 5. Nam ſi conſulamus ius naturale, illud tantùm obligat, ne quis ſtatum, quem cum perpetua obligatione aſſumpſit, deſerat, neque etiam publicè deponat ſignum, quod ad ſignificandam profeſſionem illius inſtitutum eſt, ne ab illo quoque deficere videatur. Vbi tamen quis nollet ab ſtatu ſuo recedere, idque palam ſatis oſtenderet, ad aliquod tamen tempus habitum deſereret, non magis peccare videretur, quàm ſi aliquid aliud ab inſtituto & regulis ſtatus præceptum omitteret: neque enim idcirco, aut proprij ſtatus deſertor, aut grauiter peccare cenſeretur, niſi propter circunſtantiam aliquam extrinſecam ſcandali, aliámve. Itaque non apparet ex iure naturali vlla grauior obligatio per ſe loquendo in hac habitus geſtatione, quàm in cæteris inſtitutis: nam etiam qui ſtatum aliquem aſſumpſit, eo ipſo ſeſe obligauit ad omnes leges proprias illius ſtatus. Ius quidem Eccleſiaſticum antiquius nuper allatum mutationem habitus in Religioſis damnat, vti referebamus. Verùm ea dimiſſio habitus coniuncta eſt cum reditu ad ſæculum & apoſtaſia, vti expendenti laudatos canones conſtabit; non agunt verò de ſimplici dimiſſione habitus abſque animo apoſtatandi. Itaque reſtabit duntaxat obligatio petita ex regulis, quæ & habitum præſcribunt, & illum geſtari imperant. Verum non erit maior ea obligatio, quàm cæterarum regularum, quæ ſimiles alias obſeruantias imperant, quarum tamen violatio grauis ferè non eſt. Itaque tandem concludit Suar. hanc obligationem oriri ex iure communi omnibus Religioſis non ſcripto quidem, ſed potiùs communibus moribus accepto: nam ſemper grauis habita eſt ea mutatio habitus religioſi, etiam ſine animo deſerendi ſtatum religioſum.

Diſtinguenda verò eſt duplex dimiſſio habitus, vna eius tantùm ſpoliatio & abiectio, vt ad dormiendum, natandum, ludendum, aut quid ſimile; alia eſt mutatio habitus; cùm regulari abiecto alius induitur. Simplex illa ſpoliatio per ſe & ſecluſis circunſtantiis extrinſecis mala non eſt; 18.

eſt; quòd ſi prohibeatur à regula pro ratione obligationis, quam imponit regula, culpabilis erit. Nam quod Concil. Toletan. 10. cap. 4. ait, viduam veſte profeſſionis ſuæ, tum in lecto quieſcentem, tum in quocumque alio loco conſtanter vti debere, non facit rigidum præceptum, ſed quid deceat, explicat: Quod verò Sylueſter verbo excommunicatio 9. num. 52. ait habitum, ita eſſe annexum oſſibus Monachorum, vt in quocumque conſiſtentes etiam in lecto, ipſo vti debeant. Ita intelligendum eſſe conſtat ex ſequentibus, & maximè ex num. 54. vt gratia honeſtatis ac decentiæ id dictum fuerit, vti ex Ioan. Andrea refert. Ita Suar. cap. 6. cit. num. 18. & alij inferiùs allegandi, qui ſimili ſpoliatione negant incurri pœnas à Bonifacio inflictas temerè dimittentibus habitum.

Mutatio verò habitus, cum aſſumptione videlicet alterius, nimirum ſæcularis, vt quis ſæcularis reputetur, & non Religioſus, omnino culpabilis eſt, niſi fiat ex iuſta & rationabili cauſa, vt ad ſeruandam vitam, aut ſuccurrendum proximo in graui neceſſitate, ex illo iure communi potius conſuetudinario, quàm ſcripto, éſtque mortalis, niſi aut breuitate temporis, aut materiæ leuitate excuſetur, quia non totus habitus, ſed eius tantùm aliqua pars mutatur; ita vt ſemper quis Religioſus eſſe dignoſci poſſit ab eo, qui curioſiùs illum inſpexerit: quia reuera tunc non mutat habitum, niſi ſecundum quid.

19. Ponendum tertiò eſt eum, qui vagandi cauſa habitum ſuæ Religionis temerè dimittit, excommunicatione percelli à Bonifacio VIII. lata cap. vt periculoſa, ne Clerici, vel Monachi, de qua cenſura latè diſputant Suar. tom. 5. in 3. part. diſp. 23. ſect. 4. Sanchez lib. 6. ſum. in Decalog. cap. 8. num. 55. Bonac. quæſt. 2. de clauſura punct. 2. Ferdinand. à Caſtro tract. 16. diſp. 4. punct. 6. & alij paſſim, ſtatim afferendi. Ex quibus hæc pauca perſtringo.

Imprimis ligantur hac excommunicatione omnes tacitè, vel expreſsè profeſſi, quo etiam iure comprehenduntur omnes Religioſi, qui tria vota ſubſtantialia, ſimplicia licet, emiſerunt: quia illa conſtituunt verè Religioſum, & æquiualent quoad hunc effectum profeſſioni: & cauſa, propter quam profeſſis hanc legem poſuit Eccleſia, militat æquè in iſtis Religioſis, atque in profeſſis: eadem quoque obligat Societatis Ieſu Religioſos; licet enim non habeant vllum diſtinctum habitum à communi Clericorum loci, in quo habitant 6. part. conſtitut. cap. 2. §. 15. cuius conſtitutionis rationes expendit Suarez tract. 11. de Relig. lib. 1. cap. 5. num. 4. & 5. & cap. 9. num. 16. Si tamen illum habitum mutent in laicalem, peccant in legem Bonifacij, & pœnas incurrunt, vt docet Ferdinand. à Caſtro tract. 16. diſp. 4. punct. 6. num. 2. Bonacin. quæſt. 2. de clauſura punct. 2. n. 24. contra Sanchez lib. 6. cap. 8. num. 70.

Secundò dimiſſio habitus, quæ plectitur iſta pœna, fieri debet animo vagandi occultato ſtatu ſuo, eſſéque temeraria, hoc eſt, ſine rationabili cauſa vera, vel apparente, vbi enim cauſa aliqua ſubeſt, ſiue vera exiſtat, ſiue talis appareat, actio temeraria non eſt: quare etiam ignorantia craſſa, & ſupina excuſabit ab hac pœna, licet non excuſet à culpa, quæ in ea dimiſſione habitus committitur. Vnde etiam licet ali- 20.

quis non habeat animum apoſtatandi, ſi tamen temerè habitum dimittit, incurrit hanc pœnam; ſi verò aut apoſtatet, aut fugiat à monaſterio retento ſuo habitu, non percellitur hac cenſura, licet alias fortaſſis contrahat, vti ex communi Doctorum docet Sanchez cap.8. cit. n.45. Sicut neque qui habitu religioſo exutus fuit, & carceri mancipatus, ſi ex illo carcere fugiat, non excommunicatur: quia reuera non dimittit habitum, quo fuerat exutus. Ita Nauarr. comm. 4. de Regulat. n.64. Roderiq. tom. 2. qq. Regular. q. 22. artic.6. Bonacin. punct.2. num.6. qui deponit habitum, non animo occultandi ſtatum, aliúmve ſignificandi, ſed alia de cauſa, vt iocandi cauſa, & gerendi aliquam perſonam, currendi, aut etiam ob turpem finem, vt ſuauiùs quieſcendi, liberiùs & faciliùs fornicandi, aut furandi: quia alium habet animum, quàm vagandi, & mentiendi ſtatum ſuum, non tenetur hac pœnali lege. Ita Ferdinand. punct. 6. Nauarr. Suar. Rodriq. Sanch. & alij ab illo relati.

21. Appellaui hanc dimiſſionem habitus mutationem, nam ad eiuſmodi cenſuram habitu Religioſo exuto, ſæcularem indui mentiendi ſtatus cauſa, poſtulant Nauarr.c.27.n.131. Tolet.lib.4. cap.18. numer.3. Bann.2.2. quæſt.12. artic.1. Syluest. ver. excommunicatio 9. num. 52. & 53. Sà ver. excommunicatio de non reſeruatis num.9. Valent. 2.2. diſputat. 1. quæſt.12. punct.1. ad fin. Rodriq. qq. Regul. tom.2. quæſt.76. art.6. Sanch. cap. 8. citat. num. 51. Quia propriè non dicitur dimitti habitus, niſi alius aſſumatur, alioquin eſt mera ſpoliatio, vt diximus: & verba legis pœnalis ſunt ſtrictè capienda, & non datur vagandi occaſio, niſi dimiſſa illa veſte habitus alius induitur contra Ferdinand. punct.6. citat. num.4. & Suar. tom.5. in 3. part. diſput.23. ſect.4. num. 28. qui dicunt aliquem ſolis veſtibus internis indutum, & dimiſſa exteriori veſte regulari vagari poſſe, quod omninò infrequens eſt, & vix contingere poteſt, vt tamen has ſententias conciliem, dico quod ſi Religioſus ita interiùs indutus erat, vt depoſita veſte poſſit decēter incedere cum habitu ſæculari, atque ita ſtatum ſuum occultare, & animo vagandi, vti diximus, veſtem exuat, reuera incurret excommunicationem: quia ea dimiſſio veſtis religioſæ, reuera eſt mutatio habitus vt vides; vnde ſolues, quod quæritur de eo, qui partem ſolum habitus dimiſerit, ſi enim quæ ſupereſt, non ſufficiat ad manifeſtandum ſtatum religioſum, & quæ ſuperinduta fuit, occultet illum, reuera incurrit excommunicationem: quod idem dico de profeſſo, qui habitum Nouitiorum diſtinctum aſſumpſit. Cum enim Nouitius poſſit liberè diſcedere à Religione, & reuera nondum habeat habitum ſuæ Religionis, qui illum indicet, relicto habitu profeſſorum, occultabit ſuum ſtatum: itaque ſi eo animo id faciat, & vagandi libidine, excommunicatur; ſecus ſi habitus Nouitiorum idem ſit cum habitu profeſſorum, quamuis aliquo ſigno ipſi appoſito, vt aſſuto pittacio diſtinguatur: quia reuera tunc non deponit habitum ſuæ Religionis.

Maior verò difficultas eſt, an qui retento habitu regulari illum occul- 22.
tat ſuperinduto habitu ſæculari abſque legitima cauſa reus ſit huius excommunicationis: quia iſte occultat habitum, non autem dimittit. Non tenetur igitur lege puniente dimittentem.

mittentem. Et quamuis æquè vagari poſſit ea ratione atque ſi dimitteret; non tamen omnem vagationem punit illa lex; ſed eam ſolum, quæ fit per habitus dimiſſionem: quare iſtum ab excommunicatione excuſant plures, quos adducit & ſequitur Suarez ſect. 4. citat. num. 33. & 34. & lib. 1. tractat. 8. de Relig. cap. 5. num. 12. Sayr. de cenſur. lib. 3. cap. 33. num. 9. & 10. Tabien. ver. excommunicatio 5. caſu 23. quæſt. 1. numer. 2. Paludanus in 4. diſtinct. 18. quæſt. 3. artic. 3. num. 41. & alij relati à Sanche num. 62. cap. 8. citat. quibus adhæſit Ferdinand. punct. 6. numer. 6. Bonac. quæſt. 2. de clauſura punct. 2. numer. 10. Filliuc. tractat. 14. cap. 6. numer. 135. & poſt factum non improbant Roſella ver. apoſtaſia n. 8. & ver. excommunicatio 1. caſu 16. n. 2. Angel. ver. excõmunicatio 7. caſu 17. num. 1. alij verò damnant, quia eſt dimiſſio formalis, & habet eundem effectum, quem dimiſſio materialis, quoad vagandi occaſionem, quam vnam voluit tollere Pontifex, cuius mens potius attendenda eſt, quàm verba, maximè quando illuditur legi, & inanis redditur: ideóque ad hunc etiam caſum extendi debet, & confirmatur, eo quod Iudæi, qui ex cap. *nonnullis* de Iudæis iubentur ferre ſignum, quo à Chriſtianis diſtinguantur, dicuntur rei violatæ legis à Doctoribus, quoties illud ſignum ita occultant, vt videri & dignoſci nequeat: quia reuera ſic eliditur lex; itaque hanc ſententiam communiter docent Doctores quorum 27. enumerat Sanch. num. 63. cap. 8. cit. qui & illis adhæſit, quamuis hanc communiorem ſententiam reiicere non placeat, prior tamen mihi ex rigore iuris verior videtur: quia reuera in eo caſu non eſt dimiſſio habitus, ſed eius retentio, occultatio & diſſimulatio: neque lex pœnalis extendi debet ad caſum ſub verborum forma non comprehenſum. Quis verò dicat occultationem habitus comprehendi ſub eius dimiſſione, cum illi ſit oppoſita: impoſſibile ſiquidem eſt occultari & dimitti, ſiue retineri & abiici habitum. Neque ſignum ſtatus religioſi abiicitur, ſed diſſimulatur & occultatur. Quod autem affertur de Iudæis diſſimile eſt: illi enim iubentur deferre certum habitum, quo omni tempore publicè ab aliis diſtinguantur: quod fieri nequit cum occultatione illius ſigni diſtinctiui. Non eſt etiam ſimile quod afferunt ex cap. *quamquam* de vſuris in 6. vbi teſtamentum vſurarij irritatur, quod Gloſſa ad codicillos, & donationem cauſa mortis oſtendit, cum Ioan. Monacho, Archidiacon. & aliis: quia licet codicillus ſit quidpiam diuerſum à teſtamento; niſi tamen hæc conſtitutio ad codicillum quoque extendatur, facilè inutilis reddetur. Verùm ipſamet Gloſſa codicillum cum ſit mentis quoque teſtatio, non impropriè in teſtamento comprehendi vidit. Deinde ea conſtitutio agit de diſpoſitione vltimæ voluntatis, vti ex eius initio, & tota ſerie textus euidenter apparet: atqui per codicillum fit omninò diſpoſitio vltimæ voluntatis: ideóque irritari iure dicitur, irritata vltima voluntate, & teſtamento vſurarij. Cæterum non eluditur mens legis prohibentis temerariam habitus dimiſſionem vagandi cauſa: quia non punitur pœna excommunicationis, vti iam monui, quælibet vagatio, ſed ea, quæ fit habitu dimiſſo, ſicut neque quælibet dimiſſio habitus, niſi fiat animo vagandi, & temeraria ſit. Adde neque tam facilè

Religio

Religioſum vagari poſſe incognitum habitu retento; ſed occultato, atque dimiſſo, atque ita fini legis ſatisfacimus. Nihilominus licet in hac occultatione non incurratur excommunicatio; in illa tamen grauiter peccatur, vti affirmant Ferdinand. quia & inde capitur occaſio vagandi, & datur ſcandalum, & lex illa communis, cuius initio meminimus, quæ iubet deferre habitum ſuæ Religionis, eius quoque occultationem prohibet,& denique Trident. ſeſſ.25. cap. 19. vetat *dari cuilibet regulari licentiam occultè ferendi habitum ſuæ Religionis.* Supponit igitur abſque licentia Regularem non poſſe ſuum habitum occultare, ac proinde peccare; vbi verò contraria conſuetudine & moribus illi derogatum fuerit,non peccabitur in eam legem.

23. An verò habitus iſta dimiſſio intra propria clauſtra,& monaſterium; tunc enim non fit vagandi cauſa,culpabilis & obnoxia excommunicationi ſit, dubitant Doctores, veriúſque eſt, ſi temeraria fit, vt ſuperius explicuimus, damnari in illo cap.2. ne Clerici & Monachi: quod tum in ſcholis, tum alibi, id eſt, in quocumque loco habitus temerariam dimiſſionem damnat: & illa etiam intra monaſterium facta dat materiam vagandi. Ita Sanchez num.61. Ferdinand. num. 10. Bonac. num.12. qui dabunt alios contra Angel. & Roſel. Neque bene Sayr. Syluester, & Rodriq. id limitant ad caſum, in quo quis ſæcularibus, & externis in illo habitu ſæculari ſpectandum ſe præbet. Nam ſatis eſt ſi reuera habitum dimiſerit,ſiue videndum ſe præbeat, ſiue non; habet enim vagandi occaſionem, & reuera habitum gerit, in quo videri nequit tanquam Religioſus. Quod molliendum tamen eſt: nam qui ad breue tantùm tempus dimittit habitum animo iterum illum aſſumendi,etiamſi ad turpem actionem faciliùs exequendam, vt ad fornicandum, aut furandum id faciat, & in ea breui dimiſſione peccet; non tamen incurreret pœnam excommunicationis: ita Sanch.n.57. Azor.1. part. lib.12. cap.13. quæſt.5. & alij à Sanche adducti contra Suar. tom.5. in 3.part. diſp.23. ſect.4.n.31. & tract.8. de Relig. lib.1. cap.5. n.9. Ferdinand. à Caſtro, & alios ab iis relatos; quia reuera ea breuior dimiſſio, non cenſetur moralis dimiſſio, vti tamen eſſe debet, vt grauis exiſtimetur in ratione dimiſſionis; difficultas tamen erit in definienda diuturnitate huius dimiſſionis, vt incurrat excommunicationem. Tempus autem notabile eſſe duas, aut tres horas dixit Bonac. num.21. qui totam hanc quæſtionem proximo numero dilucidè omnino explicarat, mihi prudentis arbitrio relinquenda videtur.

Denique quæri poteſt; an qui habitum alterius Religionis illicitè, 24
& culpabiliter induit ſuo relicto, incidat in hanc excommunicationem: nam reuera temerario dimittit ſuæ Religionis habitum, quod canon prohibet ſiue in aliam religionem contra iura ingrediatur, ſiue in illam non ingrediatur, ſed eius ſolum habitu ſe induat. Itaque exiſtimauit Nauar. cap. 27. num. 131. Syluester, ver. excommunicatio 9. num.54. & ver. Religio 4. quæſt.4. Azor.1.part. lib. 12. cap. 13. quæſt. 5. caſu 16. & cap.14.quæſt.10. & cap.17.quæſt.11. Caietan. in ſumm. Suar.tom.5. in 3. part. diſp.23. ſect.4. num.32. Bonac. quæſt.2.de clauſura punct.2.num.17. Ferdinand. à Caſtro Palao punct. 6. cit. num. 9. Verùm cùm ea tantùm

dimiſſio habitus puniatur cap. illo Bonifacij, quæ attentis circunſtantiis materiam vagandi præbet (vt ex procemio illius capitis iam ſæpiùs monuimus) cuiuſmodi non eſt ea, quæ fit per ingreſſum in aliam Religionem, quamuis laxiorem eiúſque habitus ſumptionem: ideóque etiamſi culpabilis ea ſit, quæ fit contra iura; non tamen incurrit hanc pœnam, vt in illud cap. *vt periculoſa*, ne Clerici, vel Monachi in 6. ſcribunt Lapus allegat. 34. Franc. num. 6. Dominicus §. fin. num. vlt. Rebuffus in praxi Benefic. tit. de tranſlat. Monach. num. 11. & tit. de diſpenſat. cum regular. num. 46. Angelus, ver. Religioſus num. 36. & ver. excommunicatio 7. caſu 27. num. 2. vbi Geminianum adducit Armilla ver. excommunicatio caſu 53. Tabien. eod. verbo 5. caſu 27. quæſt. 2. num. 3. Caietan. eod. ver. cap. 61. Panormitan. in cap. ſanè, de Regularib. num. 6. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 8. n. 68. Leſſi. lib. 2. cap. 41. num. 102. atque ij omnes qui negant in eo caſu committi apoſtaſiam; & ſanè hic Religioſus non dimittit habitum regularem, ſed vnum in alium commutat, & quamuis in ea commutatione peccet; non tamen excommunicationem latam in eos, qui habitum regularem dimittunt, atque ita materiam vagandi ſumunt, incurrit. Quare hanc ſententiam omnino veram exiſtimarim, & menti Bonifacij prorſus conſentaneam, ſi agamus de ſumptione habitus Religioſi cum ingreſſu in illam, quamuis aliunde peccaminoſo; quia vti obſeruant laudati Doctores, ſi quis dimiſſo ſuæ Religionis habitu indueret habitum alterius, neque illam propterea ingrederetur, niſi grauiſſima cauſa id ſuaderet, obnoxius eſſet huic pœnæ: quia tunc vagandi materiam ſub habitu Religionis, quem vbi vellet, deponeret, ſine dubio quæreret.

Ex quibus omnibus tandem habemus habitus Religioſi dimiſſionem temerariam, & abſque cauſa idonea non modo culpabilem eſſe; ſed etiam ſæpiùs excommunicatione puniri. 25.
Quo poſito quærebamus in noſtro conſectario, an ſicut Prælatus dare poteſt facultatem commorandi extra monaſterium, poſſit quoque permittere habitus dimiſſionem; an verò ea poteſtas ſit ſolùm in Pontifice: & ita quidem paſſim omnes affirmant. Suarez tract. 8. de Religion. lib. 1. cap. 5. n. 15. Ferdinand. tract. 16. diſput. 4. punct. 6. num. 13. Bonacin. quæſt. 2. de clauſura punct. 2. num. 31. quia hæc diſpenſatio eſt in iure communi, & non in obſeruantia tantùm aliqua regulari: neque vllibi legitur Prælatis ea poteſtas conceſſa. Nam ſi quando videantur Prælati in iure communi ex quodam vſu, aut interpretatione diſpenſare: id ſolùm faciunt in caſibus ordinariis, & frequenter occurrentibus: nam durum omnino eſſet, ſi in ordinario viuendi modo ad Pontificem recurrendum eſſet: neque in illis caſibus quidquam poſſent ordinarij Superiores: quare vulgaris ea & ordinaria poteſtas videtur omnino neceſſaria ad bonum regimen monaſteriorum. At verò quoties diſpenſatio extraordinaria eſt, & multùm exorbitans à iure communi ſanè ad Pontificem iuris conditorem eundum erit. Poterit quidem Prælatus imperare Religioſo opus aliquod, quod ſine mutatione habitus commodè exerceri non poterit ratione periculi, infamiæ, aut ſcandali: & tunc poterit ratione cauſæ illius habitum dimittere: neque illa dimiſſio erit temeraria, aut cul-

pabilis, vti iam ſæpius monuimus. Verum, in eo caſu non eſt diſpenſatio facta à Prælato: illa enim tantùm contingit, quando non eſt in aliquo opere neceſſaria dimiſſio habitus, quæ tamen permittitur; atque ita propriè, directè, & per ſe diſpenſatur in lege, & iure communi tunc obligante. Poterit quoque Prælatus quoties dubium erit, an exiſtat cauſa ſufficiens dimittendi habitum, id permittere, vti contingit in omnibus aliis dubiis, obligantis legis: ſed tunc non diſpenſat Superior; ſed authenticè, & authoritate ſua legem interpretatur: quæ interpretatio alia eſt à Doctorum interpretatione: quod fuſius in noſtra ſcientia canonica docuimus.

Dices Superiorem diſpenſare in commoratione extra clauſtrum: quæ æquè prohibetur iure communi atque dimiſſio habitus. Reſpondeo commorationem extra clauſtrum per aliquod tempus eſſe frequenter neceſſariá & habere ordinarias cauſas, ideóque eius permiſſio pertinet ad facultatem ordinariam Prælati, qui præterea cum poſſit vti ſuo Religioſo, vbicumque voluerit, & opportunum fuerit, debet poſſe illi aliquid præcipere, tum in clauſtro, tum etiam extra clauſtrum. Dimiſſio verò habitus non niſi rarò admodum neceſſaria eſt, atque in illis caſibus ſufficit ad plenam Prælati iuriſdictionem & integram authoritatem, vt valeat imperare opus, ad quod neceſſaria erit habitus dimiſſio.

CONSECTARIVM III.

Caſus ſingulares ex duobus proximis conſectariis.

EX his, quæ diſputauimus iſtis duobus conſectariis, plurima quæ in vſum quotidianum veniunt, explicabis.

Primò nequit dimitti habitus ex ſola licentia Prælati ad diuturnum aliquod tempus, aut in totam vitam; ſed ſolum ad aliquod opus, quod aliter abſque graui incommodo exerceri nequit: quod opus cum non duret totam vitam, neque vulgò diutiùs non poterit eſſe licita longior illa habitus dimiſſio. Nam ſi diutiùs duraret illud opus toto eo tempore ex licentia Prælati imperantis tale opus, permiſſa eſſet mutatio habitus. Vnde fit 26.

Secundò, vt cum miniſteria Apoſtolica inter Turcas, aut infideles exerceri nequeant ſine periculo, aut miniſtri Euangelici, aut fidei, aut fidelium cum habitu religioſo, coganturque miniſtri occultare ſeſe, mutato ſolum habitu, poſſint ea arte vti, quamdiu à ſuis Superioribus in iis miniſteriis occupabuntur, & illos habitus ſæpiùs mutare atque induere, qui commodiores videbuntur abſque alia Pontificis diſpenſatione. 27.

Tertiò, qui habet licentiam à Prælato eundi aliquò, ſi habitum abſque alia licentia & ſine graui cauſa dimittit, peccat, & incidit in excommunicationem, Syluëſt. ver. Excommunicatio 9. numer. 55. Roſella eod. verbo 1. caſu 16. numer. 5. Tabiena verbo excommunicatio 5. caſu 23. quæſt. 3. num. 4. Sayr. lib. 3. de cenſur. cap. 33. num. 19. Bonacina quæſt. 2. de clauſur. puncto 2. num. 11. Sanch. 28.

lib. 6.

lib.6. in Decalog.cap.8.num.60. quia quamuis iſte non vagetur, quandoquidem exiuit cum licentia, temerariò tamen dimittit habitum, & vagandi materiam ſumit: quod punitur excommunicatione in cap. ſæpiùs citato. *Vt periculoſa* ne Clerici, vel Monachi.

19. Quartò poterit Superior permittere Religioſo aliquandiu in curia commorari extra monaſterium ad ipſius vel Religionis negotia perurgenda. Ita omnes: Nam & illa neceſſitas eſt grauis, ac proinde propter illam æquè poterit iſte egreſſus permitti, atque propter alias ſimiles cauſas concedendum eſſe dicebamus in noſtra propoſitione vniuerſali: deinde illæ ipſæ leges, quæ prohibent Religioſis adire palatia & curia Principum id permittunt cum facultate ſiue authoritate Superioris, vt Concil. Melden. cap.57. *Monachi, quibus monaſteriorum cura commiſſa non eſt, paſſim & ſine authoritate palatium ne adeant, nec in eo immorentur.* Excipit verò Præſides monaſteriorum: quia ſupponit illos ad negotia Religionis agenda debere Principes adire Pariſienſ. ſub Ludouic. & Loth. lib.3. cap.14. illam curiæ frequentationem omnibus, tum Monachis, tum Clericis inhibet, poſtulátque à Regibus, vt ſua authoritate eiuſmodi licentiam comprimant. *Illud à veſtra pietate ſuppliciter flagitamus vt Monachi & Preſbyteri, necnon & Clerici, qui poſtpoſita canonica authoritate paſſim palatium adeunt, & veſtris ſacris auribus importuniſſimam moleſtiam inferunt, veſtra authoritate & poteſtate deterreantur, ne hoc facere præſumant: quoniam in eiuſmodi facto & vigor Eccleſiaſticus contemnitur, & Religio Sacerdotalis & profeſſio monaſtica vilior efficitur.* Canonica porrò illa authoritas, cuius meminere Patres Pariſienſ. eſt Antiochenæ Synodi Can.11.qui Epiſcopos, Preſbyteros, & Clericos ſine literis Epiſcoporum, maximè Metropolitani Imperatorem adeuntes non modò ſegregari, ſiue excommunicari, ſed & deponi iubet. Quod ſi cauſa aliqua id poſtulet, eam in Synodo prouinciali probari & diſcuti mandat: & ſic cum conſenſu Synodi, eiúſque literis iter eiuſmodi ſuſcipi. Deinde Concilium Sardicenſe vt ſatisfaceret, Oſij, qui ipſe præerat, querelis, maximè de Epiſcopis Africanis, qui caſtra Imperatoris continuò frequentabant variis prætextibus, ſtatuit Can.7. ne quis Epiſcopus niſi literis imperatoriis vocatus ad caſtra accederet, aut ad ipſum pauperes & damnatos, qui ad Eccleſiam confugerant, deduceret. Permittit tamen Synodus Can. 8. vt Epiſcopi ſuos miniſtros mittant ad caſtra, ſiue Imperatoris curiam cum literis, quibus ſuis amicis negotia apud Imperatorem commendent: addit deinde Can.9.vt Epiſcopus priùs ad Metropolitanum mittat ſuum illum miniſtrum, qui deinde cum literis Metropolitani, vbi negotium examinarit, ad Epiſcopum, qui eſt in curia proficiſcatur, & eius opera apud Imperatorem aget; ſi verò Romam mittatur, nihil planè aget cum Imperatore, antequam rem totam communicauerit cum Romano Pontifice, qui expendet, an Imperatori porrigendi ſint eiuſmodi libelli ſupplices. Denique Can. 21. iubet Epiſcopis, qui ſunt in tranſitu & canalia καναλίῳ, conſtituti, qui nempe habitant in vrbibus, quæ viis regiis impoſitæ ſunt, vbi viderint Epiſcopum ad Imperatorem proficiſcētem,

non ſeruatis conditionibus præſcriptis, neque ipſius literis ſubſcribant, neque ipſi communicent. Concilium generale Carthagin. quod terium dicunt, Præſide Aurelio, ſanciuit can.109. vt qui ex Epiſcopis Africanis in comitatum proficiſcuntur Carthaginenſi, & Romano Pontifici cauſam ſuam curent oſtendere; quare præter dimiſſoriam ſui Primatis vbi Romam peruenerit, literas in comitatum inibi accipiet. Quòd ſi Romæ exiſtentem repentina neceſſitas ipſum comitatum adire coëgerit, rem exponet Romano Pontifici, ab eóque & literas accipiet, & earum exemplar in Africa deinde exhibendum ſeruabit. Concilij Antiocheni can.11. retulit Synod. Aquiſgr. c.73. Hincmar. verò Epiſt.49. tom.2. §.4. Teutfrido Presbytero ait obiiciendum omnem canonem Antiochenum, ſi relicto Epiſcoporum iudicio curiam adierit. Verùm in Antiocheno canone non agitur ſolùm de prouocatione ad iudicium Imperatorium, ſed de frequentatione curiæ. Hinc factum eſt, vt nequidem Regibus liceret ſibi aſſumere in Clericos ſui palatij alios, quàm eos, qui ab Epiſcopo eam curam accipere permitterentur. Quod de Principibus omnibus laicis teſtatur Orderic. Vitalis lib.9. Hiſtor. eccleſiaſt. ad ann. Chriſti 1092. & ſtatuit Concil. Claramontan. Præſide Vrbano II. c.18. Ex quibus omnibus habemus potiori iure prohibitam fuiſſe hanc palatij Regij frequentationem Monachis & Religioſis. Quare Concil. Cabilon. 1. cap. 15. præcipit Abbatibus, Monachis, & Agentibus monaſteriorum, ne ad Principis præſentiam ſine Epiſcopi ſui permiſſu ambulare audeant: quod ſi fecerint, à ſuis Epiſcopis excommunicentur. Vides tamen in his omnibus hanc licentiam potuiſſe concedi ab Epiſcopis, qui tunc Superiores erant monaſteriorum: quare & hodie à Prælatis Regularibus, vbi cauſæ eædem aderunt, idem permitti poterit. Vnde monaſteria habuerunt ſuos reſponſales, qui foris atque in ipſis Principum curiis negotia tractarent. Denique Clemens V. in Concil. Vienn. Clem.1. §. quia verò de ſtatu Monach. prohibet, ne Monachi, aut Regulares canonici adminiſtrationem aliquam non habentes ad curias Principum, abſque ſpeciali ſuorum Prælatorum licentia ſe conferre præſumant: & deinde ipſis Prælatis iubet, vt ipſos à curiarum acceſſu, & aliis quibuſlibet vagationibus, & diſcurſu diligenter compeſcant. Denique eos, qui curias adierint, vt aliquod ſuis Prælatis, aut monaſteriis damnum inferant, excommunicatione latæ ſententiæ percellit: de qua excommunicatione; vide Suar. to.5. in 3. part. diſp.23. ſect.5. n.6. Filliuc. tract. 14. cap.8. quæſ.6. n. 141. Sayr. lib.3. Theſauri cap.33. num.26. Bonacin. quæſt.2. de clauſura punct.5. & diſp.2. de cenſuris quæſt.8. punct.9. Ferdinand. à Caſtro Palao de cenſur. diſp.3. punct.34. num.4. Obſeruo duntaxat hac excommunicatione affici ſolos Clericos Regulares & Monachos nigros: quia de iis tantùm agit in ea conſtitutione Clemens. Itaque cenſent Suar. & Filliuc. cum Angelo, ver. excommunicatio 7. caſu 38. contra Sylueſt. ver. eodem 9. num. 78. Panormitan. in eand. Clement. num. 9. Tolet. lib. 1. cap. 39. num.5. Sayr. Bonacin. & Ferdinand. Deinde qui feriuntur hac cenſura, debent carere omni adminiſtratione, tum temporali, tum ſpirituali. Tertiò ſi ſiue cum licentia, ſiue ſine illa

eò

eò ſe conferant cum animo nocendi Prælatis, aut monaſterio, cenſuram incurrent: quod etiam verum erit, quamuis ad alia quoque negotia eò iuerint & licétiam obtinuerint, quam tamen communem ſententiam difficilem ſibi fatetur Ferdinand.

30. Quintò excommunicantur à Bonifacio VIII. Religioſi, qui abſque licentia ſui Prælati, & maioris partis conuentus ad ſcholas extra oppidum ſui monaſterij ſe contulerint cap. periculoſa; ne Clerici, vel Monachi in 6. de qua cenſura ſua, tom. 5. in 3. part. diſput. 23. ſect. 4. num. 5. Filliuc. tract. 14. cap. 8. num. 136. Sayr. lib. 3. Theſauri cap. 33. num. 10. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 8. num. 76. Sanctarell. tract. de apoſtaſ. cap. 2. Bonac. quæſt. 2. de clauſ. punct. 6. & diſput. 2. de cenſur. quæſt. 8. punct. 6. Ferdinand. à Caſtro diſp. 3. de cenſur. punct. 33. num. 14. Noſtri modò inſtituti eſt poſſe Prælatum cum licentia conuentus permittere Religioſo commorationem extra monaſterium ad audiendas ſcholas.

31. Sextò Alexander III. & Honorius III. excommunicant Religioſos, qui è ſuis clauſtris exirent ad Phyſicam, id eſt, medicinam & leges audiendas, & intra duos menſes ad clauſtrum non redierint: de qua cenſura diſputant laudati Doctores. Mihi monere ſufficit, eos, qui ex licentia Superiorum id fecerint, nulla affici cenſura. An verò poſſint Superiores hanc facere licentiam, pendet ex alia quæſtione, nimirum an eiuſmodi ſtudium ſit prohibitum Religioſis, de qua alibi: ſi enim poſſunt Religioſi huic ſtudio vacare, poterunt Prælati & illud permittere, & commorationem extra clauſtrum eadem de cauſa.

32. Septimò Nauarr. comm. 4. de Regularib. num. 36. damnat tanquam iniuſtas facultates generales, quæ alicubi dantur omnibus Canonicis *ſingulatim exeundi, quoties voluerint*, cauſa recreationis, aut deuotionis vſque ad mille paſſus: quamquam tolerabilis ſit ea facultas, quæ fit quibuſdam Doctoribus, Senioribus & probatiſſimis exeundi ad longiora ſpatia pro cauſa, quæ ſibi bona fide videbitur iuſta: & quamquam laudabilius foret, vt ſpecialis licentia ad exitum quemcumque ſpecialem peteretur: & ſanè multò minùs probaret Nauar. alios quorumdam mores, qui pro arbitrio extra monaſteria habitant.

Octauò idem Nauar. affirmat ibidem neque ſuam Roncauallem, neque vllum aliud *monaſterium ab obſeruantia lapſum*, reformari poſſe, *niſi prius constructa domo, vel clauſtro, intra quod omnes Canonici, vel Monachi poſſint ſimul habitare, reſici, & dormire cum Ianitore.* Quod ſanè potiori iure de reformandis monaſteriis Sanctimonialium dixiſſet: quare ab eiuſmodi conſtructione, & clauſura omnis Sanctimonialium reſtauratio inchoanda eſt: & niſi ea commodè fieri poſſit, ſiue ob inopiam domus, ſiue propter loci difficultatem, fruſtra omnis reformatio ſuſcipitur. 33.

Nonò concludit tandem Nauarr. *Intolerabilem eſſe morem, quo Canonici, vel Monachi quorumdam monaſteriorum deſtructorum viuunt more quorumdam Clericorum ſæcularium ſine clauſtro prope Eccleſiam ſingulatim in ſingulis domibus habentes coquas iuuenes, & extraneas, vel etiam ſenes, vel cognatas, ſed habentes famulas, vel comites extraneas, iuniores, nullámque licentiam exeundi vltra ſepta monaſterij petentes,* 34.

& reſiſtentes, vel nolentes, vt reficiantur ædificia, intra quorum portam quàm citò commodè fieri poterit, includantur. Ait deinde peccare: quia contemnunt regulam clauſuræ, ſunt in proxima occaſione peccandi contra caſtitatem, & paupertatem habendo proprium: denique ſic concludit. *Equidem ipſe non auderem abſoluere eiuſmodi Regulares, niſi firmum animum in contraria conciperent.* Quod tanti viri iudicium magnî omninò fieri debet.

CONSECTARIVM IV.

An Superior poßit dare licentiam Religioſo commorandi extra monaſterium, & dimittendi habitum ad ſuccurrendum parentibus.

35. DIcendum eſt Superiorem darè poſſe facultatem Religioſo manendi extra clauſtrum, retento tamen habitu ad ſuccurrendum parentibus graui neceſſitate laborantibus, & cui aliter commodè occurri nequit, quàm illo filij è monaſterio egreſſu; non poterit tamen Religioſus inconſulto, aut inuito Superiore è monaſterio exire, & multò minùs habitum dimittere: neque Prælatus id permittere tenebitur, ſi neceſſitas parentis, filij profeſſionem ſubſecuta fuerit: ſecus verò ſi præceſſerit. In omni tamen caſu tenebitur, quantum poterit, ſubuenire parentibus, ſeruato ſuo ſtatu & ſubſtantiali ordine Religionis. Quæ omnia ſingillatim explicanda & confirmanda ſunt.

36. Ago de graui neceſſitate, non de communi, aut de extrema, quæ tantùm eſt, quando quis in eo vitæ diſcrimine conſtitutus exiſtit, vt niſi quam primum illi ſubueniatur, mors illi, aut grauiſſimum eius periculum certò immineat. Grauis verò neceſſitas dicitur, quando quis abſque graui difficultate & labore ſuſtentari nô poteſt propter magnam inopiam & penuriã, aut quia cum magno dedecore è ſuo ſtatu excidere cogitur, & vel mendicare; vel famulari, vel ſordidum aliquod officium & cum non leui infamia exercere. Communis neceſſitas eſt, quando quis communes & frequentes omnibus neceſſitates patitur, ob quas & parcè viuere, & non modò ſuperfluis, ſed etiam aliquando congruis & neceſſariis ſumptibus abſtinere; multis, quæ ipſum decerent, carere, ſtatum potiùs minuere, quàm augere cogitur: quamuis adhibita communi diligentia, & induſtria, neceſſaria ſibi comparare poſſit, & vitam neque indignam ſuo ſtatu, neque penitùs incommodam degere.

Non ago igitur de extrema neceſſitate, conſentiunt enim omnes filium, qui in ſæculo manens poteſt ſubuenire illi neceſſitati; non autem in Religione: neque alij ſint, à quibus certò iuuandi ſint parentes, teneri differre ſuum in Religionem ingreſſum, nullo enim alio caſu præceptum charitatis & pietatis magis vrgere poteſt. Deinde omnes æquè conſentiunt teneri filium è monaſterio ad ſubleuandam eiuſmodi extremam neceſſitatem egredi, etiam inuito Superiore: addiderim & habitum dimittere, ſi aliter illi occurri nequeat, & eo modo ſit ſubleuanda, quantum coniectura licebit aſſequi, quia & pietatis præceptum tunc vrget, & miſericordiæ: quod tradunt iidem Doctores, quos magno numero dabit Sanch. lib. 4. in Decalog.

cap. 20.

cap. 30. num. 14. Leſſius lib. 2. cap. 41. dub. 3. num. 34. Layman lib. 4. tract. 5. cap. 6. num. 1. Valent. 2. 2. diſputat. 7. quæſt. 1. punct. 2. Ferdinand. à Caſtro tractat. 16. diſput. 1. punct. 7. num. 4. aliique, paſſim recentiores, quorum aliqui addunt id obſeruandum quoque eſſe, circa quemlibet proximum extrema neceſſitate laborãtem. Nam ſi quis in puteum incidiſſet, à quo tunc à ſolo Religioſo extrahi poſſet; teneretur ille, etiam repugnante Prælato, egredi: quod tandem fatetur ipſe Suarez, qui aliud ſentire videtur reſpectu cuiuſlibet proximi, aut aui, vel nepotis, aliorúmve conſanguineorum, cum de ſolis parentibus mota ſit quæſtio à veteribus. Verùm inde tantum habetur peculiarem eſſe obligationem hac in parte erga parentes: quod ampliùs ſtatim explicabo. Sanè cum extrema neceſſitas diuturna eſſe nequeat; vel enim citò illi occurritur, vel proximus perit in præſenti vitæ periculo conſtitutus: abſque graui iactura illi ſuccurritur: quare ſine vllo detrimento Religionis ſubueniret parenti Religioſus, qui proinde ab illa impletione præcepti naturalis impediri iure non poterit.

37. Communis verò neceſſitas non obligat filium, vt omittat, aut differat Religionis ingreſſum, ergo multò minus obligabit illum, vt è monaſterio diſcedat, inuito Superiore; aut Superiorem, vt illi permittat eiuſmodi egreſſum; immò neque erit ſufficiens cauſa illum permittendi. Quæ omnes conſequentiæ manifeſtæ ſunt: nam ceſſante illa obligatione filij, quæ vrget, vt omiſſo conſilio ſeruet præceptum naturale pietatis aduerſus parentem, & differat bonum ingreſſus Religionis: nihil erit, quod obliget vel ipſum Religioſum ad ſubtrahendum ſe Religioni, cui ſe iã per profeſſionem tradidit: vel Religionem ad priuandum ſe illo Religioſo. Antecedens verò traditur à S. Thom. 2. 2. quæſt. 101. art. 4. ad 4. vbi ſaltem agit de hac communi neceſſitate, cum ait filium non poſſe licitè deſerere parentes, ſi ſine illo ſuſtentari non poſſint. Vbi autem iam profeſſus eſt, non debere occaſione ſuſtentationis parentum exire clauſtrum, vbi Chriſto conſepultus eſt. & quæſt. 189. art. 6. illam neceſſitatem, quæ reddit illicitum filiorum ingreſſum in religionem ita deſcribit, vt illi commodè aliter quàm per obſequium filiorum ſubueniri non poſſit, quæ eadem habet, quod 10. quæſt. 1. Quibus verbis neceſſitatem grauem, & non tantùm communem deſcribit. Eſtque euidens ratio: quia in ea neceſſitate communi non tenetur filius emancipatus ex rigore præcepti charitatis alere parentes ex ſuis propriis bonis, priuando ſe æquali commodo temporali: multo minus igitur tenebitur priuare ſe tam ingenti bono ſpirituali, quod ex communi regula præferendum eſt temporali, quoties iſtud non eſt neceſſarium ex præcepto. Vnde fit, vt quis poſſit ſe exponere vitæ periculo ad comparandum bonum ſpirituale. Deinde cum præceptum pietatis ſubueniendi parentibus affirmatiuum ſit, & ideò neque ſemper obliget, neque eodem modo, ſed pro ratione neceſſitatis magis aut minus, & pro facilitate, aut difficultate illi ſubueniendi. Nam qui facilè poteſt ſubuenire, magis ad id obligatur, quàm qui difficilè: ideóque ſi indigentis neceſſitas leuior ſit, & ſubuenientis diſpendium graue, nulla omninò exiſtimabitur eiuſmodi neceſſitas

compara

comparata cum ſubuenientis incommodo grauiori; ideóque in caſu, de quo agitur, communis illa parentum neceſſitas collata cum maximo damno filij & Religionis, ſi illi ſuccurrat deſerendo monaſterium, leuis omninò cenſebitur; neque obligabit aut filium Religioni ſe ſubtrahere, aut Religionem illo ſe priuare. Communem verò neceſſitatem exiſtimare non debes illam, quæ coniuncta eſt cum proximo periculo grauioris imminentis, quod auerti nequit, niſi filiorum obſequiis extra monaſterium commorantium.

Reſtat itaque ſola grauis neceſſitas, de qua diſputat noſtrum Conſectarium.

38. Dixi igitur primò, grauem neceſſitatem parentum, cui aliter commodè occurri nequit, quàm per filij commorationem extra monaſterium eſſe ſufficientem cauſam ſuperiori id permittendi, retento tamen habitu. Quam aſſertionem nemo vnus negabit, cum ſaltem illam euincant, quæ de obligatione exeundi è monaſterio eo caſu quamplurimi tradunt.

Dixi ſecundò, non poſſe tamen Religioſum, inuito Prælato, exire è monaſterio, quando ea parentum neceſſitas filij profeſſionem ſecuta eſt. Contra Dianam 6. part. tract.7. Reſolut.19. Verùm noſtram aſſertionem docent Angelus, ver. Religioſus, num.31. Sylueſt. ver. Religio 6. quæſt.9. num.9. Nauar. cap.14.n.14. & comm.3.de Regular.num.48. Tolet. lib. 3. cap. 1. num. 6. Leſſ. lib.2. cap.41. num.34. Suar. tract.7.de Relig. lib. 6. cap.9. num. 8. & omnino voluit S. Thom.2.2. quæſt.101.art.4. ad 4. & omnes veteres, qui abſolutè dixerunt Profeſſum, non poſſe egredi ob neceſſitatem parentum, neque illis ſubuenire, niſi ſeruato ordine Religionis; loquuntur enim de Profeſſo antè eam neceſſitatem. Nam ſupponunt, ea exiſtente, neque ingredi, neque profiteri licitè potuiſſe. Quia cum filius ſe tradidit Religioni, voluntatémque ſuam abdicauit, & reddidit ſe impotentem ad ſubueniendum parenti, ſi quando in neceſſitatem grauem incideret, & ſua indigeret opera, non peccauit in parentem, néque ipſi vllam fecit iniuriam, cum præceptum pietatis, quod affirmatiuum eſt, tunc illum ad id non obligaret: neque obliget, niſi pro loco & tempore. Et ſanè ſi filius obligaretur ſe conſeruare in eo ſtatu, in quo poſſet, contingentibus aliquando neceſſitatibus parentum ſubuenire, neque ſtatum coniugij, neque ſeruitutis aſſumere poſſet, neque res ſuas donare, aut impendere in pias etiam cauſas, neque militare cum vitæ periculo, neque longiora itinera ſuſcipere, aut mari ſe committere, aut in eremum ſe abdere, ne ſe impotentem redderet ad ſuccurrendum parenti, ſi fortè repentina aliqua neceſſitate pulſaretur; atque ex his variis ſtatibus, quos nemo negabit à filiis aſſumi poſſe, & quos deſerere ad ſuccurrendum parenti nemo coget; neque enim maritus vxorem, aut ſeruus Dominum relinquet, vt patri grauiter laboranti occurrat; neque res donatas idcirco repetere poterit: facilè colligitur, neque licitè poſſe ordinem religioſum, quem profitetur, violare; neque propterea damnabit eum imminutæ pietatis; eius enim præceptum non obligat impotentem; & ſanè inanis eſt actio, quam excludit inopia creditoris, l. nam is. ff. de dolo. & impoſſibilium nulla eſt obligatio. ff. de regul. iur. & Religioſi velle iam iuſte factum

eſt

eſt alterius, quod proinde reuocare ipſe non poteſt.

39. Dices parentem habere ius in filium, tanquam in rem aliquo modo ſuam: qui proinde nequit ita ſe alteri tradere, vt ius paternum non maneat ſemper integrum ad vtendum re ſua, vbi indigebit. Aliud enim eſt ius in rem aliquam, aliud eius vſus. Ius poteſt eſſe perpetuum, quamuis vſus illius perpetuus non ſit: quod apertum eſt in iure ſeruitutis, quod aliquis habet in domum aliquam, vt pro tali occaſione in illa habitet. Cùm enim non ſemper occurrat illa occaſio, non vtitur perpetuò ſuo illo iure habitationis: retinet tamen ſibi perpetuò illud ius, licet Dominus eius domus illam vendat, aut donet: manet enim ſemper obligata,& tranſit ad nouos Dominos cum illa obligatione: quare qui ius habitationis in illam habebat pro certa quadam occaſione, ipſa occurrente in illa habitare poterit. Cum igitur ius paternum in natura radicatum perpetuum ſit, vtendi ſuo filio in graui ſua neceſſitate, & illi iuri correſpondeat obligatio ſubueniendi parenti in graui neceſſitate conſtituto, ſi illi aliter ſubueniri nequeat: quando occurret illa neceſſitas, reuera obligabitur filius; neque per donationem & traditionem,quam fecit ſui ipſius, potuit aut illud ius paternum tollere, aut minuere, aut ſe ea obligatione eximere: quare nihil omnino facit, quod neceſſitas parentis profeſſionem filij præceſſerit, aut ſubſequuta fuerit: quia illa actualis neceſſitas non dat vllum ius parenti in filium;ſed illius tantùm vſum actualem. Quando igitur neceſſitas continget,poterit iure ſuo vti, & filium repetere, eiúſque obſequia, quæ ex præcepto naturali tenebitur præſtare filius etiam inuita Religione, cui ſe tradidit: non enim potuit ſe tradere, niſi cum illo onere & obligane, vti videmus in alienatione rerum, quæ ſeruituti alicui obnoxiæ ſunt.

Reſpondeo tamen diſcrimen eſſe inter ius illud ſeruitutis in rem, domum v. g. vel prædium; & ius paternum in perſonam filij: quia ius illud priùs ferè inuariabile eſt; eo quod res, in quam eſt, ſit quoque ferè inuariabilis; ius verò paternum ſit variabile; eo quod filius ipſe ſucceſſu tempóris ſemper variabilis ſit in ætate, libertate, & ſtatu. Vnde neceſſariò ſequitur ius paternum variari: quod mirum videri non debet. Nam naturalia iura variantur, mutatis ipſorum materiis & obiectis, quæ non tam eſt mutatio, aut variatio iuris naturalis, quàm ſubtractio materiæ ipſius, vt fuſiùs oſtendimus agentes de immutabilitate iuris naturalis lib. 3. noſtræ ſcientiæ Canonicæ. Quare ſicut deſtructa domo, ius habitationis ipſius in certis occaſionibus perit, & prædio reddito ſterili & infrugifero, alluuione v.g. perit ius penſionis: ita mutata perſona filij quoad diuerſos ſtatus eius, mutatur, aut minuitur ius patris in ipſum,& eius obſequia: idcirco ipſæ leges humanæ plura concedunt patri in filium impuberem, quàm in puberem, in non emancipatum, quàm in emancipatum; nemo etiam negarit per coniugium, aut ſeruitutem filij minui ius paternum in ipſum: quia iam fit alterius, quod idem poſſe ſtatum Religioſum omnes æquè concedere debent. Itaque filius per traditionem ſui, quam facit Religioni, non priuat parentem iure aliquo, ſicut neque quando init matrimonium; ſed mutat ſtatum, 40.

quo mutato variatur quoque ius patris ; & nouo ſtatui accommodatur; atque ita poteſt vti ſuo filio , & filius illi obſequi obligatur , quantum patitur ille ſtatus , vti dicam ſtatim.

41. Dixi tertiò Prælatum non teneri ad permittendam Religioſo commorationem extra monaſterium , aut dimiſſionem habitus in graui neceſſitate parentis filij profeſſionem ſubſecuta : quod docent Doctores proxima aſſertione laudati cum Nauarr. comm.3.de Regul. num.49. quia neque ex charitate , neque ex iuſtitia ad hanc faciendam licentiam tenetur. Non primum ; quia ad hoc neceſſarium foret , vt illa ſubuentio fieret quaſi ex ſuperfluo : quod hic non contingit , cum egreſſus è Religione,& dimiſſio habitus non fiant ſine diſpendio Religionis.Non etiam ſecundum : quia Religio acquiſiuit ius abſolutum in perſonam Religioſi ſine vllo onere , aut debito iuſtitiæ , quod vtendo ſuo Religioſo violet : & ius paternum mutato ſtatu filij reſtrictum eſt. Et ſanè ſi Prælatus obligaretur ex debito iuſtitiæ, aut charitatis ad hanc licentiam,poſſet illam Religioſus inuito Prælato capere : quod modò negabamus.

42. Dixi quartò Religioſum profeſſum parentibus exiſtentibus in graui neceſſitate , cui aliter commodè ſuccurri nequit,quàm per eius è monaſterio egreſſum , & habitus dimiſſionem teneri eam licentiam à Superiori petere , quam & ipſe omninò concedere debebit : & ſi iniuſtè neget , fas erit Religioſo reluctante Superiore è monaſterio egredi. Ita docent allati Doctores aſſertione 2. & præterea Henricus Gandau.quodlib.5. quæſt. 19. Ianſen. in Concord, cap.60. Cordub. in regul. S.Franciſc. cap.2. quæſt.6. articul. 2. Palac. in 4. diſput.1. ad 3. Adrian. quod 1.art.3. ad 7. contra Sanch.lib.4.in Decalog. cap. 20. num. 17. vbi plurimos allegat , quibus adhæſit Layman lib. 4. tract.5. cap.4.

Ratio vniuerſalis eſt , quia filius per ingreſſum Religionis fecit iniuriam patri , cui ex iure naturali tenebatur ſuis obſequiis in tali neceſſitate ſubuenire : ergo neque illam ſuam obligationem naturalem per actionem iniurioſam extinxit ; ſed potius nouam , reparandi iniuriam illatam contraxit , neque Religio ius plenum & abſolutum in perſonam illam acquiſit , non potuit enim ſe tradere niſi cum obligatione , cui actualiter erat obnoxius : & Religio non potuit illum accipere niſi cum onere non impediendi executionem illius , vbi ipſa vrgebit : neque reuera acquiſiuit ius in filium contra ipſum parentem. Quæ omnes conſequentiæ veriſſimæ ſunt & euidentes. Solum itaque antecedens oſtendendum eſt , neque illud negant aduerſarij , qui idcirco vnanimi conſenſu fatentur filium eo caſu neque poſſe deſertis parentibus ingredi Religionem , neque in ea profiteri. Ita S.Thom.2. 2. quæſt.189. art.6. & quodl.3.art.6. Alenſ.3.part.quæſt.33. membr.4. Gerſon 2. part. alphab.39. lit. Y. tract.de grauato ære alieno an poſſit ingredi Religionem. Henric. quodl.6. quæſt. 19. Nauarr. cap. 14. num.14. Sylueſt. ver. Religio 2.q.7. Roſella eod. ver. 2. numer. 7. & alij permulti , quos refert & ſequitur Sanch. lib.4. in Decalog. cap.20.n.8. Suar. tract.7. de Relig. lib.5. cap.5. à num.11. Leſſ. lib.2. cap.41. num.34. Layman lib.4. tract.5. cap. 6. num.2. Ferdinand. à Caſtro tract. 16. diſp.1. punct.7. num.5. Azor.1. part.lib.12.

cap.1. quæſt.8. Roderiq.tom.2.q.13. articul.5. & tom.2. ſumm.cap.6.n.4. qui damnant peccati mortalis eiuſmodi ingreſſum & profeſſionem, quamuis eam validam eſſe fateantur, cum neque iure naturali, quod non reddit incapacem talem filium obligationis Religioſæ, neque vllo iure poſitiuo irritetur. Deinde iſti omnes Doctores volunt etiam votum de ingredienda Religione, aut facienda profeſſione non liberare filium ab obligatione manendi in ſæculo, ſi aliter quàm eius obſequio parenti grauiter laboranti ſubueniri nequit. Quorum omnium illa vnica ratio eſt: quia præceptum naturale & diuinum obligat eo momento filium ad ſuccurrendum parenti, qui ius habet in obſequia filij. Neque illi præcepto naturali & diuino poſſunt, aut debent derogare opera conſilij: quia nunquam eſt conſilium de non ſeruandis præceptis eo tempore, quo vrgent: quare ſi ſimul cum rebus imperatis conſilia ſeruari nequeant, reiicienda tunc ſunt ea conſilia; alioquin coniux negare poſſet debitum coniugi, aut fieri Religioſus ipſa inuita, & debitis grauatus bona omnia ſua in pauperes erogare, ad continentiæ, Religionis, & eleemoſynæ conſilia ſectanda. Cum igitur ingreſſus in Religionem, & profeſſio filij ſit iniurioſa parenti non poteſt parentem priuare ſuo iure in filium, neque filium obligatione aduerſus parentem abſoluere. Confirmatur ab Angelo & Syluestro. Quia actio competens in aliquem ex contractu aut quaſi contractu, non extinguitur per ingreſſum Religionis; aut ſi extinguitur, vt quidam volunt, eo quod pro mortuo habeatur. L. Deo nobis §. hoc etiam cognitum. C. de Epiſcop. & Cleric. iidem tamen dicunt reſtitui ex edicto de capitis diminutione. L. tutelas §. iniuriarum. ff. de cap. diminut. Vnde fatentur omnes Religioſum poſt ingreſſum Religionis poſſe ex obligatione, aut actione, qua priùs tenebatur conueniri, ſed per Abbatem, aut Syndichum reſpondebit C. de Epiſcop. & Cleric. Authent. cauſa quæ fit cum Monach. & per notata in Authent. de Monach. in princip. & in Authent. de ſanct. Epiſcop. §. prouidere. Quidni igitur poterit ſuum filium parens repetere, & illum de obligatione naturali, qua tenetur, conuenire.

Ex hac certiſſima & communiſſima doctrina probantur ſingulæ partes noſtræ concluſionis, & primò quidem teneri Religioſum iſtum petere à Prælato facultatem implendi obligationem naturalem, qua tenetur aduerſus parentem, & quæ non magis extincta fuit per profeſſionem, quàm vita naturalis & phyſica per illam mortem ciuilem, nemo negabit. Nam debet ſe accingere ad implendam obligationem, & ad reparandam iniuriam, quam intulit, & ſimul quantum fieri poterit, Religioſum inſtitutum, ad quod ſe per profeſſionem obſtrinxit, ſeruare, quando ſimul vtrique obligationi ſatisfacere licet, vti contingit in hoc caſu. 43.

Secundò teneri Prælatum ac Religionem in eo caſu facere facultatem omnem neceſſariam ad ſuccurrendum illi parentis graui neceſſitati, ſequitur ex dictis. Cum enim Religio ſuſceperit filium cum iniuria parentis, & cum onere obligationis, cui erat obnoxius, tenetur omnino & iniuriam reparare, & non impedire impletionem, aut executionem talis obligationis: quia, vti 44.

 oſtendi,

oſtendi, non acquiſiuit ius in talem perſonam plenum; ſed cum onere, cui erat obnoxia, & ſaluo iure paterno in filium. Neque dicas debitorem, qui ſe impotentem facit ſoluendis debitis donando, aut pecuniam, aut rem aliam non hypothecatam peccaſſe; nihilominus donationem fuiſſe validam, & donatarium non teneri, aut illam creditori reſtituere, aut ipſi danti, vt & illa nomina diſſoluat. Nam vt non diſputem donatarium, qui ſciuit iniuriam, & fraudem fieri creditoribus obligari ratione iniuriæ, & cooperationis ipſius ad reſtitutionem: Dico pecuniam, quæ donata fuit, non fuiſſe obnoxiam obligationi, ſed ſolam perſonam, quæ debitum ſoluere tenetur: ideóque obligatio non tranſit tunc cum re donata, quæ ſemper fuit in dominio debitoris, & non creditoris. Ideóque debitor donando ſuam pecuniam, aut rem aliam quamlibet non hypothecatam, reuera plenum ius, & dominium illius rei tranſtulit in donatarium, & ſine vlla obligatione reali: quia reuera nulla erat in re donata: quare dici nequit per donationem extinctam, aut imminutam fuiſſe obligationem rei donatæ. Vnde etiam fit, vt neque creditor repetere poſſit illam rem à donatario, neque donatarius illam reſtituere aut creditori, aut ipſi etiam danti debeat: ideóque ſi filius diues Religionem ingrediens illi ſua bona dónaſſet, patre graui inopia laborante, cui ex pietate tenebatur ſubuenire, valida nihilominus foret donatio, neque Religio res donatas reſtituere teneretur: quia acquiſiuiſſet illarum dominium abſolutum ab omni omnino obligatione, ſi nihil aliud ſpectemus. At verò traditio, quæ fit in profeſſione eſt perſonæ obligatæ: quæ obligatio non ſeparatur ab illa perſona, cui intrinſeca, & naturalis eſt, ſicut neque ſepararetur obligatio à re donata, ſi illa fuiſſet obligata & hypothecata. Manet itaque perſona obligata poſt illam ſui traditionem, & non potuit transferre ſui dominium plenum, & abſolutum, ſed quodammodo diminutum & conditionatum, quamdiu videlicet, & quatenus prior obligatio, & ius paternum illi correſpondens contrarium non erit, & eius vſum non impediet; eáque ratio eſt, cur coniux coniugem, & Dominus ſeruum ſe inuito profeſſum, vt alibi fusè ex omni iure demonſtrauimus, repetere poſſint: quia non potuerunt ſe tradere Religioni, cum iniuria coniugis & Domini: neque filius id potuit cum iniuria parentis. Tenetur igitur Religio permittere filio profeſſo, quæ ad implendam obligationem, de qua agimus, neceſſaria erunt. Quare ſi ipſa Religio aut ſuis curis, aut ſua authoritate, aut ſuis etiam facultatibus huic neceſſitati prouideat, nihil amplius permittere tenebitur filio: quia iam ceſſat neceſſitas parentum. Si intra Ordinem & monaſterium poſſit quibuſdam obſequiis, & actionibus filius ſubuenire parenti, non poteſt aliam facultatem, quàm ad eas actiones petere, neque Superior aliam dare poterit, aut debebit. Si extra clauſtrum ea de cauſa manendum ſit retento habitu, alia licentia neque poſtulanda, neque concedenda fuerit, niſi exiſtimetur varias ob cauſas non eſſe permittendum alicui Religioſo extra ordinem cum habitu viuere. Denique ſi omnino dimittendus ſit habitus, & id permitti poterit: & ſi neget vnus Superior, ad alium, qui maiori poteſtate polleat, recur

recurrendum erit, atque ad ipſum Generalem & demùm ad Pontificem, niſi recurſus ad illos ſit moraliter impoſſibilis, aut periculum in mora: Tunc enim ad eos recurſus non tenebitur, vti fatetur Suarez, qui tamen cum aliis recentioribus vult ſemper, quoties de habitu dimittendo agitur facultatem pontificiam, quæ mihi omnino neceſſaria non videtur in illis circunſtantiis: quod etiam cenſuit Fagund. tom. 1. in Decalog. lib. 4. cap. 2. n. 28. Quia obligatio naturalis, quam illi admittunt, æquè à geſtatione habitus & commoratione in clauſtro hunc Religioſum abſoluit, ſi iidem caſus vrgeant: quare à Superiore & peti, & dari debebit.

45. Quòd ſi iniuſtè vtramque illam facultatem neget Religio, neque ſit facilis ad Pontificem recurſus, aut periculum vrgens tantam moram non patiatur, poterit Religioſus, inuito Superiore, ſi ſine ſcandalo id fieri poſſit parenti opitulari; atque adeò & monaſterium deſerere, & habitum dimittere, ſi ita res omnino poſtulet. Qua in re ne ſibi ipſi facilè imponat Religioſus, omnino diſpiciat, & ne opus omnino indecens ſtatui Regulari, aut Clericali, ſi Clericus eſſet, exerceat. In his autem omnibus circumſtantiis poſſe Religioſum, quæ neceſſaria erunt ſubleuando parenti, præſtare: quæ erat tertia pars noſtræ aſſertionis, ſequitur manifeſtò ex dictis, quoties enim Superior tenetur dare licentiam ex iuſtitia, & iniuſtè illam negat, poteſt inferior ſine illa, immò & reluctante Superiore, obligationem ſuam implere: quod nemo negabit.

46. Dixi denique Religioſum teneri, quantum patitur ſtatus Religioſus, ſubuenire omni ope parenti laboranti graui inopia & neceſſitate, ſiue illam profeſſio filij præceſſerit, ſiue anteceſſerit. Quam aſſertionem omnes communi conſenſu docent: quia & charitas, & pietas obligant, & Religionis noua obligatio ſimul impletur. Quis enim dicat filium Religioſum non magis obligari parenti, quàm alteri cuipiam extraneo, & eo tantùm caſu, quo cuiuſlibet extranei neceſſitas eius opem poſtularet & auxilium, teneri ſubſidio eſſe parenti. Cuiuſmodi verò ſint illæ actiones, quæ ſine violatione obligationis religioſæ fieri poterunt, diſputant Suar. Ferdinand. Sanchez & alij. Mihi in iis enumerandis, & expendendis immorandum non videtur: quia rem totam prudentum arbitrio relinquendam eſſe cenſeo. Moneo tamen cum Suare, Superiore iniuſtè negante facultatem ad has actiones, illas à Religioſo fieri nihilominus poſſe, ſecluſo ſcandalo.

Quæ hactenus dicta ſunt de obligatione iſta filiorum aduerſus parentes, intelligenda quoque ſunt de auis, & aliis aſcendentibus, qui ſunt etiam principia generationis. Ita Sanchez cap. 20. citato num. 28. contra Suar. lib. 5. cap. 5. num. 9. & conſonat Plato lib. 11. de legib. dum de cultu auorum ſeniorum diſputat: id tamen ego non conceſſerim circa parentes adoptiuos, quamuis eam adoptionem pluribus efferant Dio Chryſoſt. orat. 41. Ambroſ. Epiſt. 43. Caſſiodor. lib. 4. Epiſt. 2. Auguſtin. ſerm. 52. de diuerſ. cap. 18. Quia reuera non eſt alia aduerſus eos naturalis obligatio, quam aduerſus benefactores.

Denique quod attinet ad fratres & ſorores, alióſque conſanguineos, non eſt illa obligatio aut non ingrediendi Religionem, aut illam deſe-

rendi, niſi fortaſſis in quibuſdam circunſtantiis, quæ & vix vnquam contingunt, & in hoc conſectario expendi non debent.

CONSECTARIVM V.

An Religioſus poſſit exire è monaſterio ſine licentia Superioris, vt ab eius iniuſto grauamine maiorem Superiorem appellet.

47. CErtum quidem eſt non eſſe licitam appellationem Religioſis à correctione regulari ex iuſta Superiorum ſententia, quamuis paulò rigidiori, vt apertè colligitur ex cap. ad noſtram, & cap. reprehenſibilis de appellationibus; ne remedium appellationis, quod in iuſtam & naturalem defenſionem inductum eſt, fiat nequitiæ patrocinium, & ordinis perturbatio, qua etiam de cauſa præter ea, quæ in iure communi ſatis apertè traduntur locis citatis Pontifices ſpeciali iure conceſſerunt quibuſdam ordinibus, ne eiuſmodi appellatione apud ipſos licita foret, vt videbis apud Sorbum in compend. priuilegiorum mendicantium ver. appellare, num.1. 2. 3. & de Prædicatorum Ordine teſtatur Armilla ver. accuſatio ſub finem. Idem indulſit Paulus III. Societati Ieſu an.1549. & Canonicis S. Saluatoris, ac deinde Ciſtercienſibus Iulius II. provt refertur in compend. priuileg. Societ. Ieſu ver. appellatio. De aliis agit Sanch. lib. 6. in Decalog. cap.8. num.107. Nihilominus quoties pœna durior eſt, & ſententia illam iniungens ſeuerior, quamuis intra limites æquitatis licebit querelis & precibus apud maiorem Superiorem, vt inferioris rigorem molliat agere: quia per eiuſmodi querelam & ſupplicationem non læditur ius inferioris Superioris iuſtè, rigidè tamen iudicantis: quandoquidem neque impeditur ab exequenda ſua ſententia, neque cauſa ad aliud ſuperius tribunal deuoluitur. Itaque hanc ſupplicis libelli querelam admittunt paſſim Nauarr. conſil. 5. de appell. num. 8. Roderiq. tom.1. qq. Regul. quæſt. 29. Sayr. lib. 12. clauis regiæ cap.17. num.38. Suar. tract.8. de Relig. lib.2. cap.11. num.6. & 7. Sanch. lib.6. in Decalog. cap.8. numer.110. Ferdinand. à Caſtro tract. 16. diſp.4. punct.15. num.3.

Supponendum ſecundò eſt licitam eſſe appellationem Religioſis, à ſuis Prælatis modum iuſtitiæ excedentibus in correctione fraterna, aut in alia quapiam cauſa iniuſtè grauantibus, ſiue iudicialiter, ſiue extraiudicialiter procedant. Nam c. de Priore. de appellationibus, iubetur puniri Prior, qui appellationi Religioſi nihil detulerat: & idem colligitur ex cap. licet, de Officio ordinand. & cap. ſuper quæſtionem de officio delegat. vbi non omnino appellationis remedium excluditur; ſed tantùm, quando Prælatus modum non excedit. Neque iura initio allata quidquam officiunt: loquuntur enim de correctione regulari, quæ modum non exceſſit: tunc enim iure merito negatur appellatio: quia, vt optimè argumentatur Panormitan. in cap. licet de Officio ordin. cum appellatio inducta ſit ad auferendum grauamen C. vt debitus de appellat. & Religioſus non grauetur, quamdiu ſecundum Regulam corrigitur, aut caſtigatur, non debet locus eſſe appellationi; ſecus verò ſi non teneatur modus in Regula præſcriptus, 48.

aut

aut violetur iuſtitia; tunc enim, cum grauamen patiatur Religioſus, non debet illi negari appellationis remedium; alioquin foueretur Prælati iniquitas, quies Ordinis perturbaretur, & ſubditus careret omni defenſione aduerſus manifeſtas Prælati iniurias: quod eſt contra mentem Eccleſiæ, quæ idcirco recuſauit appellationem à correctione regulari, vt turbas vitaret, & ne peccantis Religioſi iniquitas patrocinium aduerſus regularem obſeruantiam haberet, non eſſet porrò minus incommodum, & Religionis damnum, ſi denegata appellatione, Prælatorum audacia, & quidlibet faciendi libido impunita maneret; itaque appellationem in his caſibus omninò concedunt Gloſſa in cap. ad noſtram de appellationib. ibique Innocentius, Hoſtienſis, Antonius, Cardinal. Abbas, Bald. Præpoſit. Franc. Decius: Gloſſa item in cap. de Priore, & cap. licet ſuperiùs allata, & ibi communiter ſcribentes, Nauarr. comm. 3. de Regul. n. 51. & conſil. 4. & 5. de appellat. Angelus ver. appellatio, num. 10. Syluest. eod. ver. q. 7. num. 9. Armilla numer. 16. Tabiena quæſt. 11. n. 12. Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 11. quæſt. 8. Roderiq. tom. 1. qq. regularium quæſt. 29. a. 2. Sayr. lib. 12. clauis cap. 17. à num. 38. Ferdinand. à Caſtro punct. 15. citat. num. 4. Suar. lib. 2. tractat. 8. de Religione cap. 11. numer. 11. Sanch. cap. 8. citat. numer. 102.

49. Neque obſtant priuatæ conſtitutiones & priuilegia pontificia denegantia quibuſdam Religioſis appellationem. Bann. quidem 2. 2. q. 69. artic. 3. ſub fin. Salom. ibid. dub. 2. & Petrus Ledeſma tom. 2. ſum. tract. 8. cap. 24. ſub fin. prima concl. dicunt Religioſos, qui eas conſtitutiones nouerunt, renunciaſſe iuri naturali defenſionis atq; appellationis iſtius, ſicut renunciarunt iuri matrimonij: & Pontifex potuit quoque graues ob cauſas edicere, vt qui eiuſmodi ordines ingrederentur, illi iuri renunciare tenerentur. Verùm inde tantùm ſequitur eiuſmodi Religioſos abdicaſſe ſe iure appellationis, quam negant illæ conſtitutiones & priuilegia; non negant autem omnem: ſi enim id facerent, iniuſta forent, vt conſtat ex dictis. Ideóque Sot. lib. 8. de iuſtitia quæſt. 6. art. 3. & Valent. 2. 2. diſput. 5. quæſt. 13. punct. 3. fin. dicunt negari appellationem ad externos Prælatos. Sayr. autem cap. 17. citat. numer. 41. & 42. Roderiq. illa quæſt. 29. artic. 3. Aragon. 2. 2. q. 69. articul. 3. recuſari appellationem in cauſis leuibus: inde enim ſequeretur magna quietis religioſæ perturbatio: alij denique eodem modo, quo ius commune, intelligi volunt iſta priuilegia, ne appelletur à correctione fraterna, vbi non fuit exceſſus & modus regularis ſeruatus fuit; ſecus verò ſi per exceſſum ordo & iuſtitia violata fuerit. Ita Nau. Sayr. Roderiq. Azor. & alij. Et ſanè ſæpius iſti Pontifices dicunt non licere appellationes à correctionibus ſecundum Regulam & ordinationibus factis, ne tamen hæc priuilegia nihil aliud, quàm ius commune operari & continere videantur, ſapienter aduertit Sanch. c. 8. cit. n. 110. iure communi licere appellare, quando grauamen eſt dubium, & non tantum, quando certum eſt. Quare niſi apertè conſtet nullum eſſe grauamen, non reiicitur appellatio cap. cum ſpeciali §. porrò de appellationibus. At verò per hæc priuilegia & conſtitutiones priuatas non promittitur appellatio, niſi grauamen &

Prælati-

Prælati exceſſus manifeſta ſint. Ex his porrò intulit idem Sanch. n.204. non eſſe quoad exceſſus iſtos,& grauamina manifeſta vllum diſcrimen quoad appellationes inter Clericos ſæculares & regulares, cùm vtrique in eo caſu poſſint æquè appellare.

Nihilominus addit in appellatione in cauſa correctionis, & aliis caſibus, in quibus appellatio interdicitur, niſi in caſu ſpeciali manifeſti grauaminis, exprimendam eſſe cauſam appellationis, vt appareat appellatum fuiſſe in caſu conceſſo,cum aliàs non ſit neceſſe exprimere cauſam appellationis, ſufficiátque dicere,Appello ab iniqua ſententia l.1.& ſeq. ff. de appellationib. & cap. cum in Eccleſia. eod. tit. & cap. 1. eod. in 6. Nam cum iudex videat appellationem interponi contra ius, quod in illis caſibus reſiſtit, debet præſumere illam eſſe iniuſtam, niſi cauſa exprimatur. Et iudex à quo, non tenebitur alioquin deferre appellationi, & ea non obſtante perſequi poterit ſuæ ſententiæ executionem: quæ aliáque quamplura circa hanc materiam fuſiùs proſequimur in noſtræ ſcientiæ Canonicæ part. 2. vbi de iuriſdictione.

50. His ſuppoſitis, quærimus an quoties inferior iuſtè appellat à ſententia, & grauamine Superioris alicuius, poſſit ipſo inſcio, aut etiam inuito Superiorem, ad quem appellat, adire, atque ita è monaſterio egredi, atque,ſi opus ſit,extra illud aliquandiu commorari ad perſequendam ſuam appellationem. Ratio difficultatis eſt, quia cum licita ſit tunc appellatio, vt ſupponimus, neque Superior poſſit illam impedire, atque adeò licentiam ad eam neceſſariam dare teneatur, poterit illam inferior accipere, ſi iniuſtè denegetur: & ſi negandam præuideat, immò & ſe impediendum à perſequenda ſua appellatione, atque etiam fortaſſis magis grauandum, vbi eius conſilium prouocandi ad Superiorem reſcitum fuerit, apud quem & nouis conſiliis & artibus, atque etiam fortaſſis calumniis traducetur: quidni non petita licentia exibit. Aliunde tamen quiſque facilè ſibi eiuſmodi cauſas & futura impedimenta finget, ſoluetúrque facilè diſciplina regularis; ideóque ſapienter Concil. Trident. edixit ſeſſ.25. cap.4. de Regularib. ne licitus eſſet Religioſis receſſus à ſuis conuentibus etiam prætextu adeundi Superiores ſuos, niſi ab eiſdem miſſi aut vocati fuerint, alioquin ab ordinariis puniantur. Ideóque damnat hunc egreſſum Bann.2.2. quæſt.13. art.1. Suarez verò tract.8. de Religione lib.2.cap.11. num. 15. ait hunc egreſſum vix vnquam eſſe licitum in foro externo; in interno autem, quando bonum commune euidenter periclitaretur, aut extrema neceſſitas grauiſſimi mali immineret, quæ rarò contingent: quia alioquin nihil noui ſanciuiſſet Tridentinum, cum ſemper fuerit egreſſus è monaſterio, etiam prætextu adeundi alium Superiorem prohibitus,& bonum commune Religionis, quod ex eiuſmodi receſſu periclitatur, præferendum videtur grauamini iniuſto alicuius priuati: quod aliquando contingere poſſe non negat.

Veriùs tamen eſt in illo caſu iniuſti & magni grauaminis, cui aliter, 51.
quàm per appellationem, vt ita dicam realem, & recurſum ad alium Superiorem occurri nequit, & licentia illum adeundi nequit obtineri, immò neque ſine grauiſſimo diſpendio, & maiori grauamine peti, poſſe,

poſſe Religioſum recedere à conuentu, & adire Superiorem, neque puniendum eſſe ab Ordinario tanquam fugitiuum, vbi illi cauſam ſui itineris probarit: quia iniuſtè negaretur appellatio à tam iniuſto grauamine: & quia, inquit, Nauar. comm.2. de Regularib. num. 61. non eſt petendus conſenſus ab eo, ad cuius grauamen tollendum, vel delictum caſtigandum, eſt agendum iuxta Gloſſam in cap. cum Paſtoris 2. quæſt. 7. & argumento cap. ex parte de accuſationibus; atque ita cenſent Nauarr. ibidem. Barboſa in allegat. ad illud cap.4. Concil. Trident. Sà verb. Religio. num. 71. Azor. 1. part. lib.12. cap. 11. quæſt.7. Sayr. lib. 12. clauſ. Regiæ cap.17. n.40. Roderiq.tom.1. qq. Regular. quæſt. 30. art.3. Sanch. lib.6. in Decalog.cap.8. num.17. Ferdinand. à Caſtro punct.15. cit. n.10. & alij. Et ipſe tandem Suar.eod.tract. lib.3. cap. 1. num. 6. non improbat, quamuis aliam ſententiam magis tutam, & regulariter ſequendam affirmet. Sanè Trident. non vrget: nam prohibet ſolùm voluntarium acceſſum ad Superiorem propter alias cauſas; non autem intrinſecum, & naturale ius defenſionis per appellationem impedit: neque inutile eſt hoc decretum: multi enim ſibi blandiebantur, fingebántque idoneam eſſe cauſam recedendi à conuentu voluntatem adeundi Superiorem, quod damnat Trident. Deinde huic fugæ graues pœnas ab Ordinario infligendas imponit: atque ita noui aliquid, quod poſtulabat Suar. edicit. In his tamen omnibus cauendum erit ſcandalum, quod monent laudati Doctores.

52. Nomine porrò Superiorum in Decreto Tridentini intelligi etiam ipſam ſedem Apoſtolicam docet Suar. lib.2. cit. cap.11.num.16. Quare neque ad illam ſine proximi Superioris licentia adire fas fuerit in priori illa ſententia Suar. In noſtra verò licebit, quoties ad iniuſtum grauamen Superioris regularis id omnino neceſſarium fuerit, neque intra Religionem ipſam vllum remedium potuit obtineri. Seruandum enim eſſe hunc ordinem æquè conſentiunt omnes. Facit tamen aliquam difficultatem declaratio Sixti V. ad motum proprium de peregrinantibus, quam refert Suar. lib.3. cit. cap. 1. Ibi enim peregrinantes regulares ſine licentia, qui dicunt ſe ad Sedem Apoſtolicam confugere ad amouenda grauamina ſibi à Superioribus ſuis illata, negat excuſari debere ab Ordinariis, niſi ipſis conſtet de petita licentia, & non obtenta. Igitur petendam eſſe ſupponit licentiam. Reſpondet Suar. num. 7. non præcipi à Sixto hanc licentiæ petitionem; ſed ex præſumptione nolle excuſationem admitti ab ordinariis, niſi illis conſtet de petita licentia: quare cum præſumptio non obſit foro interno, vbi reuera non potuit tutò peti illa licentia, aut petita quidem fuit, & non obtenta, & cauſa grauaminis iniuſti manifeſta eſt, vti explicuimus, fas erit Religioſo ad alium Superiorem, atque adeò ad Sedem Apoſtolicam, ſi caſus ita vrgeat, recurrere, eáque de cauſa è monaſterio, inſcio, inuitóque Superiore, à cuius grauamine appellatur, aliquandiu recedere.

CONSECTARIVM VI.

An inualidè profeſſo contra ſuam profeſſionem reclamanti liceat è monaſterio diſcedere, aut etiam habitum dimittere.

53. HÆc quæſtio naſcitur ex ſuperiori conſectario: cum enim liceat ad Superiorem recurrere in iniuſto grauamine, eáque de cauſa ſine licentia è monaſterio diſcedere, cum vel iniuſtè fuit negata licentia, vel neganda certò ſcitur, vel ex eius petitione timetur, ne impediatur ad Superiorem recurſus. Quando quis non poterit aduerſus ſuam profeſſionem reclamare, niſi adeundo Superiorem & Ordinarium, apud quem eſt reclamandum: quia literis nihil omninò efficiet, niſi præſens ſit, & vel fuit negata licentia, aut certò neganda eſt, quia Superior & conuentus huic reclamationi ſe opponunt, ſibíque iniurioſam eſſe arbitrantur, & pro viribus illam impediunt: immò timendum eſt, ne illum Religioſum malè habeant, & fortaſſis carceri mancipent, aliíſve modis vexent, ſi eius reclamandi conſilium aduertant, maximè quia rationes nullitatis profeſſionis, quas ipſe allaturus eſt, aliqua infamia aſpergent illos Religioſos, qui illum, aut induxerint, aut ſuſceperint iniquis viis ad profeſſionem, quidni è monaſterio recedere inſciis omnibus poterit: & ſi timet, ne ſeruato habitu religioſo capiatur ab iiſdem Religioſis, qui & vexabunt, & reclamationem impedient, atque tanquam apoſtatam punient ſeueriùs: neque latere poteſt niſi ſub habitu ſæculari, cur habitum Religioſum dimittere non poterit: adde quoad forum internum illum reuera religioſum non eſſe, ac proinde neque regulis, neque obſeruationibus regularibus in conſciẽtia obligari. Quoad forum verò externum apud illud agit, & inualidam ſuam profeſſionem eſſe contendit, atque ex cauſa legitima & vrgenti neceſſitate ſe diſceſſiſſe è monaſterio & habitum dimiſiſſe oſtendit, ſcandalum verò nullum eſt, tum quia latens ſub ſæculari veſtitu non agnoſcitur: tum quia magis offenderentur, qui illum in veſte regulari extra monaſterium & ordinem vagantem aduerterent. Quidni igitur hæc omnia præſtare poterit. Obſtare nihilominus videtur Tridentin. ſeſſ. 25. de Regular. cap. 19. vbi quinquennium huic reclamationi præfigit, quo elapſo audiri non vult, neque ſi ſine licentia habitum dimiſerit, & è monaſterio diſceſſerit: tunc enim eum ad monaſterium denuò retrudi iubet, & tanquam apoſtatam puniri.

Reſpondeo, & dico primò eum, qui certò ſcit ſuam profeſſionem eſſe nullam, neque ſe deinde eam ratam habuiſſe, poſſe abſque conſcientia peccati Religionem deſerere, & habitum, atque alium ſtatum, quem libuerit, aſſumere, per ſe loquendo, & ſecluſo ſcandalo, alióve iure poſitiuo, de quo ſtatim. Ita Nauarr. comm. 4. de Regular. n. 77. Azor. 1. part. lib. 12. cap. 4. num. vlt. Leſſius lib. 2. cap. 41. num. 63. Sanch. lib. 7. de matrim. diſput. 37. num. 3. Barboſa allegat. 104. num. 14. de poteſtate Epiſcopi. Sà ver. Religio, num. 71. Henriq. lib. 11. cap. 6. in comm. in fin. Layman lib. 4. tract. 5. cap. 5. n. 7. Suar. tractat. 7. de Relig. lib. 7. cap. 5. numer. 2. & alij inferiùs adducendi: quia cum profeſſio illa nulla omni- 54.

no ſit, non obligat ad perſeuerandum in eo ſtatu, aut habitu, & tam liber manet ablata obligatione profeſſionis, quàm priùs erat. Deinde quia ſua fuga nullam iniuriam facit Religioni, quia non priuat illam re ſua; ſed potiùs ipſe quod ſuum eſt, repetit: nullam etiam culpam aduerſus Deum committit, quia illi ſua inualida profeſſione non obligatur. Non peccat etiam ex modo aſſerendi ſe in priſtinam libertatem, cùm & ſcandalum abſit, & nulla lex violetur, vt ſtatim explicabo.

55. Dico ſecundò eum, qui certus eſt de ſuæ profeſſionis nullitate, quam tamen in foro externo probare nequit: quia aut deſunt teſtes, aut potentes ſunt aduerſarij, aut eius naturæ eſt impedimentum, vt vix probari queat, quando videlicet de animo & intentione vouentis agitur, ſúntque præſumptiones in contrarium, atque in aliis ſimilibus caſibus poſſe ſua authoritate Religionem deſerere, & ſtatum mutare. Ita Suar. cap. 3. cit. num. 9. Ferdinand. à Caſtro tract. 16. diſput. 2. punct. 7. n. 9. & alij ſuperiùs adducti, & ſequitur ex proxima aſſertione: nihil enim hunc inualidè profeſſum obligare potuit ad adeúdum forum Eccleſiæ, eiúſque authoritatem implorandam, quàm eius Eccleſiæ lex & Tridentini decretum, quod modum reclamandi contra nullitatem profeſſionis præſcribit: atqui ſupponimus nihil obtineri poſſe in hoc caſu à Iudice Eccleſiaſtico: fruſtra igitur illum implorare tenebitur, immò neque ad id cogi poteſt: quia alioquin cogeretur perſeuerare in Religione, ad quod ita obligari nequit, vt non ſit ei liberum eam deſerere, quandoquidem ſui iuris omninò eſt. Quis neget Dominum poſſe ſibi rem ſuam ab alio poſſeſſam propria authoritate vindicare, quando per publicam poteſtatem illam aſſerere nequit: & ſeruum, qui iniuſtè detinetur à Domino, quamuis bona fide poſſidente, & quem iudiciali authoritate ex iniuſta illa ſaltem materialiter poſſeſſione deiicere nequit, fuga ſuæ libertati conſulere poſſe nemo negabit: coniux, qui metu graui contraxit, quem probare tamen nequit, poteſt abſque culpa coniugem deſerere, ſi aliud non obſtat. Neque timendum eſt hoc caſu ſcandalum, quod tamen cauendum monent paſſim allati Doctores. Nam, vt ſapienter aduertit Ferdinand. vel nunquam, vel raro illud ſub obligatione vitandum accidet: non enim inde ſument alij occaſionem abſque legitima cauſa fugiendi, & iſte vtitur iure ſuo, neque abſque grauiſſimo damno ab illo abſtinere poteſt; ergo neque debet.

Dico tertiò illum, qui poſſet quidem nullitatem ſuæ profeſſionis in foro Eccleſiaſtico probare, ſed intra monaſterium manens reclamare nequit varias ob cauſas, vti initio huius conſectarij dicebamus, poſſe & recedere à Religione, & habitum dimittere, & neque peccare, neque à Iudice Eccleſiaſtico, quaſi Tridentini legem violarit, reiiciendum eſſe, ſed omninò audiendum eſſe reclamantem. Ita Nauarr. comm. 4. de Regular. num. 78. & alij ſuperius adducti cum Suar. cap. illo 3. num. 13. Bonacin. quæſt. 2. de clauſ. punct. 10 3. diffi. ult. num. 1. Qui omnes dicunt damnari tantum à Tridentino temerariam habitus dimiſſionem, cuiuſmodi non eſt, quæ ex cauſa rationabili fit, vti contingit in hoc caſu: & reuera obligare nequit illud decretum cum tanto diſpendio: ſic 56.

 enim

enim obligaretur inualidè profeſſus ad non reclamandum, & perſeuerandum in ſtatu Religionis. Deinde ille exitus, & habitus abiectio fuit potiùs neceſſitatis, quàm voluntatis. Denique teſtatur Nauarr. hanc eſſe ipſius quoque Romanæ curiæ praxim, vt iſti, qui ſua authoritate exierunt è monaſterio, abiecto habitu ex rationabili cauſa, non repellantur, ſed omnino audiantur, & habitum reaſſumant, dum cauſa tractatur, præſtita illis priùs ſufficienti ſecuritate, & libertate ad cauſam ſuam peragendam.

57. Dico quartò eum, qui ſcit ſe inualidè profeſſum, & eius nullitatis cauſas facilè probare poteſt atque reclamare retento habitu, quamuis ex probabiliori ſententia peccarit recedendo à Religione, habitúmque dimittendo; non tamen teneri ad Religionem redire, neque vllam pœnam, aut cenſuram apoſtatis inflictam ipſo facto incurriſſe: quæ omnia ſingillatim oſtendo.

Et quidem dico probabiliùs videri hunc peccaſſe, contra Nauarr. qui num. 77. nullam in eo culpam agnoſcit, modò priuilegiis illius Religionis, à qua diſceſſit, & cuius ſcit ſe non eſſe Religioſum, non fuerit vſus. Neque enim tam grauem pœnam inflixiſſet Tridentinum, cuiuſmodi eſt priuatio audientiæ, neque aliis apoſtatarum pœnis puniri iuſſiſſet, niſi in tali fuga & diſceſſu culpam aliquam agnouiſſet. Et ſanè quamdiu rem tuam ab alio bona fide poſſeſſam authoritate publica recuperare potes, priuata tua authoritate id facere non debes: & in omnibus eiuſmodi caſibus certum ordinem ſeruandum in ſuis rebus repetendis ſancire potuit Reſpublica, vti bono communi, & quieti conſuleret. Quamquam quia totum Decretum Tridentini præſumptione nititur, & peccatur in quodam tantum modo, qui ratione illius fuit præſcriptus, & veritas illi præſumptioni contraria exiſtit, & denique nullo verbo præceptiuo vtitur Tridentin. quo iubeat ſeruari habitum à reclamante, ſed tantùm velit illum non audiri, & ex præſumptione validæ profeſſionis puniri iubeat illum qui temerario eius obtentu dimittit habitum, non eſt omnino improbabilis ſententia Nauarri ab omni culpa excuſantis, quæ ſaltem ſæpiùs leuior erit, ſecluſis circunſtantiis extrinſecis, quæ aliquando fortaſſis culpam cámque grauem cauſare poſſent.

Verùm quamuis ex communiori Suaris ſententia culpam aliquam etiam grauem hoc loco agnoſceremus; aio tamen cum eodem Suarez num. 12. hunc non obligari ad Religionem redire: non enim obligatur ratione profeſſionis, quæ nulla eſt; neque à Tridentino, quod iubet quidem vt cogatur in monaſterio permanere; non autem vt ipſemet redeat. Culpa verò, quam temerario ſuo exitu commiſit, emendanda quidem erit, ſed ad id neceſſe non eſt repetere Religionem, cui nihil omnino ſuum ablatum fuit; ſed ab illa rem ſuam verus Dominus vindicauit, quamuis in modo vindicandi quidpiam peccarit. Quis porrò dicat, illum, qui rem vere ſuam recuperauit à poſſeſſore ſiue bonæ, ſiue malæ fidei, quamuis propria authoritate, & contra ordinem à foro externo præſcriptum, teneri lege naturali iuſtitiæ ad illam antiquo poſſeſſori reſtituendam? Quis ſeruum qui iniuſtè priuatus erat ſua libertate, ſi illam ſua authoritate recuperauit, & non publica, alióve iuris ordine 58.

ordine ſeruato, obligaret, vt ſe iterum ſponte antiqui domini ſeruituti mancipet?

59. Addidi neque per eiuſmodi inordinatum, & temerarium exitum à monaſterio, atque habitus culpabilem dimiſſionem incurriſſe hunc inualidè profeſſum excommunicationem, aliámve vllam cenſuram, aut pœnam apoſtatarum. Nam neque verè iſte apoſtata dici poteſt, vt ex capite ſequenti conſtabit: neque pœnæ aut cenſuræ ipſo facto incurrendæ cadunt niſi in vera, propria & perfecta crimina, propter quæ infliguntur. Neque quidquam aliud occurrit in toto antiquo iure, vnde colligi poſſit hæc pœna. Tridentinum verò iubet quidem hunc puniri tanquam apoſtatam; non ait tamen illum aut apoſtatam eſſe, aut ipſorum pœnas iam incurriſſe, ſed à iudice illi infligi mandat. Addit Suarez etiamſi hic inualidè profeſſus iubeatur à iudice interminata excommunicatione, aliáve cenſura redire ad Religionem & reaſſumere habitum; illum tamen minimè ad id in conſcientia obligari, neque ad cenſuræ obſeruationem, niſi quoad forum exterius: quia præceptum illud non niſi præſumptione nititur, vt de toto hoc decreto latiùs oſtendit Sanchez diſput. 37. cit. Ideóque cum illi præſumptioni veritas contraria ſit, minimè obligabit in conſcientia; poſſet quidem iſte citari iuridicè ad comparendum, & ad reddendam facti ſui rationem, probandámque profeſſionis ſuæ nullitatem, teneretúrque omnino parere, præſtita illi ſufficienti ſecuritate: non tamen ſi iubeatur ad Religionem redire, in eáque perſeuerare, cum neque Religioſus ſit, neque cogi poſſit, vt eſſe velit.

Dico quintò illum, qui ſponte & temerariè dimiſit habitum; ſi tamen deinde illum volens reaſſumat, vt audiatur & ſuam cauſam proſequatur, non eſſe illi denegandam audientiam. Ita Nauar. num. 78. Suarez num. 14. Miranda in Manual. tom. 1. quæſt. 30. art. 6. conc. 1. Barboſ. allegat. 104. de poteſt. Epiſcop. num. 12. Gratian. diſceptat. forenſ. tom. 3. cap. 413. num. 7. & 8. Portel. in dub. Regul. ver. profeſſionis nullitas n. 45. Villalob. tom. 2. tract. 35. difficult. 25. num. 4. Ricc. 4. part. deciſ. 48. num. 10. Campanell. in diuerſorio iuris canonic. rubric. 12. cap. 11. num. 18. Diana 3. part. tractat. 2. de dub. Regular. reſolut. 53. Qui omnes æquitate quadam nituntur, quam & ratio perſuadet, & Tridentini verba patiuntur, atque ipſa praxis comprobat. 60.

Consectarium VII.

An Superior poſſit permittere nouitio commorari extra monaſterium, vel habitum dimittere abſque nouitiatus interruptione.

QVoad primam difficultatem dubium eſſe nequit, quin Superior permittere poſſit æquè nouitio atque profeſſo moram extra clauſtrum, vbi eædem fuerint cauſæ: quare difficultas eſt, vtrùm ex diuturniori eiuſmodi habitatione extra monaſterium interrumpendus ſit annus nouitiatus: cum enim abſens nouitius aſperitates Religionis experiri nequeat, neque Religio eius mores probare, non videtur facta fuiſſe probatio, neque nouitiatus. Ita quoad Moniales exiſtimauit Ro- 61.

deriq. tom.3.qq. regular.q.15.art.10. ſub fin.

Certum nihilominus mihi eſt nouitium de licentia ſui Superioris poſſe cõmorari extra monaſterium, & ita ſuum Nouitiatus annum peragere, qui ex ea habitatione extra monaſterium non interrumpetur. Nauarr. conſil.41. de Regularib. n.2. & 3. Syluect.ver. Religio 5. quæſt.5. licet dicat geſtationem habitus extra monaſterium non inducere profeſſionem tacitam ex Panormitan. monet tamen id eſſe intelligendum ſecundum id, quod ex eodem Panormitano dixerat eodẽ ver. Religio 3. quæſt.19.vbi illud in monaſterio explicat ſub obedientia Abbatis. Leſſius lib.2. cap. 41. dub.1. numer. 59. Azor.1. part. lib.12. cap. 2. quæſt.9. ſub fin.& cap.3. quæſt.7.Suar.tract.7. de Relig. lib.5.cap.14. numer.13. Sà ver. Religio num. 9.& 53. Roderiq. tom.2.ſumm.cap.8. num.4.& tom.3. qq. Regular.quæſt.15. art.10.Sanch. lib. 5. in Decalog. cap.4. numer. 27. num. verò 28. reiicit limitationes, quas appoſuerat Roderiq. vt diuturnior non fuerit illa mora extra monaſterium, & in ſolis viris non in fœminis ea permittatur: nam neutram limitationem ponunt alij Doctores. Immò Azor. loquitur in illo cap.3. quæſt. 7. de nouitio, qui toto tempore nouitiatus extra monaſterium de licentia Superioris manſerit: & quod de Monialibus negat Roderiq. Superiori diſquiſit. reiecimus.Itaque abſolutè loquuntur Doctores citati, quibus accedunt Ferdinand. à Caſtro tractat.16. diſput 1. punct. 12. §. 4. Barboſa allegat.101. num.28.vbi plures alios adducit Bonacin. quæſt.2.de clauſura punct.10. §.2. n. 6. Riccius in praxi deciſ. 510. Angelus ver. Nouitius 12. Tambur. tom. 3. de iure Abbatum. diſputat.6. quæſit. 7. n. 16. 17. aliique ſequenti conſectario laudati: quia, vti oſtendam eo loco nihil in iure reperitur, vnde colligatur manſionem materialem in clauſtro eſſe eſſentialem anno probationis, & licet extra monaſterium Nouitius habitet,ſub obedientia tamen ſui Prælati, eſt ſemper in ſtatu probationis: quod vnum requiritur ad Nouitiatum, quæ omnia in ſequenti conſultatione explicata videbis.

Maior videtur eſſe difficultas circa alteram partem noſtri conſectarij, 62.
an Nouitius de licentia Prælati habitum regularem dimittens nouitiatum interrumpat: ſiue an illa habitus geſtatio eſſentialis nouitiatui ſit. Ita enim affirmant Gloſſa cap. fin. ver. habitus 17. quæſt. 2. & cap. ſuper eo de Regularib. Syluester ver. Religio 5.quæſt.5.Leſſius lib.2. c.41. dub.7. num.59.Miranda tom.1.q.22. art.6. Azor.1. part. lib.12. cap.2.q.9. Sanch. lib.5. in Decalog. cap.4.n.29. Angelus ver. Nouitius num.16. Tabiena ver. eod. quæſt.10. numer. 11. Roderiq.tom.3. qq. Regular.quæſt. 15.art.9. Ioan. Andr. in cap. ſuper eod. de Regularib. Et ibid. Anton. & Hoſtienſ. atque iſte etiam in ſumma tit.de Regularib. num.8.Barboſa allegat.101. num.29. qui alios dabit. Tamburin.diſput.4. de iure Abbatiſſ. quæſit.4. n. 6. de Graffis lib.3. deciſ. cap.5. n.15.

Negant tamen habitus regularis geſtationem eſſe de eſſentia nouitiatus Ferdinand.à Caſtro punct.12.§.4. numer.4. diſput. 1. tract. 16. Barboſa allegat. citat. quamuis initio illius. num.29. contrarium dixiſſet, vbi allegat alios: fauet Abb. in cap. ſuper eo de Regularib.n. vlt. & Henricus in cap. fin. numer. 5. qui Cleric. vel

vouent. Suar. tract.7. de Relig.lib.5. cap.14.num. 9. Qui tamen propriè loquitur de habitu proprio Nouitiorum,& à profeſſis diſtincto,quem non eſſe de ſubſtantia probationis iure merito affirmat, & illum, cui honoris cauſa permitteretur tempore Nouitiatus habitus profeſſorum, ſi exacto anno profiteretur, validè omninò profeſſurum, neque eo ſenſu controuerſiam tractari à Doctoribus, ſed ſolùm an geſtatio habitus regularis neceſſaria foret ad nouitiatum, poſſetque in veſte laicali fieri nouitiatus ſiue totus,ſiue quoad partem. Quod in Religionibus, in quibus aut nullus eſt peculiaris habitus, aut conſtitutiones à Pontifice probatæ vel ipſo vſu & conſuetudine id permittunt, licitè omninò fieri omnes concedunt: quare de iure communi ſola poteſt excitari quæſtio, in qua

63. Veriorem exiſtimo poſteriorem iſtam ſententiam negantem eiuſmodi geſtationem habitus regularis eſſe de eſſentia Nouitiatus, ac proinde ſi eius dimiſſio permittatur à Superiore ſiue licitè ſiue illicitè, eo quod ſufficiens & idonea cauſa non ſubſit; Nouitiatus nihilominus interruptus non fuerit. Probatur primò, quia nullo iure requiritur ea geſtatio tanquam conditio eſſentialis, non quidem iure antiquo, quod volebat Nouitios probari in veſte laicali. Quod de militibus, qui ad monaſterium conuerti voluerint, edixit Gregor. lib. 7. Epiſtol. 11. vt iuxta normam regularem *in ſuo habitu* per triennium probentur. Vbi vides id temporis fuiſſe regularem normã. Idem quoque Gregor. in Synodo Romana, cuius acta referuntur lib.4. eiuſdem regiſtri cap.44. *Seruos Eccleſiæ & milites, qui ad Dei ſeruitium conuerti voluerint, prius in laico probentur.* Quod caput ex eodem Gregorio retulit Concil.Tribuiien. ſub Arnulpho Rege cap.29. Bonifacius, vti ex ipſo refert Gratian. 17. q. 2. cap.fin.Quãquã Burchard. lib. 8.c.2. & Iuo part.7. cap.41. tribuant Concil. Toletano ſicut & Gratian. ipſe in antiquioribus exemplaribus, quæ Gloſſa legerat, vt conſtat; ſed in nullo Toletano Concilio reperire licuit. Verùm ſiue Bonifacius, ſiue Concilium aliquod Toletanum prohibuit incognitũ donari habitu Monachi ante triennium probationis, Concil.Aurelian.5.cap.19. vult Sanctimoniales per annum permanere in ſua veſte, aut etiam per triennium in monaſteriis, in quibus perpetuò non habebantur incluſæ, & deinde veſtimenta monaſterij, in quo elegerint permanere, ſuſcipiant. Diúque perſeuerauit hic vſus in Occidente, vti apparet ex omnibus Regularum conditoribus, qui prohibent dari habitum Monachalem, niſi expleto ſuæ probationis tempore, quod diuerſum fuit: & ſuſceptio habitus fiebat cum obedientiæ promiſſione, ipſáque, vt hodie vocamus, profeſſione.S.Benedict. cap.58.Reg. & ipſo antiquior Cæſar. Arelatenſ. cap. 3. S. Fructuoſus Abbas cap. 18. Regula Tarnatenſ. Magiſter cap. 90. & denique conuentus Abbatum ſub Ludouico 1. quorum ſtatuta habentur in addit.1. ad Capitular. cap. 34. de Nouitio ſic ſanciunt: *Ipſe verò non tondeatur, nec veſtimenta priſtina immutet, donec obedientiam promittat.* Neque alius fuit diutiùs vſus in Oriente. Nam Synod. Conſtantinop.1. & 2. cap. 5. ſtatuit, ne quis ante triennij experimenta dignus exiſtimetur habitu monaſtico, τ μοναχικϰ̃ καλαξιωθῆς σχήματος. Pachomio

chomio iuſſit Angelus apud Pallad. cap.38. ne admitteret eos, qui triennij certamen ferre nequiuiſſent. Iuſtinian. nouell.5. cap.2. eodem triennio prohibet veſtem monachalem, & tonſuram accipere. Caſſian. lib.4. cap. 5. Cum qui profitebatur monachiſmum, numero fratrum adſcribebatur, propriis veſtibus exutus induebatur monachalibus per manus Abbatis. Neque dicas tunc ſuſceptum fuiſſe tantùm in nouitium: quia ſequenti cap. 6. vult depoſita veſtimenta ſeruari, donec ſufficienter fuerit probatus, ne ſi expellendus fuerit ob prauos mores, cum veſtimentis monaſterij eiiciatur, ſed ſæcularia reaſſumat. Nam cum ipſi etiam profeſſi eiicerentur è monaſterio, quando dignos ſe non præſtabant, vt ex regula S. Benedicti, & aliis fuſiſſimè docebimus inferiùs: iſti erant verè Monachi & non ampliùs tyrones, aut nouitij, vbi laica veſte depoſita monachalem vnà cum tonſura accipiebant. Ipſéque Dionyſ. cap.6. Hierarch. eccleſ. ſatis oſtendit veſtis mutationem fuiſſe inter monaſticæ conſecrationis μοναχικῆς τελειώσεως ritus. Sacerdos autem illum tondet, & ſigno crucis conſignat τῷ σταυροειδεῖ τύπῳ σφραγισάμενος αὐτὸν, ter diuinæ beatitudinis perſonas inuocat τὴν τρισσὴν τῆς θείας μακαριότητος ἐπιβοήσας ὑπόστασιν; & demum omni veſte detracta eum alia induit καὶ τὴν ἐσθῆτα πᾶσαν ἀπαμφιέσας ἑτέραν ἀμφιέννυσι. Tunc igitur conſecrabatur Monachus, quando nouo induebatur habitu; rationem myſticam in Theoria ſubinde reddit Dionyſ. Crucis enim character σφραγὶς deſignat omnium carnalium deſideriorum priuationem, τῆς σαρκικῶν ὀρέξεων ἀνενεργησίαν inefficaciam; cum enim domitæ ſunt eiuſmodi carnales concupiſcentiæ, nihil amplius efficiunt, aut operantur, neque proinde nocent. Tonſura capillorum ſignificat vitam puram & non fucatam ἀχημάτιστον, neque fucis & adſcititiis figuris calamiſtratam, οὐκ ἐπιπλάστοις σχήμασι καλλωπίζεσθαι. Veſtis verò mutatio à vita media & ſancta ad quamdam perfectiorem traductionem τὴν ἀπὸ μέσης ἱερᾶς ζωῆς, ἐπὶ τὴν τελειοτέραν μετάταξιν. Hanc veſtem nigram fuiſſe dicit Pachim. in Paraphraſi. Et cum in his veſtibus ſignificentur viuendi rationes in priori, quæ abiicitur, laïcam; in poſteriori, quæ induitur, perfectiorem & meliorem multò deſignabant. Addit Dionyſius idem hoc loco fieri, quod in Baptiſmo. In illa enim diuina regeneratione ἀπὸ τῆς ἱερᾶς θεογενεσίας veſtis immutatio ſignificat expiatæ vitæ ad contemplandi & intelligendi ſtatum euectionem, ἐδήλου τὴν ἀποκαθαιρομένης ζωῆς εἰς θεωρητικὴν, καὶ φωτιστικὴν ἕξιν ἀναγωγήν. Pachim. in Paraphraſi aduertit duplicem denudationem in Baptiſmo: prima eſt Cathecumenorum, quæ fiebat extra ſacrum Templum, dum primum in Cathecumenos adlegebantur: quæ ſignificabat ſordium & erroris depoſitionem. Altera erat eorumdem poſtquam inſtituti fuerant, dum ad Baptiſmum admittebantur: atque, vt ait idem Dionyſius, ad ſacra intuenda recipiebantur. Sic igitur prima illa inter tyrones Monachorum ſuſceptio à ſordida vita ad puriorem quamdam, quàm ſit media & ſancta, illos tranſmittebat, à qua deinde ad ſublimiorem & diuiniorem per conſecrationem & habitus monachalis ſuſceptionem tranſibant. Ex quibus omnibus ſanè liquet eam veſtis laicalis abiectionem non niſi in ipſa conſecratione Monachi, quam nos profeſſionem

ſionem modò dicimus, factam fuiſſe. Subinde aliquid mutatum fuit in hac parte, & Nouitij induti ſunt raſam, vnde & appellantur ῥασοφόροι, paſſim à Balſamo in can. 5. Synod. Conſtant. allatum ſuperiùs, & in Can. 19. Baſilij ad Amphilochium & in Euchologio habetur Ordo inſtituendi Nouitium raſam ferentem, ἀκολουθία εἰς ἀρχάριον ῥασοφοροῦντα. Vbi igitur Sacerdos illum in formam Crucis attonderat, induebat eum raſa tunica & camelaucho. ῥάσα. itaque, tunica fuit, eáque rudis & aſpera, atque etiam nigra vti Roſueidus ex Niceta in Manuel. comm. lib. 7. & variis gloſſis M. SS. probat in ſuo onomaſtico & Ioan. Meurſius in gloſſario Græco-barbaro: quãquam apud Nicetam, ῥάσα ſunt ἐσθῆτα μοναστικά: & facilè poteſt explicari factum Manuelis de veſtibus iſtis Monachalibus, quas cum imperialibus commutauit, & non tantum de indumento Nouitiorum: certum tamen eſt ex Balſamone & Euchologio citatis fuiſſe indumentum aliud ab indumento Monachorũ, qui ita ſæculo renunciarant, vt ad illud redire non poſſint. Vnde fuit grauis illa controuerſia excitata, cuius meminit in Can. 5. Synodi Conſtantin. Balſam. an eiuſmodi raſam ferentes poſſent ſæculum repetere, an cogi poſſent in monaſterio permanere, quod ipſe verius eſſe contendit. Quare non erant raſophori Nouitij tantùm eo ſenſu, quo illos ab aliquot ſæculis vſurpamus, ſed Monachi, inferioris tamen cuiuſdam claſſis. Qua de re fortaſſis iterum inferiùs nonnihil dicemus. Donabantur & Camelauchio hi Nouitij. Erat verò illud indumenti & galeri genus, vt apparet ex Cedren. lib. 1. Anaſtaſio & aliis, ἀπὸ τοῦ καύματος, à calore: dictum etiam fuit à καυσῶν, quod calorem prohiberet. Ea voce vſi quoque ſunt Romani, quod teſtatur Suidas, Iſidor. in Gloſſa vocat galeros clamaucos. Et Beda lib. 3. de Tabernacul. c. 8. deſcribit Pontificis pileum in modum paruuli calamanci, ſiue caſſidis, qui extenderetur ſupra ſummitatem capitis. Tiaræ cõparat Heſich. ver. τιάρα. Verùm redeo in viã, & ex iis omnibus colligo probationem & nouitiatum, quem ante religioſam profeſſionem exigunt Synodi ex antiquiſſimo vſu in veſte laica fuiſſe peractum, atque quod inde neceſſariò ſequitur, geſtationem regularis habitus minimè eſſentialem eſſe huic probationi: neque ex toto antiquo iure quidpiam in contrarium colligi poſſe.

Nouum autem ius nihil etiam 64.
ſtatuit in hac parte: quod enim affertur ex Trident. ſeſſ. 25. de Regul. cap. 15. annum probationis numerante à ſuſceptione habitus, nihil omninò probat. Cum enim hodie ordinariè fiat initio Nouitiatus illa mutatio & ſuſceptio habitus Regularis, non potuit à certiore puncto initium nouitiatus auſpicari, quàm ab ea vſitata habitus mutatione omnibus manifeſta. Non prohibuit tamen aliter inchoari nouitiatum, aut peragi; immò vt abſtineret fortaſſis ab ea quæſtione, voluit duntaxat, vt annum in probatione ſteterit poſt ſuſceptum habitum: quare ſi dimiſſo deinde habitu ex licentia Superioris potuit peragi probatio annua, reuera ſubſequi illam profeſſio poterit: & ſanè aduerſarij tandem fatentur hanc conditionalem geſtandi habitum regularem non haberi vllo iure eſſentialem eſſe nouitiatui, ſed ſola conſuetudine, quare vbi aut contraria fuerit conſuetudo, aut re-

gula à Pontifice approbata poterit ſine habitu regulari peragi nouitiatus. Verùm negamus hanc conſuetudinem eiuſmodi eſſe, vt præſcribat geſtationem habitus regularis non interruptam tanquam eſſentialem Nouitiatui: quamuis fateamur vltrò in omnibus ferè Religionibus vſum & conſuetudinem obtinuiſſe, vt Nouitij habitum regularem induant: negamus tamen conſuetudinem habere, vt illum ita continuò ferant, vt abſque interruptione nouitiatus neque propria ſponte, neque authoritate Superiorum deponere poſſint, quin annuam probationem interrumpant, quòd ſolùm hoc loco controuertitur.

65. Idque euidens ratio demonſtrat: nam hæc habitus mutatio neceſſaria eſt vel ad Religionis aſperitates experiendas, vel vt à cæteris laicis, aut etiam profeſſis Nouitius diſtinguatur. Primum volunt Sylueſt. aliique paſſim ſed immeritò: quia neque neceſſe eſt, vt omnes Religionis aſperitates Nouitius experiatur, vti continget, ſi toto anno lecto decumberet, neque vlla particularis probatio eſt eſſentialis nouitiatui, ſed ſtatus duntaxat probationis, vt monui, & iterum dicam ſequenti conſectario. Neque denique in veſte regulari ſemper eſt magna auſteritas. Ad diſtinctionem verò Nouitij à laicis facit hæc habitus mutatio, ſed ea neceſſaria non eſt eſſentialiter, vti ex antiquo vſu conſtat, atque etiam hodierno in quibuſdam Religionibus; éſtque ſufficiens diſtinctio, quod hic Nouitius probetur à Religione, ſítque ſub eius obedientia, ab eáque ſe regi ſinat, & probari poſſit, vti libuerit, pro ratione inſtituti, quæ non conueniunt cæteris laicis, neque etiam profeſſis, qui in ſtatu probationis minimè ſunt, & ſæpiſſimè in pluribus Religionibus non habent habitum diſtinctum in forma, aut figura, ſciſſura, aliiſve eiuſmodi à Nouitiis. Nihil igitur ſiue ius, & legem Eccleſiaſticam, ſiue rationem ſpectes, perſuadet non poſſe permitti à Superiore dimiſſionem habitus nouitio, abſque Nouitiatus interruptione.

Consectarium VIII.

Conſultatio Lugdunenſis.

An profeſſio Alexij Clerici regularis qui ex licentia ſui Prælati totius Ordinis Generalis, nouitiatus tempore extra conuentum ſtudiis vacauit valida fuerit.

Alexius Canonicus Regularis de licentia ſui Abbatis generalis extra conuentum ſtudiis vacauit, Nouitiatus tempore, tum quia in monaſterio, illis dare operam non poterat, tum quia illis ſumptibus interea leuabatur Religio: ſuppeditabantur enim à parente: exactis aliquot annorum ſtudiis, vbi ætatem ad profeſſionem requiſitam attigit, à conuentu capitulariter, ab ipſóque Abbate generali ad ſolemnem profeſſionem more ſolito admiſſus fuit, & ad grauiora ſtudia in Ordinis collegium, ſiue ſeminarium amandatus. Sed altero à profeſſione anno tædio vitæ regularis affectus contra profeſſionem ſuam tanquam inualidam ob defectum Nouitiatus reclamare cogitauit, eámque ob rem literas Apoſtolicas à Prolegato Auenioneñſi obtinuit, quibus dabatur facultas Vicario Epiſcopi, vt cum Vicario 66.

Abbatis

Abbatis illius generalis hanc cauſam iudicaret, & profeſſionem inualidam eſſe pronunciaret. Conſultus ego ſum à viris grauiſſimis, vtrum reuera Alexij profeſſio inualida foret, & vt talis cenſeri poſſet à Iudice Eccleſiaſtico ea ſolùm de cauſa, quòd Alexius ex ſui Generalis licentia tempore Nouitiatus extra monaſterium fuiſſet commoratus, atque ſtudiis eiuſdem Abbatis imperio, vt ſe vtiliorem Religioni præſtaret interea vacaſſet. Quæ quæſtio ex duobus Superioribus conſectariis explicata omninò manet: placet tamen, quæ id temporis ſcripto reſpondi hoc loco referre: quare

67. Reſpondeo & dico Alexij profeſſionem validam omninò eſſe, neque ex ſolo defectu commorationis in clauſtro aut monaſterio poſſe probari nullam. Ita Azor. 1. part. lib. 12. cap.3. quæſt.7. Nauarr. conſil.41. de Regularib. n. 2. & 3. Graffis 1. part. deciſ. lib.3. cap. 5. num.18. Emman. Rodriq.tom.3.qq.Regular.quæſt.15. art. 10. Mirand. in manual. Prælat. quæſt. 22. art. 5. Suar. tractat. 7. de Relig. lib.5. cap.14. numer. 13. Barboſa in collectan. in cap. ad Apoſtolicam, de Regularib. num. 6. Ferdinand. à Caſtro tractat.16. diſputat.1. punct.12.§.4. Diana 3.part.tract.2.de dub.Regul. Reſolut. 84. Tamburin. tom.3. de Iure Abbat.diſp.6.quæſ.7. num.16. 17. Laurentius de Peïrynis tom.2. de Prælato Religioſ. quæſt.3. cap.1.§.4. num.101. qui plures alios dabunt: quibus adde quos conſectario Superiori in prima difficultate adduximus: Nam & communiſſimam eſſe fatentur hanc ſententiam: & plerique exemplificant in nouitio inuiſente parentes, & in domo paterna commorante ſiue infirmitatis cauſa, vt aliquando contingit in Monialibus, ſiue alia quapiam; in Nouitio ad peragenda negotia, aut ad peregrinationem miſſo, & aliis eiuſmodi: quos omnes peracto anno probationis extra clauſtra, de licentia ſui Superioris validè profiteri dicunt: quod etiam de licentia illegitimè & illicitè conceſſa affirmant Suarez, Diana, Tamburin. & alij contra Rodriq.

Probatur primò, quia nullo iure cauetur commorationem materialem in clauſtro per annum eſſe neceſſariam ad validitatem profeſſionis: atqui omnes defectus ſubſtantiales actuum vel iure poſitiuo, vel iure naturali præſcribi debent. Et quidem quoad ius antiquum nullum omnino profertur, valétque hoc loco, vti obſeruat Roderiq. quod Patrum ſanctionibus non eſt ſtatutum, ſuperſtitioſa intentione non eſt præſumendum cap. conſuluiſti 2.q.5. 68.

Dices cap. 1. de Regularib. in 6. Nouitium, qui per totum decimumquintum annum geſtarat habitum Religioſum, vbi habitus Nouitiorum non eſt diſtinctus ab habitu profeſſorum, cenſeri profeſſionem feciſſe. *Quòd ſi*, inquit, *per totum ſequentem annum in monaſterio permanſerit.* Ergo ſupponit commorationem annuam in monaſterio ad profeſſionem neceſſariam eſſe.

Reſpondeo eo loco agi de tacita profeſſione, quæ cenſetur fieri ab eo, qui per totum decimumquintum annum habitum Regularem, licet Nouitiis & Profeſſis communem geſtarit. Itaque permanere in monaſterio & geſtare habitum regularem, pro eodem accipiuntur in illo capite, vti ex ipſomet contextu & Gloſſa conſtabit. Neque inde licet colligere annuam commorationem materialem in monaſterio requiri ad

validitatem profeſſionis etiam tacitæ, ex qua tamen ad profeſſionem expreſſam non liceret argumentari: nam plura requiri poterunt ad tacitam profeſſionem, quæ minimè neceſſaria erunt ad expreſſam. Nihil igitur ex antiquo iure allatum eſt, quod hanc in monaſterio commorationem ſubſtãntialem eſſe nouitiatui, ac probationi oſtendat, eiúſque defectu nullam eſſe probationem; immò potiùs contrarium ex eodem iure colligi poſſet. Nam capite inſinuante. Qui Clerici, vel vouent: matrim. contrah. poſſ. mulier quædam nobilis, quæ vti ſuadebatur à Rege Legionenſi & à ſuis conſanguineis cuidam nubere nolebat, vtque ſe importunis eiuſmodi precibus expediret, caſtitatem in manibus cuiuſdam Auguſtiniani Monachi vouerat, ea conditione, vt in domo propria remaneret, retenta omni ſua ſubſtantia. Cum eiuſdem Ordinis habitum biennio geſtaſſet, neque tamen vim curialium & conſanguineorum ſuorum ſatis cauere poſſet, vt ex integra decretali, quæ refertur ex antiqua collectione 3. eod. tit. cap. vnico colligitur, in matrimonium tandem tot fatigata precibus, cuiuſdam P. Michaëlis conſenſit, ex eóque quatuor ſuſcepit liberos: Verùm deinde Religione voti ducta, quod inuitam & metu regio ac conſanguineorum coactam emiſiſſe ſe dicebat, verebatur, ne coniugium illud ſuum irritum foret, Pontificem conſuluit, qui illam ad reaſſumendum Religionis habitum etiam cenſuris Eccleſiaſticis cogendam eſſe reſpondit. *Quia in emiſſione voti nulla, vel modica coactio adfuiſſet. quam patientia & perſeuerantia ſequentis temporis penitùs profugauit.* Vnde ſic colligo: geſtatio habitus Religioſi in domo paterna & extra monaſterium non modò confirmat votum priùs factum, ſed modicam etiam violentiam & coactionem, quæ in emittendo voto & aſſumendo ipſo habitu fuerat, profugat: ergo neceſſe non eſt ad profeſſionem etiam tacitam geſtatio habitus intra clauſtrum, ſed vbicumque deferatur, modò id fiat ex licentia Superioris & animo Religioſo, ſufficiet ex mente iuris antiqui.

Ex nouo verò Tridentini iure nihil prorſus afferri poteſt ad probandam neceſſitatem eſſentialem huius 69.
habitationis in monaſterio durante probatione & nouitiatu. Nã ſeſſ. 25. cap. 15. requirit tantùm ad validitatem profeſſionis Nouitium poſt ſuſceptum habitum perſtare per annum in probatione: quod totum fit, vti exponam inferiùs, etiamſi Nouitius eo anno extra monaſterium de licentia ſui Prælati commoretur. Et quamuis in declarationibus illius capitis dicatur hanc probationem faciendam eſſe intra clauſtrum; id tamen neque habetur in textu, neque ex illo neceſſariò colligitur: & eiuſmodi declarationes non faciunt ius, & contrariam omninò declarationem ſanctiſſimæ Congregationis referunt Suar. & Mirand. locis citatis. Nauarr. conſil. 42. de Regularib. Gratian. diſceptat. forenſ. tom. 1. cap. 166. numer. 14. & alij. Rota quidem apud Farinac. deciſ. 175. num. 2. aliter iudicauit, ideirco Gratian. n. 16. de ſua priori ſententia dubitauit. Verùm de Peïrynis loco ſuperiùs allato Rotam interpretatur de abſentia à Nouitio ad fugiendas clauſtri aſperitates, quæ ex propria authoritate cœpiſſe debuit; nam ſi eam Superior permiſit, illicitè licet, non reddet inualidam profeſſionem, vti nuper

nuper monebamus. Quare mihi conſulenda videtur ea deciſio, quæ in caſu particulari data ſuit, neque facit ipſa ius nouum omni alio antiquo & nouo ſilente, quod fuſiùs aliàs oſtendimus in noſtra ſcientia canonica.

70. Probatur ſecundò, quia Monachus de licentia ſui Superioris manens extra clauſtrum cenſetur manere in monaſterio. Ita Abbas antiquus in cap. cum illorum de ſentent. excommun. quem refert & ſequitur Abbas iunior, ſiue Panormitan. in cap. ex reſcripto. num. 5. de iureiurando, & in cap. ad noſtram num. 3. de Regularib. Angelus ver. Nouitius num. 12. Tabiena eod. ver. quæſt. 5. num. 6. Syluester ver. Religio 3. q. 19. Nauarr. comm. 4. de Regularib. n. 74. & conſil. 41. de Regularib. num. 3. Azor. lib. 12. Inſtit. Moral. 1. part. c. 3. quæſt. 7. Roderiq. tom. 3. quæſt. Regular. quæſt. 15. art. 10. Sanch. lib. 5. in Decalog. cap. 3. numer. 25. & alij paſſim. Qui igitur annum probationis peragit extra monaſterium de licentia ſui Superioris, in monaſterio illum agere cenſetur: quod alij nominant exiſtentiam formalem in clauſtro, quamdiu videlicet eſt ſub obedientia Prælati. Immò Suarez aduertit num. 14. Nouitium, qui ſine licentia exit è monaſterio, bono aut malo animo, vt ad fornicandum, ſi tamen non habeat animum recedendi ab obedientia Prælati, & breui deinde redeat, non interrumpere Nouitiatum, neque deſinere eſſe in probatione: alioquin ſi à Prælato ad certum locum mitteretur: & inde aliò ſine licentia, aut etiam contra voluntatem Prælati diuerteret, diceretur nouitiatum interrumpere, quod nemo dixerit, niſi Nouitius per eiuſmodi diſceſſum è monaſterio intendat recedere à Prælati obedientia: tunc enim reuera Nouitius eſſe deſineret.

Tertiò probatur à priori: commoratio materialis in clauſtro non alia de cauſa ſubſtantialis eſſe poteſt Nouitiatui & neceſſaria ad validitatem profeſſionis, quàm quia Nouitius extra monaſterium exiſtens probari non poteſt, neque in variis Religionis operibus exerceri. Atqui nouitiatui nulla actualis probatio, neque determinatè neque indeterminatè ſubſtantialis eſt, ſed ſolùm ſtatus probationis. Hæc enim duo ſapienter diſtinguit Suar. cap. illo 14. num. 3. nam qui alicubi eſt, vt probet, vel probetur, an idoneus ad certum quodpiam onus, aut officium exiſtat, eſt in ſtatu probationis; qui verò reipſa aliquod opus efficit, ex quo capitur experimentum, aut iudicium, vtrum idoneus ſit, an non; & an admittendus aut reiiciendus ſit ab officio, quod præhenſat: ille actualiter probatur: quare actualis probatio eſt aliqua actio, vel paſſio, per quam ſumitur experimentum de alicuius aptitudine, aut peritia. Atque in hoc caſu, de quo diſputamus, ſtatus probationis includit aliquid negatiuum, & aliquid poſitiuum. Negatiuum eſt non profeſſio, nempe vt qui in ſtatu illo exiſtit, profeſſus non ſit: Nam profeſſio valida, aut quæ talis exiſtimatur, pugnat eſſentialiter cum nouitiatu: probatio ſiquidem ſupponit libertatem aſſumendi, vel relinquendi ſtatum, ad quem ordinatur probatio: quæ libertas tollitur hoc loco per profeſſionem, deinde acquiſito termino ceſſat motus & obtento fine deſinit inquiſitio, atque executio mediorum; probatio verò nouitiatus eſt motus & medium reſpectu profeſ- 71.

ſionis, ad quam tendit, vt ad terminum & finem: cum illa igitur nequit conſiſtere Nouitiatus.

Includit ſecundò ſtatus probationis aliquid poſitiuum vt vnionem in primis, atque habitudinem aliquam Nouitij cum Religione, quam cæteri non habent: in eóque conſiſtit illa ſiue vnio, ſiue habitudo, vt Nouitius Religionem ingrediatur, & Religio ipſum recipiat ad ſumendum de ipſo experimentum; indéque naſcitur in Religione ius imperandi Nouitio, quæ neceſſaria iudicabit ad ſumendum experimentum de ipſius aptitudine & idoneitate:& viciſſim in Nouitio oritur obligatio parendi eiuſmodi imperiis, & non recuſandi quæ exequi iubebitur; ita vt cogi poſſit, & reſiſtere nequeat, niſi ſtatum deſerat. Quamdiu igitur in illo ſtatu poſt primam ſuam in Nouitiatum receptionem permanet, in ſtatu probationis exiſtit:ſiue probetur à Religione per aliquam actionem particularem, ſiue non:Obſtrictus enim manet ad ſuſtinendam probationẽ, quam voluerit Religio; & per ipſum non ſtat, quo minus probetur. Vnde etiam fit, vt nulla actualis probatio ſit, vti iam monui, ſubſtantialis Nouitiatui: quia finis non eſt de ſubſtantia præcepti, igitur neque probatio mutua & reciproca, quæ eſt finis proximus ſtatus probationis & nouitiatus, erit de ſubſtantia illius: quare Concilium Tridentinum poſtulans annum in ſtatu probationis, non aliud vult, quàm vt Religio & Nouitius habeat poteſtatem & tempus ſufficiens ad ſumendum vtrimque experimentum, quod ſi non ſumant, ſibiipſis imputent: neque inde impugnari debebit valòr profeſſionis. Confirmatur primò, quia ſi aut Nouitius videat ſe eſſe ineptum ad Religionem; aut ſi Religio ita & ſentiat & nouerit; & nihilominus profiteatur Nouitius, illúmque Religio acceptet: valida erit illa profeſſio ex omnium ſenſu. Si igitur tale experimentum inidoneitatis & ineptitudinis non impedit valorem profeſſionis imprudenter factæ ac receptæ, cur defectus experimenti, eiúſque omiſſio ex negligentia; aliáve cauſa, profeſſionis valorem impediet, modò Nouitius in ſtatu probationis perſeuerauerit, fuerítque in poteſtate & arbitrio Religionis illum variis operibus probare, ſi libuiſſet?

Secundò in ordine, de quo agitur, nulla eſt grauior auſteritas, aut opus difficile, cuius ignorantia, aut inexperientia poſſit reddere profeſſionem inuoluntariam, & quæ poſtulet fuiſſe exercitam à Nouitio. Tertiò etiam in auſterioribus Religionibus neceſſe non eſt, vt Nouitius experiatur omnes auſteritates in indiuiduo,aut in ſpecie: ſufficítque, vt per totum annum viuat ſub obedientia. Nam ſi ſtatim à ſuſcepto ordine ægrotaret, neque propter valetudinem poſſet Regulæ auſteritatem ſeruare id temporis; exacto tamẽ anno profiteretur: *Nullus*, inquit Roderiq. *Profeſſionem illam nullam dicere auderet*. Quartò fauet vſus quotidianus: nam in laxioribus, atque in militaribus ordinibus ſolent Nouitij magnam partem nouitiatus, & æquè ante profeſſionem, atque poſt illam habitare extra monaſterium. Quintò, accedunt denique grauiſſima incommoda ex contraria ſententia. Nam ſi commoratio materialis in clauſtro eſſet de ſubſtantia profeſſionis, illa deberet eſſe continua, ſicut & geſtatio habitus ex plurium mente, atque tempus

pus ipſius probationis, qui ergo per aliquot dies extra clauſtrum moraretur, nouitiatum interrumperet, illúmque denuò inchoare deberet: quod nullibi gentium vſurpatur, nullúſque hactenus aſſeruit; id tamen omninò fatendum eſſet: quia æquè pauci dies, atque menſis vnus, vel alter commorationem iſtam Nouitiatui ſubſtantialem interrumperent; neque vlla ratio aſſignari poſſet, cur potiùs vnum interuallum, quàm aliud interrumperet, aut non interrumperet. Cenſeo igitur profeſſionem Alexij Clerici Regularis factam poſt peracta ſtudia extra monaſterium per plures annos tempore nouitiatus pro more illius Ordinis, de licentia ſui Superioris, ſub cuius obedientia ſemper fuit toto illo tempore, validam eſſe: neque ex ſolo defectu commorationis materialis in clauſtro impugnari poſſe, aut nullam declarari.

Cap. III.

De fugitiuis è monaſterio atque apoſtatis.

HÆc quæſtio ad clauſuram pertinet, cum illa enim omninò pugnat fuga è monaſterio, & apoſtaſia à Religione: itaque omitti hoc loco non potuit.

§. I.

Quid ſit fuga: quid apoſtaſia.

1. ATque in primis diſtinguere debemus egreſſum illicitum è monaſterio, fugam & apoſtaſiam. Egreſſus illicitus eſt, inſcio Prælato, vel inuito exitus è monaſterio ad breue aliquod tempus & opus conſueto modo, de die nimirum, per conſuetam ianuam, & cum aliis eiuſmodi circunſtantiis, quæ ſimplicem exitum comitari ſolent. Fuga eſt receſſus à monaſterio & obedientia, atque ſubiectione proprij Prælati; non tamen animo deſerendi Religionem & manendi in ſæculo, ſiue ad illud redeundi; ſed aliquandiu vagandi, aut quidpiam aliud agendi, quocumque prætextu ſiue retento, ſiue abiecto habitu. Nam l. quis ſit fugitiuus. ff. de ædilitio edicto, ille fugitiuus dicitur, *Qui extra domini domum fugæ cauſa, quo ſe à Domino celaret, manſit.*

Apoſtaſia eſt receſſus à Religione & obedientia Prælati proprij cum animo deſerendi omninò inſtitutum & non redeundi ampliùs ad Religionem, ſiue habitum retinendo, ſiue illum abiiciendo. Ex quibus vides fugam ab apoſtaſia in eo tantùm differre, quòd in fuga non ſit abiectio omnimoda Religionis, & animus extra illam perſeuerandi, vti in apoſtaſia: quare licet omnis apoſtaſia à Religione ſit etiam fuga; non tamen omnis fuga apoſtaſia eſt, neque omnes fugitiui ſunt apoſtatæ, quamuis omnes apoſtatæ ſint fugitiui. Quamdiu enim aliquis in monaſterio perſeuerat, quamuis ſe parum obedientem præſtet, immò & rebellis ſit; ſi tamen neque Religionem deſerat, neque è monaſterio diſcedat: neque apoſtata, immò neque fugitiuus exiſtit, vti cum Nau. conſil. vnic. de apoſtatis concedunt vulgò Doctores. Ad fugam igitur requiritur iniqua diſceſſio à conuentu & obedientia Prælatorum; ad apoſtaſiam verò exigitur prætereà animus

animus deſerendi Religionem, & in ſæculo permanendi. Quod diſcrimen admittunt Caiet.2. 2. quæſt.12. art.1. dub.2. Nauarr. conſil. vnic. de apoſtat. num.8. Valent.2.2. diſput.1. quæſt.12. punct.1. Azor. 1. p. lib.12. cap.16. quæſt.1. Anton.2. part.tit.12. cap.6. Syluestr.ver. apoſtaſia,quæſt.4. Leſſ. lib.2. cap.41. dub.15. num.109. Sanctarell. tract. de apoſtaſia cap.1. dub.1. num.1. Aragon.2.2. quæſt.12. dub. de apoſtaſia à Religione, & Bann. ibid. dub.1. Angelus ver. apoſtaſia, num.4. Roderiq. tom. 1. qq. Regular. quæſt.30. art.1. Sanchez in Decalog. lib.6. cap.8.num.2. Bonac. quæſt. 2. de clauſura punct. 11. §. 1. num.6. Ferdinand.à Caſtro tract.16. diſp.4. punct.16.num.2.

2. Exiſtimat tamen Suar. tract.8. de Relig. lib.3. cap.1. num.21. fugam à Religione cum dimiſſione habitus etiam ſine intentione perpetuò manendi extra Religionem, ſed ſolùm pro aliquo tempore, eſſe veram apoſtaſiam, & quod inde neceſſariò ſequitur eiuſmodi fugitiuos omnibus apoſtatarum pœnis obnoxios videri. Idque ſibi colligere videtur ex Innocent. & Panormitan. in cap. vlt. de renunciat.& cap.intelleximus de ætate & qualitate, alioquin magnum incommodum foret Monachum abiecto religioſo habitu per aliquot annos vagari, atque vel militiæ nomen dare, vel in Indiam negotiandi cauſa nauigare, cum animo tamen ad Religionem tandem redeundi, & neque apoſtatam eſſe, neque vt talem cenſeri, neque pœnis apoſtatarum puniri, cuius contrarium docet ipſe vſus, fauétque euidentiſſima ratio: vt enim quis ab aliquo ſtatu recedere dicatur, neceſſe non eſt habere animum ad illum nunquam redeundi, ſatíſque fuerit, ſi illum abiiciat, & in alium mutet; ſic qui fidem negat, apoſtata eſt à fide, quamuis velit ad illam aliquando redire: & qui peccat mortaliter licet dum peccat velit ſuo deinde tempore ad eamdem diuinam amicitiam per pœnitentiam redire; ab illa nihilominus, & à ſtatu gratiæ, aut filiorum Dei excidit. Eodem modo Clericus, qui dimiſſo habitu clericali ſæculariter viuit, v. g. militat, quamuis intendat poſitis poſt aliquot annos armis, ad Clericorum officia reuerti; nihilominus apoſtata erit ab ordine. Cur igitur non erit apoſtata à Religione, qui dimiſſo habitu regulari diutiùs ſe ſubtrahit ſubiectioni Prælatorum, & vagatur, quamuis cogitet, vbi ſuo indulſerit ingenio Religionem repetere, cui ſententiæ fauet Antonin.2. p. tit.12. cap.6. & 3. part. tit. 16. cap. 5. §.5. Tabien. ver. apoſtaſia q.14. num.17. Armilla ver. eodem. num. 6. Neque aduerſantur veteres pro communi ſententia relati: loquuntur enim tantùm de dimiſſione habitus, & diſceſſu è monaſterio cum animo ſtatim redeundi,& habitum denuò induendi, & ſine intentione Religionem deſerendi: tunc enim non committi veram apoſtaſiam nos quoque inferiùs monebimus; neque contendit Suar. quamcumque habitus dimiſſionem & fugam, quæ ſufficit ad peccandum mortaliter, atque etiam ad incurrendam excommunicationem cap. vt periculoſa, de qua latè ſuperiori capite, ſufficere ad apoſtaſiam; id enim nullum eruditum affirmaſſe teſtatur Nauarr. conſil. de apoſtatis: quare requiritur longior aliqua mora extra monaſterium, & Prælatorum obedientiam; vel fuga & habitus dimiſſio cum intentione permanendi, & viuendi ſtabiliter in

ſtatu ſæculari pro longiori aliquo tempore, vel determinato, puta trium, aut quatuor annorum, vel indeterminato, ſcilicet ad arbitrium, & quandiu placuerit, aut donec certum aliquod opus perfectum fuerit; quia illa eſt moralis retroceſſio à Religione, & abdicatio ſui ſtatus. Moraliter enim ita ſe gerit ille transfuga, atque ſi non haberet alium ſtatum. Requirit verò Suar. habitus religioſi abiectionem in hac fuga, vt cenſeatur apoſtaſia: quia licet per longiorem moram in ſæculo extra obedientiam Religionis retento habitu committi apoſtaſiam poſſe, non neget pertinaciùs, qui tamen habitum retinet & animum redeundi ad Religionem; non cenſetur permanenter reliquiſſe Religionem, cuius externum ſignum gerit, & animum habet in illa iterum viuendi, ſed tantùm in tranſitu quodam & per modum fugæ diſceſſiſſe.

Sapienter tamen aduertit Ferdinand. punct. 16. citato has Suaris rationes probare quamcumque fugam etiam pro breuiſſimo tempore cum habitus dimiſſione æquè apoſtaſiam eſſe atque illam, quæ pro longiori tempore fit, cuius determinatio incerta omnino erit: nam in breuiori illa fuga etiam Religioſus ſtatum mutat & alium aſſumit, quamuis animum habeat illum breui interuallo iterum relinquẽdi; ſicut à fide, à gratia, & ab ordine recedit, qui vel vnico inſtanti fidem negat, peccatum mortale committit, & Clericatum deſerit, quamuis poſtridie fidem denuò profeſſurus ſit, & Clericatum aſſumpturus, atque pœnitentiam noxæ commiſſæ acturus. Reddenda itaque differentia eſt inter iſtas apoſtaſias à fide, ab ordine, & à Religione, & cur in duabus prioribus ſufficiat breuiſſima receſſio ab ſtatu, qui abiicitur; in apoſtaſia autem à Religione requiratur animus diutiùs extra illam viuendi: quod diſcrimen æquè difficilè aſſignabit Suar. atque communis ſententia, rationem, propter quam requirit ad eamdem apoſtaſiam à Religione animum ad illam ſemel abiectam nunquam redeundi: quem tamen animum non requiri ad apoſtaſiam à fide & ab ordine fatetur. Ferdinand. à Caſtro rationem petit ex natura fidei, gratiæ & ordinis, quæ non reſpiciunt tempus aliquod integrum & completum. Nam fides ſicut etiam gratia vnico inſtanti deperduntur: qui igitur fidem negauit, aut peccatum lethale commiſit, cum totam fidem & gratiá perdiderit, reuera à toto ſtatu fidelis & iuſti omnino receſſit, quamuis eumdem ſtatum repetere ſtatuat. At verò religioſa obedientia promittitur in perpetuum & per totam vitam; & proinde ſtatus religioſus reſpicit tempus totius vitæ, pro quo ſubiectio & obedientia promittitur. Qui igitur ab obedientia religioſa, & ſimul ab ſtatu religioſo pro aliquo tantùm tempore recedit, & obedientiam Religioni promiſſam pro aliquo ſpatio negat, reuera non recedit integrè & completè ab eo ſtatu, neque ſimpliciter & abſolutè ſubiectioni atque obedientiæ ſe ſubtrahit; ſed ſolùm partialiter, & quodammodo diminutè, ſiue ſecundùm quid: quare non dicitur etiam ſimpliciter, & abſolutè apoſtata, ſed transfuga potiùs, quamuis ex diuturniori fuga, & maximè ex abiectione habitus religioſi præſumatur in foro externo apoſtata.

Verùm hæc ratio oſtendet etiam apoſtaſiam ab ordine non committi, 3.

niſi quis habeat animum deſerendi omninò clericatum, & nunquam ad illum redeundi: nam æquè ſacer ordo conſecrat hominem, & diuinis officiis mancipat in totam vitam, atque religioſa obedientia illum ſubiicit Religioni, eiúſque Prælatis in totam vitam. Qui igitur abiicit ſtatum ſacri Ordinis, etiamſi ſæculariter viuat, & ex communi modo procedendi laicus reputetur, ſi illum deinde ſtatum aliquando tandem repetiturus eſt, non recedit integrè & completè ab ſtatu, quem per ordinem ſacrum acquiſierat: ſicut qui ad aliquod tempus Religionem deſerit cum animo ad illam denuò redeundi, illam non ſimpliciter & completè deſerit; ac proinde non eſt ſimpliciter apoſtata. Deinde non video quomodo gratia & fides non reſpiciant integrè tempus aliquod: nam æquè reſpiciunt totam vitam, atque religioſa obedientia, vt facilè colliges tum ex ipſa fidei profeſſione, quæ æquè in totam vitam extenditur: tum ex ipſo charactere quo fidelis animus conſignatur, & immortali velut ſigillo inuritur, gratia quoque diuina, quæ nos in ſtatum filiorum Dei aſciſcit, æquè tempus integrè & completè, vt loquamur cum Ferdinando, reſpicit; immò cum omnis ſtatus immobilitatem dicat, tempus integrè reſpiciet, vti fuſiſſimè expoſuimus in noſtra ſcientia canonica. Vel igitur quæcumque abiectio ſtatus alicuius; ſiue per breuius, ſiue per longius tempus, ſiue cum animo ipſum iterum aſſumendi, ſiue nunquam repetendi, erit apoſtaſia & receſſio ab illo; vel illa perpetua deſertio, & animus nunquam repetendi ſemel abiectum; ad omnem apoſtaſiam neceſſaria erit: atque ita neque ad apoſtaſiam à Religione neceſſaria fuerit intétio perpetuò illam deſerendi, vt contendebat communis ſententia, immò neque animus aliquandiu & per longiorem aliquam moram Religionem relinquendi, ſiue veluti permanenter & ſtabiliter pro longiori aliquo tempore determinato aût indeterminato extra illam & in ſæculo viuendi, vti volebat Suarez.

Mihi in grauiſſima iſta difficultate videtur attenta natura rerum, fugam & apoſtaſiam non differre ſpecie phyſica, neque etiam morali quoad malitiam, niſi ſecundum maius aut minus, cum vtraque contra eandem virtutem, & eadem ratione pugnet, quamuis grauiùs aut leuiùs, provt diuturnior, aut breuior eſt illa fuga & deſertio Religionis. Et ſanè in phyſicis receſſus ab eodem termino, per eandem lineam, & ad eundem terminum eiuſdem omninò ſpeciei eſt, ſiue per longius, ſiue per breuius ſpatium fiat: nihil enim exiſtit vnde eiuſmodi receſſuum diuerſitas ſpecifica ſumi iure poſſit; alioquin per ſingula ſpatia motus ſpecificaretur. In noſtro autem caſu qui fugit à Religione cum animo redeundi, aut per breue aliquod tempus, & qui ab illa diſcedit per longius tempus, aut cum propoſito nuſquam redeundi, recedit ab eadem Religione, & ad idem ſæculum, ſiue ſtatum ſæcularem accedit, totáque differentia eſt, vel in tempore receſſus; vel in animo redeundi, aut non redeundi ad terminum, à quo diſceſſum fuit: qui animus etſi augeat, aut diminuat diuturnitatem receſſus; non tamen mutat eius ſpeciem phyſicam, vt patet, neque moralem, quamuis eius malitiam aut augeat, aut minuat. Sanè qui negat fidem animo nunquam illam iterum 4.

profi

profitendi, non committit peccatum diuerſæ ſpeciei ab illo, qui eam negat cum animo iterum ipſam, vbi commodum fuerit, aut tempeſtas perſecutionis deſæuierit, aut vbi in alium locum ſe contulerit iterum profitendi: ſi nihil aliud in hac duplici negatione ſpectetur, quàm animus iterum profitendi, aut non profitendi. Hoc vnum itaque probat ratio facta aduerſus communem ſententiam, atque ipſius Suaris fugam ab apoſtaſia diſtinguentem, ſi agamus de diſtinctione ſpecifica ſiue phyſica, ſiue morali, quoad malitiam.

5. Quia tamen hi receſſus à Religione, à fide, & ab ordine conſiderantur quoad pœnas infligendas ab Eccleſia, quæ ſolent eſſe grauiores pro grauitate malitiæ, aut exempli, & ſcandali, & provt bonum commune poſtulat: Vnde fit, vt ſæpiùs aliqua peccata leuiora puniantur; grauiora verò vel omninò in illo foro non puniantur, vel non niſi leuioribus pœnis. Quamuis enim neque Eccleſia, neque vlla alia Reſpublica debeat ſupplicia grauiora, quàm culpæ mereantur, irrogare, idque omninò exigat Iuſtitia vindex, quæ eſt pars Iuſtitiæ commutatiuæ, & pœnas noxis commenſurare debeat; non obligatur tamen omnia crimina punire, aut æqualia ſemper æqualibus pœnis: attendere ſiquidem debet bonum commune, quod poſtulat certa quædam crimina ſeueriùs caſtigari, quamuis non ſupra quàm mereantur. Hinc illa certa & conſtans peritorum Iuris Regula, in pœnalibus argumentum à pari, ſiue ab æqualitate criminis non valere. Neque enim, ſi crimen aliquod punitur excommunicatione, omnia crimina ipſi æqualia eadem excommunicatione plectuntur: quod fuſiſſimè in noſtra ſcientia canonica docemus. Hinc fit, vt ſæpiùs peccata, quæ in ſe ſpectata eiuſdem rationis ac naturæ ſunt, ex ſola grauitate accidentali, ſecundum defectum, aut exceſſum differunt: quia tamen conſiderantur in ordine ad forum externum, & pœnas, quibus plectuntur, tanquam diuerſa cenſeantur, & vt talia conſiderentur à Doctoribus, atque diſtinguantur per varias connotationes: quæ tamen rigidam illam diuerſitatem ſiue phyſicam, ſiue moralem, quam in naturis rerum attendimus non continent.

In iure igitur, atque in ordine ad pœnas diſtinguuntur fuga & apoſtaſia à Religione; ita vt ſola deſertio perpetua Religionis dicatur apoſtaſia; fuga verò ſit alia quæcumque iniqua Religionis abiectio, cuiuſmodi non eſt ſimplex exitus à monaſterio abſque Prælati venia, vti monebamus initio, atque ita ius interpretantur omnes Doctores ſuperiùs pro communi ſententia relati, qui has retroceſſiones à Religione conſiderant; non ſecundum rationes phyſicas ipſarum, ſed in ordine ad forum Eccleſiaſticum illas damnans & puniens diuerſis omninò pœnis, ratione quarum diſtingui omninò ſolent, atque hanc eſſe mentem Iuris præter communem illam Doctorum interpretationem duo nobis certò perſuadent, primum eſt, quòd pœnæ à iure latæ non cadunt niſi in peccata omninò completa & conſummata: atqui diſceſſio perpetua à Religione, ſiue cum animo nunquam illam repetendi eſt ſola deſertio Religionis completa & perfecta apoſtaſia; fuga verò, ſiue diſceſſio ad aliquod ſolum tempus non eſt niſi incompleta diſceſſio, & veluti 6.

 inchoa

inchoata Apoſtaſia ; ideóque non punitur pœnis in apoſtaſiam inflictis, neque illo nomine ſimpliciter & abſolutè ſignificatur, cum non ſit ſimplex & abſoluta mutatio Religionis in ſtatum ſæcularem, ſed inchoata tantùm receſſio à Religione, nomina enim abſolutè & ſimpliciter poſita ſignificant rem abſolutè & ſimpliciter talem. Alterum eſt, quod in pœnalibus, quæ ſtrictiùs ſunt interpretanda, nomina ſumi debeant in abſoluta & ſimplici ſignificatione ; ac proinde nomen apoſtaſiæ vſurpari non debeat, niſi pro abſoluta receſſione à Religione, cuiuſmodi non eſt fuga, quam deſcripſimus.

7. Dices ex his omnibus ſequi ſolam deſertionem perpetuam Religionis cum dimiſſione habitus Religioſi nomine apoſtaſiæ intelligendam eſſe in iure : quia ea ſolum eſt conſummata, & abſoluta receſſio à Religione, vt patet : Nam quamdiu quis habitum Religionis retinet, illam exteriùs ſaltem profiteri videtur, & nondum planè ipſam abieciſſe:atqui nomine apoſtaſiæ diximus ſignificari tantùm perpetuam & completam deſertionem Religionis. Cur igitur in definienda apoſtaſia dicebamus nuper illam eſſe iniquam à Religione diſceſſionem ſiue retento, ſiue abiecto habitu Religioſo:quod etiam tradit communiſſima ſententia,quam docent Angel. Sylueſt. Caiet.Nauar. Bann. Aragon.Valent. Roderiq.Sanchez & alij initio relati. Tabien.ver. apoſtaſia, quæſt.11. num.14. Armil. eod. ver. num.11. Azor.1.part. inſtit. moral. lib. 12. cap.17. quæſt.6. Abb. in cap.1.de apoſtatis num.2.Maſcard. de probationib. concl. 12. num. 1. & alij paſſim contra Calderin. conſil. 1. de apoſtatis & Clarum in practica criminali, §. fin. quæſt. 78.

Reſpondeo conſummatá eſſe apoſtaſiam, & receſſionem à Religione, quando perpetua eſt, etiamſi retineatur adhuc habitus : quia vti docent laudati Doctores, cum habitus non faciat Monachum, ſed profeſſio regularis, vt dicitur in cap. ex parte de apoſtatis, & cap. conſuluit. qui Cleric. vel vouent. ſicut poterit valere profeſſio, habitu non ſuſcepto: quod notat Abbas in cap. porrectum de apoſtatis, num.7. Ita poterit eſſe abiectio Religionis, retento eius habitu : non negarim tamen illum magis quodammodo Religionem deſerere, qui ita ab eius ſubiectione perpetuò ſe ſubtrahit, itáque ab illa diſcedit,vt nequidem vllum eius externum ſignum aut veſtigium retineat : quàm illum, qui adhuc notam Religioſi cultus defert.Verùm quando dixi in iure non puniri niſi actus conſummatos, de quibus etiam ſolis vſurpantur nomina in legibus pœnalibus, & non de inchoatis, quamuis grauiter malis, non accipiendum eſt illud commune dictum de actibus conſummatiſſimis ; ſufficit enim, ſi ſint perfecti, completi, & conſummati in genere ſuo,quamuis & alij dari poſſint magis completi, & conſummati, cum in iſtis moralibus dari poſſit latitudo. Itáque diſceſſio perpetua à Religione retento habitu eſt conſummata apoſtaſia, licet ſi abiiciatur quoque habitus conſummatior, & maior quodammodo ſit apoſtaſia ; ſicut profeſſio Religionis non ſuſcepto habitu valida eſt, integra & completa,ac conſummata, cùm per illam plenè & integrè conſtituatur Religioſus, vti dicebat Abbas cum communi ſententia : profeſſio tamen, quæ fit ſuſcepto etiam habitu, plenior quodammodo

dammodo & conſummatior eſt integritate quadam accidentali: quod nemo negabit; quis tamen dicat in iure nomine profeſſionis intelligi duntaxat illam, quæ fit ſuſcepto habitu Religioſo.

§. II.

Conſectaria ex doctrina tradita ex hac apoſtaſiæ deſcriptione, eiúſque à ſimplici fuga diſtinctione.

Consectarium I.

An habitum dimittens, vel occultans ſit apoſtata.

8. Sequitur primò illum, qui ſuæ Religionis habitum dimittit, vt ſeſe occultet, aut aliqua alia de cauſa, ſiue iuſta, ſiue iniuſta, ſine animo tamen recedendi à Religione, neque fugitiuum, neque apoſtatam eſſe, cùm reuera non recedat à Religione. Quomodo verò excommunicationem, aliámve pœnam incurrat, quoties hæc habitus dimiſſio temeraria eſt, & ſine cauſa rationabili, diximus fuſiùs capite ſuperiori.

Secundò multo minùs transfuga, aut apoſtata dicendus erit, qui Religionis ſuæ habitum occultat, & alio cooperit, niſi Religionem deſerat, vel aliquandiu, vel perpetuò, contra quam voluerit Gloſſa in Clement. II. ver. extrinſecè, de vit. & honeſt. Cleric. & alij, quos refert & reiicit Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 8. num. 5. An verò ea habitus occultatio puniatur excommunicatione in dimittentes habitum lata, diximus capite ſuperiori.

Consectarium II.

Nouitius aut vouens in Congregatione non religioſa non ſit apoſtata diſcedendo.

Tertiò Nouitius, qui à Religione recedit, non eſt apoſtata, cap. conſult. cap. penult. de Regularib. & docet Menochius de arbitrariis caſu 546. num. 45. aliíque omnes: quia reuera ille non erat Religioſus, neque deſeruiſſe Religionem dici poteſt. 9.

Quartò, qui vota Religioſa emittunt in aliqua Congregatione, aut Communitate, quæ non eſt approbata tanquam vera Religio, ſi ab illa diſcedant, aut fugiant, neque ſunt apoſtatæ, neque fugitiui; immò matrimonium ab illis contractum validum foret, quamuis illicitum: quia illi reuera ab ſtatu religioſo non diſcedunt, ſiue peccatum, quod ab illis committitur, eiuſdem rationis & malitiæ ſit cum fuga, & apoſtaſia à vera Religione; ſiue non, quod modò non diſputo; ſufficit enim, ſi eccleſiaſtico more, vt loquitur Suarez, differant. Ita de Beatis tertij Ordinis S. Franciſci, & Dominici tradunt Bann. 2. 2. q. 12. art. 1. dub. 1. concl. 1. & Aragon. dub. vnic. de apoſtaſia à Religione. De Monialibus Turris ſpeculorum Romæ Nauarr. conſ. 6. & 7. de ſtatu Monach. Ricciul. de iure perſonarum lib. 8. cap. 2. num. 7. Et de omnibus eiuſmodi Congregationibus non Religionibus in vniuerſum Suarez tract. 8. de Relig. lib. 3. cap. 2. num. 1. Bonacin. de clauſura, quæſt. 2. punct. 11. §. 1. num. 3. Ferdinand. à Caſtro punct. 16. cit. num. 5. & alij paſſim.

Quintò, qui habitum Religioſum

ſuſcipit extra Religionem, quamuis per plures annos illum detulerit, non eſt apoſtata, ſi illum dimittat: quia neque ipſe verè Religioſus erat, neque per illam abiectionem habitus religioſi ab ſtatu religioſo diſcedit. Ita ex cap. vt Clerici de Regularib. colligitur: ibique notat Hoſt. numer. 1. Gloſſa in Clement. eos de Regularib. ver. aliqua, Calderin. conſ. 5. de Regularib. & Felin. conſ. 14. Menoch. de præſumpt. præſumptione 83. num. 25. & alij.

Consectarivm III.

Iniquè diſcedentes à Societate Ieſu ſunt apoſtatæ.

10. SExtò, qui à Societate Ieſu fugiunt animo illam perpetuò deſerendi poſt emiſſa vota ſimplicia Religionis ſubſtantialia exacto biennio Nouitiatus, verè transfugæ, & apoſtatæ ſunt. Quod euidenter tradunt Paul. III. in ſua vlt. Bulla Societati conceſſa. Pius IV. & Pius V. in Extrauagant. Æquum reputamus, & Gregor. XIII. in conſtitutione Aſcendente Domino. Ratio euidentiſſima eſt: quia hi reuera iniquè diſcedunt à Religioſo ſtatu, qui non tantum per ſolemnem profeſſionem conſtituitur, ſed etiam per ſui traditionem votis ſimplicibus confirmatam: quod iidem Pontifices locis allatis tradunt, atque etiam ex ipſa antiqua Eccleſiæ conſuetudine fuſiùs demonſtrauit Baſilius Pontius alibi in noſtra ſcientia canonica adductus. Neque veteres Canoniſtæ, aut Theologi aduerſantur, licet ad apoſtaſiam exigant profeſſionem ſolemnem: nam loquuntur ſecundum mores ſui æui, & mediæ illius ætatis. Tunc enim ſola eiuſmodi profeſſio Religioſum conſtituebat, quem loquendi modum imitati ſunt Bann. & Aragon. cum negant receſſionem à Religione, in qua ſola vota ſimplicia emittuntur, apoſtaſiam eſſe. Nam ſi negent veram Religionem conſtitui poſſe per vota ſimplicia; ac proinde eius deſertionem iniquam, veram tunc apoſtaſiam fore, cum mente Pontificum & Eccleſiæ reipſa pugnant, & ſe quoque parum in antiquis moribus verſatos oſtendunt, ſed cum illis circa hanc controuerſiam alius nobis erit diſputandi locus.

Consectarivm IV.

Diſcedens à Religione & ſtatim rediens non eſt apoſtata.

QVi iniquè diſcedit à Religione etiam cum animo illam perpetuò deſerendi; ſi tamen pœnitentia ductus ſtatim redeat, non cenſetur apoſtata in foro externo, neque pœnas apoſtatarum incurrit. Ita Roderiq. tom. 1. qq. Regular. quæſt. 30. art. 1. Bonacin. quæſt. 2. de clauſura punct. 11. §. 1. num. 1. Sanctarell. c. 3. de apoſtaſia dub. 1. num. 6. qui adducit Bald. in l. 1. C. de ædilitio edicto num. 19. Imol. conſil. 84. num. 18. & Abbat. in cap. ſuper ſpecula, ne Clerici vel Monach. numer. 9. Quia qui diſcedit ab aliquo loco, & ſtatim redit, non cenſetur diſceſſiſſe cap. diuortium de pœnitent. diſt. 1. & Gloſſa ibid. & l. 1. §. qui præſens. ff. de verbor. obligat. notántque ibidem Doctores idcirco ſtatutum puniens fugientes è carcere non afficere eos, qui poſt fugam illicò redeunt: quod obſeruant Bald. in lib. 1. C. de ſeru. fugit. num. 27. & alij. Et qui cœpit fraudare gabellas, ſi ſtatim ipſum pœniteat, 11.

pœniteat, & ſoluat, non tenetur lege aduerſus eiuſmodi defraudatores lata. Ita Ioan. Andr. in addit. ad ſpeculator. tit. de conſtitut. §.2. n.8. Bertazin. de gabellis part.8. num. 1. & Maſcard. de probationibus concluſ.834. num.26.

Consectarium V.

An Religioſi è carcere, aut triremibus ſine apoſtaſia fugere poßint.

12. Octauò, Religioſus carceri à ſuperiore mancipatus ab illo fugere nequit, niſi aut pœna capitis, vel mutilationis plectendus ſit, aut iniuſta ſit ſententia, aut contra legitimum iuris ordinem lata, aut iniuſtè mandetur executioni. Et ſi extra hos caſus fugiat, fugitiuus eſt, atque etiam apoſtata, ſi habeat animum Religionem perpetuò deſerendi. Et primò quidem non diſputo an cæteris reis liceat è carcere fugere, cum ibi conſtituantur, non vt ibi ſponte maneant, ſed vt ibi detineantur: Religioſis tamen reis, qui ſe ſua libertate priuarunt exeundi, & vagandi extra clauſtum, licitam non eſſe fugam ex ipſo carcere tradit communis ſententia Caiet.2.2. q.69. art.4.dub.2. Aragon. ibid. dub.1. circa argum.4. D. Thomæ, Bann. ibid. eod. art.4. poſt 5. concluſ. Roderiq. tom.2. qq. Regular. quæſt. 22. art.6. & tom. 1. ſumm. cap. 40. Bonacin. quæſt. 2. de clauſura punct. 11. §. 1. numer. 7. Sanch. lib. 6. in Decalog. cap.8. num.12. qui alios dabunt.

Si igitur exierit è monaſterij carcere, reuera fugæ, aut etiam apoſtaſiæ reus erit.

Secundò excepi pœnam capitis, aut mutilationis; ad illam enim vitandam poſſe exire è carcere Religioſum ſapienter tradunt Sanch. Bonacin. Aragon. Roderiq. Leſſius lib.2. cap.31. dub.5. num.14. contra Caiet. cit. & Valent. tom.3. diſput.5. q.13. punct. 4. ad 5. & Sayr. in claui regia lib.12. cap.18. num. 14. quia ius naturale tuendi vitam nequit ita abiici, vt non modò quis cogatur mortem pati; ſed etiam ad illam ſibi inferendam aliquid præſtare. Quare licet per iuſtam ſententiam poſſit priuari vita, non tamen priuari iure fugiendi, & ſic vitam in tuto collocandi. Sed de iure vitæ conſeruandæ alibi fuſius diſputaturi ſumus.

Tertiò per ſententiam iniuſtam vel in ſe, vel in modo procedendi, vel exequendi ipſam, damnatum poſſe è carcere fugere tradunt iidem Doctores: quia cum ſententia iniuſta non liget, eam reus ſubire non tenebitur: quare ſi Religioſius eam aliter vitare nequit, quàm fugiendo, licitè omninò fugiet.

Addit Bann. poſſe quoque fugere è carcere perpetuo, vt Superiorem adeat ad temperandam illam pœnam, quod negat Sanch. Mihi ex iis, quæ diximus cap. ſuperiori Conſect. 5. Banni adhærendum videtur.

Nonò Religioſus ad triremem damnatus, ſi ad vitandam illam pœnam fugiat, non animo vagandi, ſed vt Pontificem, aliúmve Superiorem adeat, & quandam rationem ineat liberandi ſe tam graui ſupplicio, non exiſtimo fugitiuum, aut apoſtatam haberi debere, contra Aragon. & Sanch. citatos ſequentes Bann. & Bonacin. vt enim non diſputem, an ea fuga è triremibus licita ſit cæteris reis, dico non maiori obligatione teneri Religioſum ad illam pœnam ſubeundam, quàm cæteros:

cæteros: iam enim videtur è monaſterio per illud ſupplicium eiectus; ac proinde non poterit cenſeri fugitiuus.

Consectarivm VI.

An Prælati teneantur inquirere & reuocare apoſtatas.

13. Decimò cum fugitiui, & apoſtatæ priuent Religionem per ſuam fugam, & apoſtaſiam vtilitate, & commodis, quæ ex ſuis ſubditis capit, illámque ſæpiùs ſuo diſceſſu infament, & aliis ſcandalo ſint, ipſíque in ſtatu damnationis exiſtant, debeántque Prælati tùm communi bono Religionis & famæ, tum ſingulorum Religioſorum ſaluti proſpicere, obligantur hos fugitiuos & apoſtatas reuocare, ſi poſſint, atque tum pœnis, tum aliis, quibus licebit, rationibus illos emendare. Quod docent Nauarr. comm. 3. de Regularibus, num. 50. Mirand. tom. 1. Manual. Prælator. quæſt. 51, art. 3. Suar. tract. 8. de Relig. lib. 3. cap. 2. num. 17. Layman. lib. 4. tract. 5. cap. 13. num. 7. Ferdinand. à Caſtro tract. 16. diſp. 4. punct. 17. Bonac. quæſt. 2. de clauſ. punct. 11. §. 2. Itaque ſtatuitur cap. fin. de Regularibus: quod innouauit ſacra Congregatio, & etiam extendit iuſſu Vrbani VIII. ſed de vtriuſque huius decreti intelligentia, cap. ſequenti commodiùs diſputabitur: non enim de ſolis fugitiuis, ſed etiam de eiectis illud agit. Satis verò eſt noſtro conſectario ſtabiliendo, quod ibidem hæc inquiſitio, & reuocatio fugitiuorum etiam annua impetretur, quamquam quoad illud tempus præſcriptum, deſierit eſſe in vſu ea conſtitutio, vti laudati Doctores obſeruant, hanc correctionem & reuocationem fugitiuorum, & vagantium Monachorum iampridem imperarat Aurelian. 1. cap. 21. vúltque ad id auxilium Epiſcoporum aduerſus eiuſmodi fugaces. Et Toletan. IV. cap. 51. Hanc porrò obligationem ſatis adſtruit cura illa, & ſollicitudo Religionis, & ſingulorum, quam debent habere Prælati, & quæ ad hanc inquiſitionem, & emendationem ſine dubio extenditur, vti iam monuimus, pluribúſque oſtendit Bleſenſ. Epiſt. 88. quam nomine Richardi Cantuarienſ. Archiepiſcopi ad Abbatem Theoberienſem pro fugitiuo quodam Monacho, ſed pœnitente ſcribit: & quamuis ille fugitiuus noxius futurus ſit Religioni, ideóque ſtatim vbi reuocatus fuerit ab ea expellendus, nihilominus reuocari, & capi omnino debebit, tum ne cæteri exemplum fugiendi ſumant, ipſéque caſtigetur; tum vt authoritate Religionis eiiciatur, & non ſponte ſua vagetur. Si tamen nequeat capi, aut reduci hic fugitiuus abſque ſcandalo, & turbis, aut nulla ſit ſpes eum inueniendi, liberabitur Prælatus obligatione eum quærendi, aut capiendi; poterítque, ſi velit, abſenti abſolutionem fugæ mittere, aut illum ex ordine eiicere.

Prælati verò, quibus incumbit hæc cura reducendi fugitiuos & apoſtatas, ſunt ipſi Prælati ordinis, quibus eiuſmodi fugitiui ſubiecti ſunt; non verò Epiſcopi, niſi vbi eorum auxilium à Prælatis regularibus requiritur: illud enim tunc conferre tenentur; immò ſi Regulares ea in re negligentiores fuerint, & fugitiui cum ſcandalo & piorum offenſione in ſua diœceſi vagentur, illos ſua authoritate capere poterunt, vti obſeruant Mirand. Layman. Ferdinand. & alij.

CONSECTARIVM VII.

An Religio debeat alere fugitiuos.

14. VNdecimò Religioſis fugitiuis, & apoſtatis non tenetur Religio miniſtrare alimenta, neque proinde expenſas ab ipſis tempore fugæ factas ſoluere. Ita Henric. in cap. fin. num. 6. de Regularib. Surd. de aliment. tit. 8. priuileg. 97. n. 6. & tit. 9. quæſt. 27. num. 22. Sanctarell. tract. de apoſtaſ. cap. 3. dub. 2. num. 22. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 9. num. 21. Ferdinand. à Caſtro punct. 17. citato. Bonacin. quæſt. 2. de clauſ. punct. 11. §. 3. num. 4. & alij. Quia cum, vti diximus, fugitiuus ſua culpa ſe ſubtraxerit monaſterio, & illi amplius non ſeruiat, iniquum eſſet, ſi eiuſmodi fugitiuum monaſterium alere teneretur. Neque dicas ex illa fuga factum eſſe ditius monaſterium, quod alimenta impendiſſet Religioſo, ſi non fugiſſet; ac proinde in eius commodum ſuppeditata fuiſſe ab alio quopiam eiuſmodi alimenta: nam ea alimenta fuerunt potiùs in monaſterij detrimentum, ad quod coactus fuiſſet redire fugitiuus inopia preſſus. Si verò expenſæ reipſa factæ fuiſſent in vtilitatem monaſterij, v. g. in capiendo & reducendo apoſtata, aut fugitiuo: illas ſubire cogeretur monaſterium, eodem iure, quo qui reducit ad Dominũ ſeruum fugitiuum, ab illo itineris, & capturæ expenſas iure quærit. Neque valet hoc caſu vulgata regula: qui ſentit commodum, debet & ſentire incommodum de Regul. iur. in 6. Monaſterium autem acquirere bona, quæ fugitiuo & apoſtatæ obuenerunt; ac proinde illius expenſas ferre debere. Quia, vt modò non diſputem de dominio eiuſmodi bonorum, de quo capite ſequenti, Regula illa vulgaris non valet in illis qui ita alieni iuris ſunt, vt nihil ſibi acquirere poſſint: idcóque licet ſeruus acquirat Domino, quidquid acquirit: non tamen tenetur Dominus ad expenſas ſerui, aut ad damna per ipſum illata, niſi illa in Domini vtilitatem verſa fuerint: ne tamen omnia pereant, illi qui bona fide fugitiuo miniſtrauit alimenta, tenebitur Religioſus ea reſtituere ea ratione, qua tenetur ſoluere alia debita, aquorum ſolutione monaſterium eximitur: qua de re alibi. Confirmãtur hæc omnia, primò quia pater non tenetur filium ſua culpa recedentem, & fugientem alere. Ita Surd. de alimentis tit. 7. quæſt. 7. n. 1. Aſcan. in Clement. tit. de patr. poteſt. effect. 17. num. 32. Secundò, neque maritus tenetur alere vxorem à ſe ſua culpa diuertentem. Gloſſ. in cap. ſignificaſti. ver. matrimonio. de diuortio. Ioann. Lupus Rubric. de donat. inter vir & vxor. §. 64. num. 6. & 10. Surd. loco proximè cit. Tertiò, neque Dominus fugientem ſeruum alit.

CONSECTARIVM VIII.

An qui aliam Religionem illicitè & inualidè ingreditur, ſit apoſtata.

DVodecimò, quia apoſtaſia eſt iniqua diſceſſio ab ſtatu Religioſo, ſiue ſtatus religioſi abiectio, & depoſitio, eum, qui à ſua Religione diſcedit, vt aliam ingrediatur, 15.
quamuis ſine licentia, ac proinde inualidè, ſiue ex communi iure, ſiue ex indultis Pontificiis, non eſſe apoſtatam, niſi impropriè; ac proinde veris apoſtatarum pœnis non affici ex iure communi: & niſi indulta illa

Pontificia id exprimant, colligit communis ſententia Canoniſtarum, Summiſtarum & Theologorũ, quos adducunt & ſequuntur Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 8. numer. 8. Valent. t. 2. diſput. 1. quæſt. 12. punct. 1. ſub fin. Leſſius lib. 2. cap. 41. dub. 13. numer. 102. Roderiq. tom. 1. qq. Regular. quæſt. 30. artic. 1. Azor. tom. 1. lib. 12. Inſtitut. Moral. cap. 17. quæſt. 7. & fusè Sanctarell. tract. de apoſtaſia cap. 3. dub. 2. numer. 18. Quam communem ſententiam ſibi difficilem & in rigore falſam dixit Suar. tom. 5. in 3. part. diſput. 31. ſect. 6. numer. 4. & tract. 8. de Relig. lib. 3. cap. 12. numer. 17. cui ferè adhæret Ferdinand. à Caſtro Palao tract. 16. diſp. 4. punct. 16. n. 7. Primò quia iſte diſcedit omninò à Religioſo ſtatu, à ſua quidem Religione, vt patet: & aliam non aſſumit, niſi tantùm apparenter: quare hic non eſt animus commutandi duntaxat Religionem, cum illa commutatio in illis circunſtantiis impoſſibilis ſit; ergo eſt animus duntaxat à Religione diſcedendi, neque quidquam ad apoſtaſiam deerit. Secundò S. Th. 2. 2. quæſt. 12. art. 1. ad apoſtaſiam aliud non requirit, quàm retrocedere à Religione, quam quis profeſſus eſt, neque addidit *ſine tranſitu ad aliam*, vti addiderunt deinceps eius interpretes & Canoniſtæ, qui pro arbitrio ſibi apoſtaſiæ definitionem confinxerunt. Nam neque ex vi vocis apoſtatandi, & apoſtaſiæ: neque ex vi iuris eam ſignificationem ſatis colligere poſſunt. Tertiò, quia hi Religioſi fugitiui ſunt, vti fatetur Sanch. numer. 9. contra Syluest. ver. apoſtaſia quæſt. 4. quia indebitè fugiunt ab obedientia ſui Superioris: atqui fugitiuus & apoſtata non differunt, vti fuſiùs oſtendimus ſuperiori §. niſi quod vnus perpetuò ſe ſubducat obedientiæ Superioris; alter verò ad tempus duntaxat, ſiue determinatum, ſiue indeterminatum. Cum itaque qui abiecta propria Religione ad aliam inualidè tranſit, perpetuò ſe ſubducat obedientiæ ſui Superioris; reuera ex ipſa communi ſententia apoſtata erit. Quartò ratio quodammodo à priori eſt: quia in his eiuſmodi receſſibus non debet attẽdi terminus ad quem, ſed terminus à quo; quare cùm à ſubiectione Religionis quis iniquè recedit, ſiue immediatè ad ſæculum redeat, ſiue ad vmbram quandam Religionis, apoſtata erit. Quintò denique Pontifices hos fugitiuos tanquam apoſtatas habent. Nam Paulus III. in Bulla conceſſa Societati Ieſu, *debitum paſtoralis officij*. Et Pius V. an. 1565. *Æquum reputamus*. Et Gregor. XIII. *Dilecte fili*. Tranſeuntes à Societate ad aliam Religionem, prætерquam ad Carthuſ. tanquam apoſtatas puniunt.

Mihi neque malitia apoſtaſiæ in eo tranſitu reperiri videtur, neque pœna: nam reuera iniqua illa diſceſſio à Religione, quam nominamus apoſtaſiam in communi hominum ſenſu ſignificat reditum ad ſæculum, atque adeò in iure. Quare vbi reuera non reditur ad ſæculum, neque apoſtaſia eſt, quamuis crimen, illudque graue deficiendo à propria Religione, & aliam inualidè ingrediendo committatur, quod ipſis apoſtatarum pœnis plectere aliquando viſum eſt. Neque ad eas pœnas infligendas opus fuiſſet particulari ſanctione Apoſtolica, ſi illud crimen vera & propria foret apoſtaſia. Nam ex iure communi illis ipſis pœnis obnoxium foret: neque aliud Suaris rationes oſtendunt. 16.

Consectarium IX.

Quænam ſit apoſtaſiæ malitia.

17. Decimotertiò grauiſſima eſt malitia apoſtaſiæ, vtpotè tum iniuſtitiæ contra Religionem, cui ſua res ſubtrahitur, & quæ priuatur vſu iuris, quod habet in Religioſum, eiúſque operas: tum ſacrilegij contra Deum iniuſtè contrectando rem Deo ſacratam: quod totum ex proximo §. colligitur, & definitione ibidem apoſtaſiæ explicata. Et quamuis ea omnis malitia reperiatur quoque in fuga, ideóque non ſint diuerſæ ſpecies morales, differántque ſolum quoad grauitatem, ſicut furtum cum animo reſtituendi poſt aliquod tempus non differt ſpecie à furto eiuſdem rei abſque animo reſtituendi; nihilominus circunſtantiam apoſtaſiæ, quæ grauitatem ſolam adiicit fugæ, exprimendam eſſe in confeſſione ſapienter aduertit Suar. tract. 8. de Religion. lib. 3. cap. 1. numer. 16. quia quamuis daremus circunſtantias tantùm ferè ſpecificas, & non notabiliter aggrauantes explicandas eſſe; vbi tamen circunſtantia eiuſmodi eſt, vt quamuis non afferat ſpeciem nouam malitiæ; mutet tamen notabiliter iudicium confeſſarij, & neceſſario cognoſci debeat ad ſtatum pœnitentis ſufficienter cognoſcendum; aut quia eſt quoddam complementum & veluti conſummatio actus, qui erat veluti tantùm inchoatus, omninò explicari debebit, vt videmus in mutilatione & homicidio. Huius porrò peccati grauitatem oſtendunt Patres, dum illud Iudæ proditioni comparant. Sic Author. ſerm. 1. de Cœna Domini apud Bernard. ipſéque Bernard. ſerm. 3. in Pſalm. Qui habitat. in fin. S. Ephrem. in ſuo teſtam. ſub init. & Author. ſerm. ad Fratres in Eremo apud Auguſtin. ſerm. 8.

Consectarium X.

Ad quid obligentur cooperantes apoſtaſiæ.

Decimoquartò qui Religioſi fugæ, aut apoſtaſiæ cooperatur ſiue poſitiuè, ſiue negatiuè, grauiſſimè peccat contra Religionem, & iuſtitiam commutatiuam, ideóque tenetur ad damna omnia tum ipſi Religioſo apoſtatæ, tum Religioni illata reparanda, ſi per vim & fraudem apoſtaſiam, aut fugam cauſarit; ſi verò nulla vi aut fraude vſus fuerit, non obligabitur quicquam Religioſo reparare, ſed ſoli Religioni. 18.

Duplicem hoc caſu, ſicut & in aliis omnibus cooperationem ſuppono, poſitiuam vnam; alteram negatiuam. Prima fit influendo per actionem aliquam ſiue phyſicam, ſiue moralem in ipſammet fugam vel apoſtaſiam, nempe perſuadendo fugam, conſulendo, adiuuando, approbando, & poſt exitum fugitiuum defendendo, excipiendo, & occultando, non quà amicum & conſanguineum, ſed quà fugitiuum & apoſtatam; ita vt ex illa tua actione, nimirum receptione, occultatione, defenſione perſeueret & confirmetur in ſua fuga, vt ſi alas, vt lateat perſequentem Religionem, equum, aliáve miniſtres, vt faciliùs lateat, aut ne à ſuis Prælatis capiatur, & reducatur: nam ſi alas vt amicum & conſanguineum, & ne inopia cogatur vagari maiori cum ſcandalo, & occultes, aut defendas, ne inde ipſe, aut Religio aliquid patiatur, aut iniuriam aliquam ſubeat, & faciliùs

ciliùs ac ſuauiùs reducatur, aut veniam apud Prælatos depreceris, rémque totam componas, nulla ſanè erit apoſtaſiæ cooperatio: quæ omnia fuſiùs explicat Suarez tract.8. de Relig. lib. 3. cap. 3. numer.2. & ſeq. Negatiua cooperatio eſt non impedire apoſtaſiam, aut fugam, cum impedire potes & teneris ex iuſtitia, & officio tuo. Nam ſi ſolùm ex charitate impedire tenearis, grauiter quidem peccas; non cooperari tamen cenſeris apoſtaſiæ, vti docet ex communi ſententia Suarez, nimirum cooperatione, ratione cuius obligeris ad reparationem damnorum, quæ ex ea fuga proueniunt: quod addo, vt non diſputem accuratiùs, vtrum omiſſio impediendi damnum, aliúdve malum, ad quod impediendum ſola charitas te obligat, dici debeat vera cooperatio negatiua: quidquid enim de ea re ſtatuatur, certum eſt ex illa non oriri obligationem reſtitutionis, ſiue ſatisfactionis, quæ ex ſola violatione iuſtitiæ naſcitur, vti fuſiùs docuimus 2.2.

Dixi igitur omnem cooperationem ad fugam, & apoſtaſiam eſſe peccatum contra Religionem, & iuſtitiam, quod certum eſt ex ſuperiori proximo Conſectario: quia malitia cooperationis eiuſdem rationis eſt, cum malitia primariæ actionis, in quam ipſa influit. Quare cum apoſtaſia Religionem, & iuſtitiam violet, eius cooperatio geminam illam malitiam habebit: quod fuſiùs oſtendit cap.3. cit. Suar. neque à quoquam negari poteſt. Tota itaque difficultas eſt, circa obligationem reparandi damna per apoſtaſiam illata, quæ vel ſpiritualia, vel temporalia ſunt; & vel ipſi Religioſo apoſtatæ, vel Religioni ex apoſtaſia, & cooperatione ad illam oriuntur: atque vt præcidam plures difficultates, quæ aliò pertinent, & in materia de reſtitutione 2.2. ſunt à nobis diligenter pertractatæ.

Diſtinxi duplicem modum huius cooperationis: nam aliquando per vim & fraudem aliquis à Religione abducitur; aliàs verò ſine vi, & fraude: quia aut fugam conſulis, aut blanditiis perſuades, aut fugientem iuuas conſilio, vel ope tua. Si vis & fraus adfuerit, teneris omnino ad ſatisfactionem: & primò quidem debes à vi & fraude ceſſare, atque liberum relinquere Religioſum, vt ad Religionem redeat, ſi velit; non tamen vi & fraude illum ad monaſterium reducere, cum ad id opus ſit authoritate publica: qua ratione reparas damna ſpiritualia, quæ Religioſo intuliſti, cum illum ſtatu Religioſo, & donis, boníſque ſpiritualibus ipſum comitantibus priuaſti: nam in eius eſt arbitrio illa recuperare: quòd ſi nolit, id ſibi ipſi tribuere debet, non tibi, maximè ſi declararis te vi, vel fraude ipſum abduxiſſe à Religione, vt illa faciliùs redeuntem excipiat: quod ſi nolit, ea à Religione excluſio ipſi apoſtatæ, vel Religioni imputanda erit. Damna quoque temporalia, quæ ex ea apoſtaſia proueniunt apoſtatæ, quem vi & fraude ad hoc crimen induxiſti, vt dedecus, infamia, carentia alimentorum, quæ tunc Religio non tenetur ſuppeditare, vti diximus: & quia illum amplius recipere non vult, omnino quoad licuerit, reparare teneberis. 19.

20. Quoad damna prouenientia Religioni ex illa apoſtaſia, cùm à te per vim & fraudem, ac proinde per ſummam iniuriam illata fuerint: illa reſarcire teneris, quamdiu vis & fraus durauit. Nam vbi illa ceſſauit, &

Religio

Religio noluit admittere apoſtatam, quamuis non tam ſua voluntate, quàm tua vi, & fraude abductum fuiſſe ſciat, non obligaberis ad vllam reſtitutionem: eum enim non admittit Religio. Quod ſi Religio fugitiuum quidem admittere parata ſit; ſed ille nolit ad eam redire, quamuis plerique cenſeant te ad illa damna teneri; id tamen non exiſtimarim: quia Religio non habet ius in illud lucrum, niſi media Religioſi voluntate, quam ipſe nunc liberè modò negat, nulla vi, aut fraude deceptus.

21. Quod ſi omnis fraus & vis abfuerit, iam non teneris ad vllam ſatisfactionem Religioſo: quia ſcienti & volenti non fit iniuria: & nullam à te reuera paſſus ille eſt.

Religioni tamen aliquid reſtituendum eſſe probabilius cenſeo. Cum Azor. 3. part. lib. 5. cap. 2. Molin. tract. 4. diſp. 51. num. 3. Ferdinand. à Caſtro tract. 16. diſput. 4. punct. 18. num. 5. contra Leſſ. lib. 2. cap. 8. n. 13. Suar. tract. 8. de Relig. lib. 3. cap. 3. num. 14. Bonacin. diſp. 2. de reſtitut. quæſt. 1. §. vnic. & alios alibi relatos. Quia cum Religio habeat ius verum in Religioſum, & in commoda ex illo percipienda: & ideò Religioſus ſe ſubducendo ab eius obedientia per fugam, & apoſtaſiam peccet contra iuſtitiam, vti fatetur ipſe Suarez: ſanè qui ad illam fugam cooperatur, etiam ſine vi & fraude, reuera eſt cauſa iniuriæ & damni, quod patitur Religio: cauſa, inquam, iniuſta & iniurioſa, ſicut ipſa cauſa principalis, cui cooperatur: ergo tenetur ex iuſtitia ad illius iniuriæ, & damni à ſe illati reparationem: quamuis enim Religio non habeat ius in operas Religioſi, & commoda inde prouenientia, niſi media ipſius Religioſi voluntate, qui proinde non eſt in poſſeſſione Religionis tanquam iumentum aliquod; immò neque inſtar ſerui: quia non tradit ſe Religioni in commodum Domini; ſed in ſui commodum, vtilitatem, & ſalutem, in quam ipſa Religio fuit inſtituta. Nihilominus cum poſita illa traditione ſui facta à Religioſo, Religio habeat ius illum regendi, illi imperandi, illóque vtendi, & iure illo priuetur, aut potiùs illius vſu per fugam & apoſtaſiam, reuera patitur iniuriam, ad quam cooperando peccas contra iuſtitiam: obligaris itaque eiuſmodi iniuriam reparare, atque adeò omnia damna, quæ cum ipſa reapſe coniuncta ſunt.

Ad extremum non teneri cooperantem apoſtaſiæ etiam per vim, & fraudem ingredi Religionem loco eius, quem ab ea abduxit etiam profeſſum, licèt ille nolit ad eam redire, docent Leſſ. lib. 2. cap. 8. num. 13. Vaſq. opus de reſtitut. cap. 8. dub. 1. Reginald. in praxi lib. 10. num. 308. Rebell. de obligat. iuſtit. 1. part. lib. 4. quæſt. 15. num. 4. Azor. 3. part. lib. 5. cap. 2. Nauarr. cap. 18. num. 45. Ferdinand. à Caſtro l. c. & Suar. cap. illo 3. nuper adducto contra Molin. tract. 4. diſp. 51. num. 8. qui antiquiores quoſdam ab Azorio relatos ſequutus vult hunc ſeductorem, ſi aliter damna Religionis reparare nequeat, obligari ad eam ingrediendam, niſi ea obligatio ipſi condonetur à Religione: idque aliqui factitatum tradunt à Raimundo, qui deinde fuit Generalis Ordinis Prædicatorum, in eóque literis & ſanctitate floruit. Verùm cum hæc grauiſſima ad ſtatum perfectiorem obligatio liberè, & non coactè ſuſcipi debeat, atque ex diuina vocatione pendeat, ex delicto contrahi nequit, 22.

neque in pœnam imponi : quod etiam ſequenti diſquiſitione monebimus. Atque hæc eadem ratio oſtendit hunc ſeductorem non teneri ſaltem ex iuſtitia alium loco illius, quem abduxit, ad Religionem inducere contra Bonacin. diſput. 2. de reſtit. quæſt. 2. §. vnic. ſub fin. quia hæc humanitùs conſuli non debent, ſed diuinitùs immitti : & Religioſus non poſſidetur, vti iam monui, à Religione tanquam mancipium à Domino, cui aliud reſtitui debeat, ſi vnum fuerit vi & fraude abductum; ſed inſtar filij, cuius occiſi loco, alius reponendus non eſt ; alioquin qui Religioſum occideret, teneretur alium eius vice ſubſtituere.

§. III.

De pœnis fugitiuorum & apoſtatarum ex antiquo iure.

23. NOuum & vetus ius pro ſolemni more diſtinguendum nobis eſt hoc loco, ſicut & ius commune à priuato & ſingularum Religionum priuilegiis, à Sede Apoſtolica indultis, quæ non attendimus modò in hac doctrina vniuerſali, quamquam & illa interdum indicabimus.

Quod igitur ſpectat ad antiquiora iura Leo 1. Epiſtol.92. ad Ruſticum Narbon.cap.13.ait puellas, *Quæ non coactæ parentum imperio, ſed ſpontaneo iudicio propoſitum & habitum virginitatis ſuſceperunt, ſi deinde nuptias elegerint, præuaricātur, etiamſi conſecratio non acceſſerit.* Rationem reddit cap. 14. *Cum ambigi non debeat crimen magnum admitti, vbi & propoſitum deſeritur, & conſecratio violatur : quia ſi humana pacta non poſſunt impunè calcari, quid eis manebit, qui corruperunt fœdera diuini ſacramenti ?* Et cap.12. idem oſtenderat : quia quod quis vouit Deo, debet & reddere : pœnam verò huic crimini nullam certam imponit; ſed publicæ pœnitentiæ ſubiicit, illo cap.12. *Qui relicta ſingularitatis,* (id eſt, monachiſmi) *profeſſione ad militiam, vel ad nuptias deuolutus eſt publicæ pœnitentiæ ſatisfactione purgandus eſt.* Qui autem iſtud pœnitentiæ remedium non requirebant, reiiciebantur à communione, & ad Clericatus officium admitti non debebant. Ita Concilium Arelatenſe 2. ſub Syluestro primo cap.25.edixerat. *Hi qui poſt ſancta Religionis profeſſionem apoſtatant, & ad ſaculum redeunt, & poſtmodum pœnitentiæ remedia non requirunt, ſine pœnitentia communionem penitus non accipiant, quos etiam iubemus ad Clericatus officium non admitti.* Quæ iiſdem verbis repetit lib. 6. Capituli cap. 139. Addit verò Concilium Arelatenſ. eiuſmodi apoſtatam non poſſe peracta pœnitentia ſæculum repetere; alioquin excommunicabatur ab Eccleſia. *Et quicumque ille ſit*, inquit, *poſt pœnitentiam ſæcularem habitum non præſumat ; quod ſi præſumpſerit, ab Eccleſia alienus habeatur.* Quibus verbis ſine dubio continetur excommunicatio, quamuis modus ille loquendi, æquè ferendæ, atque latæ ſententiæ pœnam ſignificet, neque ex adiunctis ſatis liquet, an ipſo facto incurratur. Hanc eandem communionis priuationem etiam puellis & viduis, quæ in propriis domibus conuertebantur, iiſque, qui ipſis deinde coniugio iungebantur, iam olim iniunxit an. 549. Concil. Aurelian. 5. cap.19. *Quamuis ſi culpam ſuam ſequeſtratione ſanauerint,* (id eſt,

eſt, ſi ſacrilega fœdera diſruperint) *ad communionis gratiam reuocari permittat.* Simili ratione Concil. Matiſcon.1. an. 576. cap.19. à communione ſequeſtrat tum puellas, quæ ad ſæculi illecebras redierint, & res ſuas ad ſibi comparandum patrocinium ea de cauſa dederint: tum eos, qui illas res acceperint. Quod ſanciuit occaſione cuiuſdam Agnetis Monachæ, quæ id facinus commiſerat: *Quia Monacha nomine Agnes, quæ de monaſterij ſeptis fuga ante aliquot annos diſceſſerat, in eodem eſt monaſterio reuocata, & dicitur inſtigante diabolo Agellos, vel quaſcumque res ad ſe pertinentes aliquibus potentibus velle donare, dummodo per eorum patrocinium ſe poſſit de intra monaſterij ſui ſepta ſubtrahere, & voluptatibus ſæculi clandeſtina, vel ſingulari habitatione vacare; ideò præſenti conſtitutione ſancimus, vt tam illa, quàm quæcumque alia Monacha, quæ ſub hac argumentatione ſe de Religionis habitu ad illecebras ſæculi, aut res ſuas pro tam iniqua indeliberationis cauſa quibuſcumque dare cenſuerit, tam illa, quæ hoc dare voluerit, quàm illi quicumque hoc acceperint, (ne quod Deus auertat, ambitionis inſtinctu Religionis videatur regula vitiari) tamdiu ſint à communionis gratia ſequeſtrati, quamdiu res ipſas eis, à quibus has acceperant, digna ſatisfactione reſtituant.* Hæc tamen excommunicatio videtur non tam propter reditum ad ſæculum, quàm propter res ſemel Deo dicatas ſæcularibus donatas, vt illorum patrocinio liberior ad ſæculum reditus pateret, inflicta fuiſſe. Sic cap.12. Virgines Deo deuotas ad terrenas nuptias, aut potiùs, vt loquitur Concil. ſtuprum tranſeuntes vſque ad vitæ exitum cum criminis conſorte communione priuat. Quòd ſi pœnitentia ducti ſe ſequeſtrauerint, quandiu Epiſcopo loci illius viſum fuerit, à communionis gratia ſuſpendantur. Quare hæc pœna potiùs propter ſacrilegas nuptias, quàm propter apoſtaſiam ſancita fuit, in Lugdun.tamẽ 2.c.3.an.686.ſub Pelagio II. ratione ſoliùs apoſtaſiæ imponitur puellis, quæ ſe Deo annuentibus parentibus dedicauerint, & intra monaſterium puellarum concluſionem elegerint, & ſe de eodem monaſterio quacumque animi leuitate extra captiuitatis incurſum voluntate ſua ſubtraxerint, & de conuerſatione religioſa cuiuſcumque vocationis ſpiritu ſæculi delectationes elegerint. Nam à communionis gratia ſegregari iubentur, donec ad monaſterium redierint, niſi in articulo mortis: tunc enim viaticum illis miſerationis gratia indulgetur. Toletan. IV. an. Domini 643. cap.51. iubet Monachos ad ſæculum reuertentes, & vxores accipientes reuocari ad monaſterium, à quo exierant, & ibi pœnitentiæ deputari. Et cap.54. eos, qui ex ſæcularibus pœnitentiam accipientes totonderunt ſe: & rurſus præuaricantes laici effecti ſunt, ab Epiſcopo comprehendi, & ad pœnitentiam reuocari. Quòd ſi reuerti nolint, tanquam viros apoſtatas coram Eccleſia anathemate damnari: quod idem ſeruandum edicit in iis, qui à parentibus detonſi ſunt, aut ſponte ſua amiſſis parentibus Religioni ſe deuouerint, atque etiam in viduis & virginibus ſacris, ac pœnitentibus fœminis, quæ Sanctimonialium habitum induerunt, & poſtea mutauerunt veſtem, aut ad nuptias tranſierunt; ſimilia ſtatuit Toletan.6. cap.5. ſub Sumtilla Rege an. Chriſti 654. de viris & fœminis

propoſitum deſerentibus: nam eos ad monaſteria reduci mandat: quòd ſi quolibet patrocinio deſertores permanere voluerint ſacerdotali ſententia, ita à Chriſtianorum cœtu habeantur extorres, vt nec locus eis vllus ſit communionis: quæ iterum innouauit Toletan.10.cap.5. ſub Vitaliano Papa, & Rege Releſſuintho an.Chriſti 658. Nam fœminas tranſgredientes primùm moneri vult à Sacerdote, vt redeant; quòd ſi ſponte nolint, reducantur, & inibi excommunicationis condignæ ſententia feriantur: Deinde pallio capita contegant & conſcriptam, roboratámque profeſſionis faciant ſcripturam, per quam vlteriùs non ſinantur relabi ad præuaricationis audaciam. Quòd ſi iterum tranſgrediantur; & excommunicentur & in monaſteriis, ſub ærumnis arduæ pœnitentiæ maneant religatæ, donec diem vltimam claudant. cap.6. Idem de viris ſtatuit: *Quiſquis vel abolitione tonſuræ, vel ſæcularis veſtis aſſumptione detectus fuerit, attigiſſe tranſgreſſionem, & excommunicationis cenſuram accipiat, & Religioni ſemper adhæreat.*

24. Ingreſſu quoque Eccleſiæ prohibuit viduas à Religionis obſeruantia diſcedere præſumētes, donec ad emēdationis remedia confugiant. Concil. VVormat.an.868.ſub Adrian.II.c.21. Quæ omnia antiqua decreta confirmauit, innouauítque Concil.Tribur. ſub Arnulpho ann. 895. cap.26. vbi enim permiſit Monachis ad aliud monaſterium pro lucro animæ ſuæ tranſire, conſentiente Epiſcopo, Abbate, & fratribus iſta de fugitiuis adiicit. *Si verò ſugi Regularis diſciplinæ elapſus propoſitum ſanctitatis calcauerit, omnimodis coërcendus, & ab omnibus deteſtandus, atque omni onere eſt grauandus, vt ſaltem rubore verecundiæ confuſus, & onere paupertatis afflictus redeat, quem relicta ſingularitatis profeſſione inimicus tenebat. Si autem tam irreuerens, aut pertinax eſt, vt ad monaſterium redire, & propoſitum Monachi reluctauerit obſeruare. Impleantur ſuper eum conſtituta, quæ de eo ſcripta ſunt in ſancto Canone, in Concilio Chalcedon. cap.4. Papæ Siricij ſexti. Leonis 26. quatenus retruſus ergaſtulo decoqui poſſit pœnitudinis igne purgatorio.* Canon verò 4. Concil. Chalcedonenſ. iubet Monachos ibi permanere, vbi ordinati & tonſi fuerint: qui autem tum illam, tum alias partes ſuæ definitionis violauerint, excommunicari iubet: Siricij verò decretum fertur in Monachos, & Monachas impudicos, deteſtabiléſque, qui de illicitis complexibus liberè filios procrearant, quos à monaſteriorum cœtu, & Eccleſiarum conuentibus eliminat, & in ergaſtula retrudi mandat, & tantum facinus pœnitudinis igne decoquere, vt eis ad mortem ſolius miſericordiæ intuitu per communionis gratiam poſſit indulgentia ſubuenire. Denique decretum Leonis, aliud non opinor eſſe, quàm ſuperiùs initio relatum. Ex quibus omnibus vides prioribus illis ſæculis non impoſitam fuiſſe pœnam fugitiuis & apoſtatis, niſi vbi moniti non reſipuiſſent, aut infanda coniugia, aliáve crimina ſuſcepiſſent.

Similiá quoque ſanciuerunt ſuis legibus Imperatores, vti refert Balſam. in Photij Nomocan. tit.9. c.32. 25.
Nam 4. βασιλικῶν tit.1. cap.11. Monachus, qui monaſterium reliquit, & ad ſæcularem vitam tranſiit, militia & honore, atque omnibus, quæ poſſidet nudatus ab Epiſcopo loci,

&

& Prouinciæ Præſide in monaſterium intruditur; ad quod etiam pertinebunt bona, quæ ipſum habere contigerit: quòd ſi ſecundò monaſterium reliquerit, Prouinciæ Præſes ipſum retinet inter apparitores ſuos. Et eod. lib. 4. & tit. 9. cap. 4. Seruus, & qui in aliena poteſtate erat factus Monachus eo modo, qui ibidem deſcribitur; ſi deinde dimiſſo monaſterio ad ſæculum redierit, propriæ, & antiquæ conditioni ac fortunæ tradi iubetur. Et conſil. 19. eiuſdem tit. filij Monachi facti exhæredari non poterant, ſed tres vncias accipere debebant, & ſuccedere quoque poterant ab inteſtato: ſi tamen monaſterio relicto ſæculares facti fuiſſent, omnia ipſorum iura ad Eccleſiam, & monaſterium pertinebant. Similia ſtatuebantur de Clericis, qui dimiſſo Clericatu ad ſæculum rediiſſent, vt ibidem refert Balſamon. & l. ſeruis, C. de Epiſcop. & Cleric.

26. Antiqua Monachorum diſciplina fugitiuos ſponte redeũtes poſt emendationem recipiebat in vltimo gradu, ſiue vltima cathedra. Verùm ſi tertiò violens egreſſus foret, non ampliùs recipiebatur. Ita S. Benedict. & omnes antiqui Regularum Conditores, vti latè videbis in concordia cap. 38. Petrus Venerabilis aliter S. Benedicti mentem interpretabatur Epiſt. 28. lib. 1. & vſum Cluniacenſium, qui ex Euangelio negabant definitum eſſe numerum recipiendis fratribus peccantibus, aduerſus Claræuallenſes, qui violari regulam querebantur, defendit, eo quod Benedict. dicat: *Sciens omnem ſibi reuerſionis aditum denegari.* Non iubet itaque aditum denegari; ſed vult fugitiuum ſcire illum aditum, & reuerſionem ſibi denegari; non poſſe videlicet iure vllo illum expetere, & ſi repellatur, de iniuria conqueri. Ita enim ego ſenſum Petri explico & ſanè ita intellexit Cardinal. Turrecremata in comment. Regulæ, neque aliud voluit Petrus: alioquin Regulam ſua ſubtilitate eluderet. Bleſenſis Epiſtol. 88. quam nomine Richardi Cantuarienſis Epiſcopi ad Abbatem Theoberienſem, pro fugitiuo Monacho ſcripſit. Hanc miſericordiam ad ternarium numerum coarctatum quidem eſſe fatetur à Benedicto; tamen laxari poſſe ex Euangelio: *Miſericordiam, quam monaſtici ordinis inſtitutor ad ternarium numerum coarctauit, Euangelica manſuetudo gratiam ſeptuagies ſepties ampliauit.* Dixi receptos fuiſſe hos fugitiuos, ſed cum digna pœnitentia: quod habet S. Benedictus, & S. Fructuoſus explicat cap. 20. ſuæ Regulæ *in conuentu maiorum deducantur, & vt vaſa figuli in fornace probentur; & cum probati fuerint ſuo monaſterio reformentur, & non prima, ſed vltima catheda recipiantur:* quod vltimum etiam edixerat Pachom. in ſua Regula art. 79. Idem verò Fructuoſ. eos, qui non redirent ſponte ſua, vinctis poſt tergum manibus, Abbati proprio reduci imperat. Quod ſi quis laicorum, & ſæcularium fretus potentia monaſterio minas intulerit, vnà cum ipſis anathematiſari mandat.

§. IV.

Pœna fugitiuorum & apoſtatarum ex nouo iure.

ATque hactenus habes ex veteri iure quid circa fugitiuos, & apoſtatas decretum, ſeruatúmque fuerit: venio ad nouiſſima iura, atque in primis pono quod ſæpiùs 27.

 monui

monui fugitiuos non ſubiici apoſtatarum pœnis niſi id ius exprimat. Quia cum fugam ab apoſtaſia diſtinxerimus, & in pœnalibus arctiùs interpretandæ ſint leges, non poſſumus pœnas apoſtatarum ad fugitiuos per ampliationem quamdam extendere. Ita omnes §. ſuperiori 2. relati, qui fugitiuos ab apoſtatis quoad Eccleſiam, ſiue quoad forum externum diſtinguebant.

28. Secundò aio fugitiuis nullam ipſo iure cenſuram impoſitam eſſe præcisè ratione fugæ, ſed ratione fortaſſis alicuius alterius adiuncti, vt dimiſſionis habitus: quod magis patebit ex dicendis ſtatim de apoſtaſia, neque obiicias Extrauagantem Pauli I V. *Poſtquam diuina bonitas*: Vbi variis pœnis afficit omnes profeſſos, qui temerè quouis prætextu extra clauſtra ſuorum monaſteriorum viuunt. Quia cum Paulus in illa ſua conſtitutione decies apoſtatas & apoſtaſiam repetat, & repetitio eiuſdem vocis in canone grande myſterium contineat, vti ait Gloſſa in Clement. 1. ver. Diœceſanis de iurepatronatus. de ſolis apoſtatis, & vagantibus apoſtatando intelligi debet: Itáque Pauli mentem exponunt Nauarr. conſil. vnic. de apoſtat. Roderiq. tom. 1. qq. Regular. quæſt. 30. art. 4. Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 8. numer. 10. Suar. tract. 8. lib. 3. cap. 2. num. 13. Ferdinand. tract. 16. diſp. 4. punct. 17. num. 8. Bonacin. quæſt. 2. de clauſura punct. 11. §. 1. numer. 6. Sanctarell. de apoſtat. cap. 3. dub. 1. numer. 9. Quorum plerique addunt, non rectè obiici etiam bullam Pij V. *Quæcumque ſacrarum Virginum*, quæ eſt 89. in ordine: quia lex declarans aliam, ſecundum illam, quam declarat, intelligenda eſt, omnéſque eius limitationes, aut ampliationes, interpretationéſque ſuſcipere: quod fuſiùs probat Sanctarell. l. c. qui tamen vna cum Sanch. ſapienter obſeruauit Pium V. neque Pauli I V. conſtitutionem declarare, neque de pœnis apoſtatarum agere, ſed ſolum tranſitum ab vna Religione in aliam prohibere, virtute tantùm priuilegiorum, quæ aliquibus Religionibus alios profeſſos admittendi facta fuerant, quæ nihil omninò faciunt ad fugitiuos & apoſtatas.

Hinc quoque obſeruauit Sanch. cap. 3. cit. num. 11. excommunicationem latam à Pio V. & Greg. XIII. in Bulla *Aſcendente Domino* contra recedentes à Societate Ieſu, intelligendam eſſe de ſolis apoſtatis, qui ſocietatem deſerunt animo non redeundi; non verò de ſolis fugitiuis: quia non dicuntur à ſocietate diſcedere, exire, deficere, quibus vocibus vtuntur Pontifices, niſi qui animo nunquam redeundi diſcedunt. Qua ſimili ratione intelligenda erũt aliarum Religionum priuilegia, niſi expreſsè fugitiuos ſimul cum apoſtatis, & tanquam diſtinctos ab illis exprimant.

Aio tertiò à Clemente V I I I. inter caſus, qui reſeruari poſſunt à Superioribus, numerari fugam: nam caſus tertius ex ibi enumeratis eſt nocturna & furtiua egreſſio è monaſterio non animo apoſtatandi facta. 29.

Aio quartò apoſtaſiæ nullam eſſe à iure communi cenſuram inflictam ipſò facto incurrendam. Ita Nauarr. comm. 2. de Regularib. num. 61. Suar. lib. 3. cap. 1. cit. num. 10. & 31. Quod ex ipſa expenſione iurium, quæ in contrarium afferri ſolent, facilè conſtabit. 30.

Primò affertur cap. 2. ne Clerici, vel Monachi, vbi dimittentes habitum

rum ſuæ Religionis excommunicantur, vt temeraria vagandi occaſio præcidatur: Ex qua ratione colligunt temerè vagantes etiam retento habitu eodem modo excommunicari. Gloſſa ibid. ver. ipſo facto, & ibidem ſcribentes Ioan. Andreas, Anton. Cardinal. Dominicus, & alij, quibus Summiſtæ adhæſere, Armill. ver. apoſtaſia num. 12. Tabien. eod. ver. 5. caſu 23. quæſt. 1. num. 2. Roſella ver. excommunicatio caſu 16. num. 1. Aſtienſis 1. part. lib. 6. tit. 4. art. 3. E Theologis denique Henriq. lib. 13. cap. 39. num. 1. & cap. 40. n. 1. Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 17. q. 6.

Certum tamen eſt hac excommunicatione affici ſolùm illos, qui habitum dimittunt: ideóque non ob quamcumque fugam, aut apoſtaſiam, aut vagationem fertur; ſed ob eam ſolam, quæ cum habitus dimiſſione coniuncta eſt, ſiue ſit vera fuga, ſiue apoſtaſia, ſiue quæcumque alia vagatio, vti explicuimus cap. ſuperiori, quod tradunt Gloſſa 1. ver apoſtatæ de temp. ordin. in 6. & Hoſtienſ. in ſumm. tit. de apoſtat. n. 4. aliique veteres relati à Sanch. cap. 8. lib. 6. in Decalog. num. 20. qui & illis adhæſit, atque recentiores Theologi 2. 2. quæſt. 12. art. 1. Bann. & Aragon. Leſſius lib. 2. cap. 41. dub. 15. num. 109. Roderiq. 1. tom. ſum. c. 43. num. 1. in 2. edition. Suar. tractat. 8. de Relig. lib. 3. cap. 1. numer. 17. & tom. 5. in 3. part. diſput. 31. ſect. 6. num. 1.

31. Secundò cap. fin. de apoſtatis, apoſtatæ ſuſpenduntur ab executione ſacri Ordinis in apoſtaſia ſuſcepti, etiamſi deinde ad frugem bonam redierint, niſi ex diſpenſatione Pontificia id faciant, quæ ſuſpenſio ab executione Ordinis non tam eſt pœna apoſtaſiæ, quàm ſuſceptionis Ordinis ſacri in tam infami ſtatu: quare ſi aliunde apoſtatæ cenſuram aliquam incurriſſent, v. g. excommunicationem ex ſingularibus Religionum priuilegiis, vt ſtatim dicam ſuſcipiendo Ordines ſacros & ſuſpenſionem & irregularitatem incurrerent ex principiis communibus de cenſuris in noſtra ſcientia canonica fuſiùs explicatis. Ex quibus etiam patet prohibitum eſſe apoſtatæ Ordinem ſacrum ſuperiorem ſuſcipere: quia illius Ordinis ſuſceptio prohibetur, cuius executio, ſiue vſus interdicitur: & maiora intelliguntur prohibita, cum vetita ſunt minora, idque etiam fatentur Canoniſtæ & Summiſtæ adducti à Sanch. c. 8. citat. n. 22. qui & n. 23. addit diſpenſationem pontificiã miniſtrandi in ordine in apoſtaſia ſuſcepto extendẽdam quoque eſſe ad ſuſceptionem Superioris Ordinis propter rationem allatam: quia licet tum pœna, tum diſpenſatio ſtrictiùs interpretanda ſit, ex fusè traditis in ſcientia Canonica, & non extendenda ad ea, quæ ſeparari poſſunt, & omnino diuerſa ſunt, vt vſus & ſuſceptio Ordinis hoc loco; quando tamen aliquis reddebatur tantùm inhabilis ad aliquid principaliter, & aliud tantùm tanquam ad acceſſorium, quod trahitur neceſſariò à principali, quoties per diſpenſationem denuò fit habilis ad principale; fit quoque habilis ad acceſſorium: atque ita diſpenſatio ad illud extenditur, & defectus ac impedimentum ſimul remouetur tam circa acceſſorium, quàm circa principale. Quod Sanchez oſtendit lib. 8. de matrim. diſput. 1. num. 23. Cum igitur apoſtata non fuerit per ſe primò prohibitus aſcendere ad ſuperiorem Ordinem durante apoſtaſia; ſed conſequenter quia impe-

diebatur ab vſu ordinis tunc ſuſcepti, ſi circa illum vſum diſpenſatur à Pontifice, ceſſabit impedimentum ſuſcipiendi Ordinem ſuperiorem. Vnde etiam vides non prohiberi apoſtatæ vſum ordinis ante apoſtaſiam ſuſcepti; agimus autem de vero apoſtata, non autem fugitiuo duntaxat, præcisè ratione fugæ: nam ſi habitum dimiſerit, & excommunicationem incurrerit: iam ex iure communi, non ex peculiari iſto in apoſtatas lato ſuſpenditur omni vſu ordinis quocumque tempore ſuſcepti. Si etiam tantùm ad alium ordinem tranſierit contra iuris ordinem, atque adeò inualidè, cùm ille non ſit apoſtata, vti diximus §. 2. non prohibebitur, aut ab vſu Ordinis ſacri poſt eum tranſitum ſuſcepti, aut à Superioris tunc ſuſceptione. Agitur præterea de ſolo Ordine ſacro: nam ordinibus minoribus, quos apoſtata in apoſtaſia ſuſceperit, vti poterit, ſi aliud non obſtat: neque hac lege, quam modò expendimus, prohibebitur: contra plures relatos à Sanch. num.25. qui contrarium cenſent, quamuis concedant Epiſcopum poſſe in eo vſu minorum Ordinum diſpenſare: quæ omnia abſque efficaci ratione dicuntur, & contra apertam Pontificis mentem in illo cap. fin. Neque aliquid eſt, vnde colligant hanc prohibitionem & diſpenſationem ex licentia Epiſcopi. Concilium quidem Arelatenſe 2. §. ſuperiori relatum, & diſt.50. cap. vlt. prohibet eiuſmodi apoſtatas ad Clericatus officium admitti; ſed prætterquam quod illud Concilium prouinciale tantùm fuit, & non potuit legem vniuerſalem condere: illud non impoſuit vllam pœnam apoſtatis, ſi in Clerum admitterentur, neque à Clericatus exercitio ſuſpendit, ſi admitterentur in illum. Neque c. finale, quod exponimus agit niſi de Ordinibus ſacris, à quibus quoque ſuſcipiendis non remouetur, vbi poſt apoſtaſiam ſuæ Religioni reſtitutus fuerit: quia caput finale loquitur de vſu Ordinis in apoſtaſia ſuſcepti; iſte verò poſt apoſtaſiam emendatam, & reditum in Religionem fuit acceptus. Itáque docent ibidem Ioan. Andr. Hoſtienſ. Anton. Ancharan. Cardinal. & alij in illud cap. relati à Sanch. num.29. quibus ſubſcribunt ipſe Sanch. Sanctarell. Bonacin. Ferdinand. Suarez aliíque paſſim recentiores.

Tertiò Paulus IV. in conſtitutione *poſtquam diuina bonitas*, varias pœnas apoſtatis infligit. Verùm hæc conſtitutio vſu recepta non fuit: quod Sanch. num.3. Ferdinand. & alij fatentur. 32.

Atque ex his omnibus tandem colliges nullam apoſtaſiæ inflictam eſſe certam pœnam, quæ ipſo facto incurratur. Quod autem aliqui Canoniſtæ apoſtatas, vbi ad Religionem redierint negant in Superiores eligi poſſe cum Archidiac. in cap.2. num.1. ne Clerici, vel Monachi in 6. & in cap. legi num. 1. 16. quæſt.1. & Sylueſt. ver. excommunicatio 9. caſu 24. num.52. ex cap. per tuas de voto, reiicitur iure meritò ab aliis, quos adducunt & ſequuntur Azor. tom.1. lib.12. cap.17. q. vlt. & Sanchez cap. 8. cit. num. 32. Quia cum ibi electus in Epiſcopum poſt votum Religionis factum, & non impletum cogatur ad implendum votum abdicare ſe Epiſcopatu, & puniatur culpa illa continuata non implendi votum, nihil omnino habet, ex quo colligatur apoſtatas Religioni reſtitutos Superiores effici non poſſe.

Non agimus verò de pœnis & cenſuris,

cenſuris, quæ apoſtatis quarumdam Religionum ex indultis, & priuilegiis infliguntur, vt in Societate Ieſu & aliis.

33. Licet præterea Superioribus ſuos apoſtatas vbicumque ſint, capere, mancipare carceri, & punire: quod ex cap. A nobis, de apoſtatis optimè probat Nauarr. comm.3. de Regularib. num.50. Adde id à Pontificibus conceſſum quoque fuiſſe variis Religionibus per ſpecialia indulta quorum aliqua dabit Roderiq.tom.1.qq. Regular.quæſt.30.art.6.& alij. Ratio euidens eſt: quia quilibet poteſt propria authoritate rem ſuam, vbicumque illam repererit, capere. l. quis, §. differenti, ff de acquir. poſſeſſ. Et ſeruum fugitiuum Dominus capere poterit, vbicumque fuerit repertus, l.1.§.per ſeruum,ff. de acquir.poſſeſſ. Quod idem dicitur de ancilla fugiente, etiam extra Prouinciam inuenta, l.1. C. vbi cauſa ſtatus agi debeat, qui Curiæ & cohorti obligatus fugerit, capi poteſt authoritate curiæ & cohortis, cui eſt obnoxius l.1. C. vbi de curiali, &c.

Denique moneo cooperantes apoſtaſiæ nulla in iure communi pœna affici.

Capvt IV.

De expulſis à monaſterio & ordine.

HÆc quæſtio pertinet ad clauſuram ſaltem formalem, quam initio huius diſquiſitionis ſecundæ dicebamus maximè cóſiſtere, in perſeuerantia ſubiectionis,& obedientiæ regularis, ſiue Prælati, cuius cura regi debet Religioſus. Nam cum quis ab ordine, aut monaſterio eiicitur, Prælatus regularis eius curam deponit & abiicit, neque illum tanquam membrum Religionis habet. De hac igitur eiectione quatuor quæram; primum, quid illa ſit: ſecundum, an ea licita ſit: tertium, à quo, & quam ob cauſam facienda ſit: quartum, conſectaria circa obligationem Religioſi eiecti,& Religionis aduerſus illum complectitur.

§. I.

Quid ſit eiectio à Religione, & quos habeat effectus. comparatur excommunicationi & depoſitioni.

EIectionem & expulſionem Religioſi à vita communi, & à Religionis ſuæ corpore præciſionem ſapienter S. Thom. quodlibet.12.argum. 37. & Syluester ver. Religio 6. quæſt.17. comparant excommunicationi. Nam primò, ſicut excommunicatio eſt excluſio,abſtentio à communione Eccleſiæ, vel fraternitatis, ſubmotio ab omni non modo limine, verùm etiam Eccleſiæ tecto, exauctoratio, & eiectio ab Eccleſia, eradicatióve: his enim, aliiſque ſimilibus nominibus, quæ diligenter congeſſit Pameli. ad Epiſt.38. Cypr. ſcholio 10. & ad cap.14. Tertull. de pudicitia ſchol. 119. illam appellant Patres. Eiectio quoque, de qua agimus, eſt abſciſſio à fraternitate, & à corpore, vti conſtabit inferiùs. 1.

Secundò excommunicatio non ita excómunicatum extra Eccleſiam eiicit, vt extra fidelium cœtum conſtituatur, & vt non remaneat adhuc verum Eccleſiæ membrum illi per fidem, atque etiam per charitatem 2.

inſertum, vbi à peccato per contritionem, vti contingere poteſt, in ſtatum gratiæ reſtitutus fuerit, antequam Eccleſiæ reconcilietur, & vinculo illius cenſuræ ſoluatur. Simili ratione quamuis eiectio priuet Religioſum omni Societate & iure Religionis, non facit tamen, vt Religioſus non ſit, & membrum talis Religionis; quandoquidem ſuis votis adhuc ligatus manet, ſicut excommunicatus Chriſtianitatis legibus, & Eccleſiæ præceptis obſtrictus.

3. Tertiò excommunicatio licet omni ſacro, atque ciuili commercio priuet excommunicatum, maximè denunciatum; quod vnum volunt PP. adducti à Bellarm. lib. 3. de Eccleſ. cap. 6. non tamen facit, vt non communicet cum aliis Chriſti membris fide & charitate ſibi vnitis: gratia enim & habitus ſupernaturales fidei, charitatis, aliarúmque virtutum, atque ſimilia bona ſpiritualia interna ita propria ſunt cuique, vt Eccleſia nihil iuris ſibi in illa ſumere, aut illa poſſidenti eripere poſſit. neque proinde impedire, ne quis ſit membrum Chriſti, illi fide, aut etiam charitate coniunctum; & ne influxum, qui à capite deriuatur participet, atque eam dignitatem, & bonorum internorum communionem, quæ inter fideles, tanquam inter eiuſdem corporis membra intercedit, percipiat. Nam plurima donantur à Chriſto priuatis quibuſque, eo quod ſint membra ſui corporis, non quod aſſumpſit ex virgine, ſed myſtici illius, propter quod aſſumptio illa facta eſt, vt loquitur Damian. ſerm. de S. Magdalena. & fideles per fidem & charitatem inter ſeſe, & cum Chriſto tanquam membra cum capite compaginati, non modò à Chriſto communem influxum recipiunt, ſed etiam ſua ſibi inuicem communicent, ſicut inter eiuſdem corporis partes, quæ ſeſe mutuis officiis iuuant, fieri videmus. Quamuis enim nullus alteri aut gratiam, aut gloriam rigido & condigno merito mereatur, immò neque quidquam aliis impetret, niſi in eum finem ſua opera dirigat, contra Sayr. lib. 1. cap. 4. num. 12. ſingulorum tamen merita propter communionem, quam inter ſe habent operantes, mouent obiectiuè Deum, vt toti illi communitati, & ſingulis eam conflantibus, quamuis dignitate & meritis impares ſint, facilem ſeſe præſtet, & quandam ſolertiorem curam gerat, multáque conferat, quæ deinde in priuatos quoſque redundant. Et denique quibuſdam fortaſſis minùs gratis benè velit intuitu aliorum, ex quorum conſortio aliquid bonitatis ac ſplēdoris aſciſcunt, cùm vix poſſit toti corpori benè velle, quin membris ipſi inſertis, ipſúmque conflantibus benè quoque velit, optimo iure ſtatuitur interna quædam communio inter fideles. Quare ſubtiliter Scot. quodlibet. 20. in quolibet opere triplicem fructum agnoſcit; ſpecialiſſimum vnum, qui immanet operanti, éſtque meritum de condigno, vnde vulgatum illud Theologorum, gratiam ſemen eſſe, quod non germinat niſi in iis ſulcis, quibus committitur, & in alieno ſolo non fructificat: Alterum ſpecialem vocat, qui ex operantis voluntate in alium transfunditur, cui quidpiam impetrat, aut pro quo ſatisfacit: quare hic fructus nón ita proprius eſt operantis, quin aliis quoque communis eſſe poſſit. Tertium fructum appellat generaliſſimum, quia in vniuerſam Eccleſiam deriua

deriuatur modo à nobis expoſito, in eóque ſita eſt communio Sanctorum, vt explicant Adrian. quodlib. 8. art. 3. & Gabriel lect. 26. in Canon. Miſſæ; quos alióſque plures allegat Couarruu. in c. Alma mater 1. parte. §. 5. n. 5. & Alter. lib. 1. de excomm. diſput. 5. cap. 6. Quam communionem maximè in Charitate, qua inuicem Chriſti membra colligantur, fundatam eſſe cenſet Leo ſerm. 10. in Quadrageſ. *Cum igitur*, inquit, *& omnes ſimul & ſinguli quique fidelium, vnum, idémque Dei templum ſint, ſicut perfectum hoc in vniuerſis, ita perfectum eſſe debet in ſingulis: quia etſi non eadem eſt membrorum omnium pulchritudo, nec in tanta varietate partium meritorum poteſt eſſe parilitas; communionem tamen obtinet decoris connexio charitatis. In ſancto enim amore conſortes, etiamſi non iiſdem vtantur gratiæ beneficiis; gaudent tamen inuicem bonis ſuis: & non poteſt ab eis extraneum eſſe, quod diligunt: quia incremento diteſcunt proprio, qui profectu lætantur alieno.* Iſtis itaque bonis internis communibus priuare nequit fideles Eccleſia: quandiu enim manet fundamentum illius communionis bonorum internorum; tamdiu ipſam quoque cōmunionem manere neceſſe eſt: & qui nequit fundamentum, ſiue radicem communionis eiuſmodi tollere, neque ipſam communionem tollere poterit. Prima verò huius communionis radix & origo eſt ratio membri corporis Chriſti: illi enim corpori inſeri non poteſt aliquid, & eſſe membrum de membro, vt loquitur Paulus, niſi ea commoda, quæ tum à capite, tum à cæteris membris deriuantur, participet, niſi quidpiam eiuſmodi influxum impediat. Membrum porrò Chriſti & Eccleſiæ eſt, quiſquis eiuſdem fidei profeſſione ei vnitur, & charitate inſeritur: ſolúſque vnionis defectus influxum illum prohibere poteſt. Cum igitur neque fidem internam, neque charitatem impedire poſſit Eccleſia: nunquam profectò efficiet, vt aliquis deſinat eſſe membrū Chriſti; ac proinde priuare illud non poterit bonis & commodis, quæ ex mutua cum aliis membris & capite communicatione naſcuntur. Vnde reiicias eos, qui apud Sotum in 4. diſt. 22. quæſt. 1. art. 1. dub. 2. priuationem communionis, quam inducit excommunicatio, ad hanc internam meritorum communionem extendunt; quinimmò ſapienter dixit Gabriel lect. 26. in Canon. non poſſe Eccleſiam excommunicatum in charitate exiſtentem prohibere à virtute ſacrificij, & effectu, vt loquitur, charitatiuo: quod refert & Gerſon. tractat. 9. ſuper Magnificat parte 4. & tenent Caietan. tom. 1. opuſculor. tract. 19. Petrus Sot. lect. 2. de excommunicatione Nauarr. c. 27. num. 36. Couarr. in cap. Alma mater 1. part. §. 6. num. 4. concl. 6. Sylu. ver. excommunicatio 5. num. 2. Auila part. 2. de cenſuris cap. 5. diſput. 4. dub. 4. concl. 1. Suar. tom. 5. in 3. part. diſput. 8. ſect. 1. num. 6. & 7. Quare ſi miniſter Eccleſiæ commune ſacrificium pro excommunicato offerat, grauiter quidem peccabit; ſi tamen excommunicatus aliunde capax ſit, illius effectum participabit; non tamen quatenus offertur nomine Eccleſiæ, vt diſſerit Alterius lib. 1. diſput. 5. cap. 8.

4 Similes igitur effectus habet eiectio Religioſi à monaſterio, & à Religione expulſio: non enim illum priuat aut gratia, aut bonis internis, neque etiam communicatione bonorum,

veluti gradus diſtincti fuerunt. Nam primò Clerici peccantes partiali aliqua ſuſpenſione plectebantur, qua aliqua parte monaſterij, aut officij Eccleſiaſtici mulctabantur, interdicebantur nimirum vſu aliquo vel ordinis, vel iuriſdictionis, & adminiſtrationis Clericalis, ſiue eccleſiaſticæ, ſpiritualis, aut temporalis; hæc enim omnia nomen officij complectitur: & ſanè ſuſpenſionem ab officio Patres Nicæni can. 2. dicunt ceſſationem à Clero, Patres Trullan. can. 3. ceſſationem ab omni ſacro miniſterio: πάσης ἱερατικῆς λειτουργίας & ἐνεργίας. Baſilius Epiſt. ad Amphiloch. can. 69. ceſſationem à miniſterio τῆς ὑπηρεσίας, ceſſationem, inquam: nam non priuabantur per hanc pœnam ipſamet poteſtate, ſed illius vſu, quod indicat vox ſuſpenſionis, quæ noua non eſt, ſed iam olim vſurpata à Fœlice II. Epiſt. 2. & à Concil. Aurelian. 5. can. 5. & 17. Idem quoque ſignificat ceſſare à ſacrificando, ſequeſtrari & remoueri ab officio per aliquod tempus, quo modo loquendi vtuntur Concil. Aurelian. 3. cap. 2. Bracar. 3. cap. 1. & Toletan. 13. c. 11. & denique omnium antiquiſſima & communiſſima vox abſtineri, & abſtentio, quæ vſurpabantur à Latinis, ſicut & ἀφορίζεσθαι & ἀφορισμὸς à Græcis, quæ tum de laicis, tum de Clericis dicta fuerunt: ἀφορισμὸς quidem, vbi de laicis dicitur, ſignificat eam excommunicationem, per quam in claſſem pœnitentium quis redigebatur; non verò illam, per quam extra Eccleſiam eiiciebatur, quámque nos maiorem dicimus, vt pluribus oſtendit Morin. lib. 2. eccleſiaſtic. exercitation. exercit. 3. In Clericis verò ἀφορισμὸς opponitur καθαιρέσει, ſiue depoſitioni: éſtque ea pœna minor, quandoquidem ſegregationi, ſegregationi, ſiue ἀφορισμῷ adiiciebatur depoſitio, & καθαίρεσις, creſcente, aut perſeuerante contumacia, vt videbis in canonibus Apoſt. can. 45. 58. & 59. & in Synodo Trullan. can. 13. & 99. Si autem ἀφορισμὸς, & ſegregatio priuaret poteſtate clericali, idem omnino efficeret, quod depoſitio & καθαίρεσις. Adde Patres Ancyran. can. 18. ἀφορίζεσθαι interpretari honore moueri ad tempus aliquod: aliàs tamen ἀφορισμὸς poſt depoſitionem infligebatur vt can. 30. Apoſtol. & tunc ſignificabat priuationem communionis, & æquiualebat excommunicationi laicorum: Clericus enim depoſitus, & in laicorum ordinem redactus, eorum pœnis ſubiacebat: ideóque ſi denuò peccaret, ſegregabatur vt laicus, & ad pœnitentium ordinem redigebatur, vt ſtatim dicam.

Simili ratione vox abſtineri, & abſtenſionis promiſcuè de laicis, & Clericis vſurpatur, vt ex veteribus monumentis paſſim conſtat, & maximè ex Concil. Eliberitano can. 16. 21. 37. 54. 61. & 79. & modò leuiorem, modò grauiorem pœnam importat, quod facilè tum ex crimine, cui imponitur, tum ex aliis pœnis, quibus adiicitur, aut quibus præit, cæteríſque circunſtantiis colliges: nam grauiſſimam pœnam ea voce ſignificat Concilium Eliberitan. canon. 20. cum iubet Clericum vſurarium degradari & abſtineri, & Cyprian. Epiſt. 58. Fœliciſſimum propter fraudes & rapinas, adulteria & ſchiſmata abſtentum à ſe dixit, id eſt, vt interpretatur ibidem Pamel. ſcholio 10. excommunicatum, quam eandem ſignificationem Epiſt. 55. & alibi ſæpiùs familiarem fuiſſe Cyprian. ibid. obſeruat Pamel. malè enim omnino Morin. exercit. 3. cir.

exiſtimauit Cyprian. illa Epiſt. 55. pro minore quadam pœna vocem abſtēti vſurpaſſe, eo quod videatur dicere Fœliciſſimum non tantum abſtentum à ſe Carthagine, ſed ab Eccleſia, deinde Romæ pulſum fuiſſe à Cornelio vnde infert Morin. abſtentum eo loco eſſe aliquid leuius, quàm ab Eccleſia pulſum: quandoquidem hæc depulſio & eiectio ab Eccleſia acceſſerit iam abſtento. Sed longè alia Cypriani mens eſt; ait enim Fœliciſſimum à ſe propter ſcelera grauiſſima abſtentum, & plurimorum Coëpiſcoporum ſententia damnatum, cum Romam ad Cornelium profectus eſſet, ab illa tanquam iam excommunicatum & abſtentum reiectum eſſe, neque ad communionem admiſſum: & cum vi in Eccleſiam irrumpere ſtipatus caterua & factione deſperatorum conaretur, ab eodem Cornelio vigore pleno, quo Epiſcopos agere oportet, ab Eccleſia pulſum eſſe: itaque illa depulſio ab Eccleſia non fuit noua aliqua pœna, & cenſura per ſententiam Cornelij inflicta Fœliciſſimo iam abſtento, ſed violenta eiectio & depulſio corporalis, atque actualis, vt ita dicam, ab Eccleſia, in quam ille vi irruebat; cum tamen ab illa iam abſtentus omninò fuiſſet, & vt loquitur Cyprian. ibidem iam pridem cum ſui ſimilibus Dei maieſtate, & Chriſti Domini, & Iudicis noſtri ſeueritate depulſus, nimirum propter grauia crimina ab Epiſcopis damnatus & eiectus. Diaconum quoque, qui cum virgine dormierat à Pomponio abſtentum, quod laudat Cyprian. Epiſt. 62. de minori quadam pœna idem Author interpretatur, ſed contra mentem, niſi fallor, Cypriani, qui vult eas virgines, ſi poſt inſpectionem integræ fuerint inuentæ, admitti ad Eccleſiam, accepta communione; ergo extra illam poſitæ fuerant. Quod autem addit ei quæ corrupta fuerit, agendam eſſe plenam pœnitentiam, vt deinde exomologeſi facta ad Eccleſiam redeat: ſignificat tantum huic corruptæ difficiliùs, & non niſi poſt longam atque integram exomologeſim, ſiue pœnitentiam reditum ad Eccleſiam permitti, cum non corruptæ ſtatim permittatur; ſatis tamen indicat vtramque fuiſſe abſtentam, & ab Eccleſia eiectam.

Leuiorem tamen pœnam, atque adeò, cum agitur de Clericis, eam, quam ſuſpenſionem nominamus deſignari hac voce abſtineri rectè confirmat idem Morin. ex Can. 3. Concil. Epaun. vbi Concilium Clericis venationem prohibet, & ne canes, aut accipitres in eum vſum alant; & ſecus facientes plectit. *Si Epiſcopus eſt*, inquit Conc. *tribus menſibus ſe à communione ſuſpendat, duobus Preſbyter abſtineatur, vno Diaconus ab omni officio & communione ceſſabit.* Quæ eadem iiſdem planè verbis habentur in Concil. Agathenſi cap. 55. & referuntur à Gratian. cap. Epiſcopum 34. diſt. ex Concil. Aurelian. 4. cum tamen in nullo Aurelianenſi reperiantur. Burchard. verò & Iuo. part. 6. c. 288. ex Meldenſi, ex Agathenſi verò, in quo reuera habentur citat. idem Iuo part. 5. cap. 366. & part. 13. cap. 30. Verùm quidquid ſit de hac Canonum permixtione, de qua dictum fuit in noſtra ſcientia Canonica, liquidò conſtat *abſtinere* antiquis idem fuiſſe, quod ſuſpendere, aut imponere ſuſpenſionem ab officio, ſiue illius vſu interdicere & exercitio: quæ ſuſpenſio pro leuiori crimine partialis tantum erat: quia vel non niſi parte aliqua officij

7.

priuabat,

priuabat, vel non niſi ratione alicuius loci & Eccleſiæ, aut ad certum tempus, illúdque breuius, prout culpa, quæ puniebatur, poſtulabat: Ea ſuſpenſio aliquando etiam excommunicatio nominabatur: neque enim aliter intelligi poteſt, quòd priuentur aliquando Clerici communione, antequam deponantur, aut nulla depoſitionis facta mentione. Sic Clerici ſine formatis & commendatitiis ſui Epiſcopi vagantes à communione habentur alieni à Concil. Mileuitan. cap. 20. & aliis, quod de communione Euchariſtiæ explicari nequit: nam ne ab ea quidem depoſitio priuabat, vt ſtatim iterum monebo, ſed communione Eccleſiaſtica, & de miniſterio, quod Concil. African. cap. 3. & Chalcedo. cap. 13. etiam affirmant cum eoſdem Clericos non miniſtrare volunt. Sed pergamus in Clericorum pœnis recenſendis.

8. Secundò igitur Clericus grauiùs peccans à fratrũ quoque communione, hoc eſt à ſacra & ciuili communione ſiue communicatione cum aliis eiuſdem Eccleſiæ Clericis prohibebatur. Sic Concil. Toletan. 1. cap. 15. Clericum abſtentum, id eſt, vt ex ipſo contextu, & genere pœnæ ibi appoſitæ conſtat ſuſpenſum, à Clericis cæteris vitari voluit. Et hæc excommunicatio, ſiue priuatio communionis cum aliis illius Eccleſiæ Clericis ſupponebat ſuſpenſionem totalem quidem ratione miniſteriorum, ſed non ratione loci, quandoquidem in ea tantum Eccleſia, cuius erant Clerici, vetabantur miniſtrare; ſed non prohibebantur alibi ſacra peragere, niſi conſequenter & indirectè, quatenus non poterant in aliena Eccleſia admitti abſque conſenſu illius, cuius erant partes & membra: neque Epiſcopus, qui iam illos, ex albo ſuæ Eccleſiæ induxerat, daturus erat formatas, aut commendatitias, quibus in aliena Eccleſia miniſtrarent. Quamuis igitur ſi quis abſque tali licentia alibi ſacra feciſſet, peccaſſet, & variis pœnis obnoxius fuiſſet; non tamen peccaſſet in priorem ſuſpenſionem, per quam ſuſpenſus erat à ſacris in ſua Eccleſia peragendis: quia ea ſuſpenſio non extendebatur directè ad alias Eccleſias, & non erat totalis ratione loci: atque tunc dicebatur Clericus damnari ad communionem peregrinam. Quod faciunt Concil. Agathenſ. cap. 5. Ilerdenſe cap. 16. Regenſe cap. 3. De qua pœna fuſiùs diſputant Vaſq. 3. part. diſputat. 216. numer. 37. Durand. lib. 2. de ritibus cap. 35. Xanteſius Repetitio. 10. de Euchariſtia cap. 2. Albaſpinæ lib. 1. ſacrar. obſeruat. 3. Lindan. lib. 4. Panopliæ cap. 58. quorum omnium ſententiis, quas, alibi fuſiùs diſcuſſimus, omiſſis, mihi omninò certum eſt hanc pœnam, quam ſolis Clericis indictam fuiſſe conſtat, ex omnibus locis, in quibus eius mentio fit, nihil aliud fuiſſe, quàm vt eodem modo haberentur illi Clerici, atque ſi extranei & peregrini forent, & non reuera amplius illius Eccleſiæ Clerici, ſed tanquam ex eius matricula & albo expuncti; ac proinde non eſſe communicandum deinceps cum illis, niſi communione peregrina, hoc eſt ea quà communicabatur cum Clericis extraneis & peregrinis. Vnde fiebat, vt negotiis illius Eccleſiæ non ſe immiſcerent, in rogandis ſuffragiis, & ſententiis nulla ipſorum ratio haberetur, neque in aſſignandis aut deſcribendis ſacris miniſteriis; immò neque ſacris, aut aliis rebus publicis poterant

rant ipſi ſe ingerere, aut palam vllum miniſterium facere, niſi rogati, aut ex peculiari diſpenſatione: quia amiſerant ius illius Eccleſiæ: quæ pœna non erat exigua, quamuis neque è Clero eiecti eſſent, neque ad laicos amandati, neque vſu Euchariſtiæ, aut celebratione priuata carerent; ſed ſolùm à propria Eccleſia eiiciebantur: omnes enim Clerici tunc erant locales, vt loquitur Concilium Valentin. in Hiſpania cap.6. hoc eſt, vni certæ Eccleſiæ addicti; vnde in Clericos vagos, & acephalos inuehitur Moguntin. cap. 22. & Concil. Chalcedon. canon. 6. vocat ἀπολύτως χειροτονουμένους, diſſolutè ordinatos. Extraneus igitur à ſua Eccleſia habebatur Clericus ad communionem peregrinam damnatus, neque ad illius officia, aut miniſteria poterat aſpirare, aut vlli functioni eccleſiaſticæ ſe ingerere; immò neque vllum ius retinebat, aut ad conuictum cum aliis Clericis, aut ad petenda alimenta, quæ non niſi ex charitate illi tanquam aduenæ, & peregrino miniſtrabantur. Qua ratione dicebatur peregrinus, qui ciuis Romanus non erat, & ad quem ius Quiritium non pertinebat, ſiue nunquam ciuis fuiſſet, ſiue ciuitatem amiſiſſet. Quare *qui deportantur, ſi heredes ſcribantur, tanquam peregrini capere non poſſunt*, inquit Imperator, l.1. C. de heredib. inſtituend. aliud enim ius erat aduenarum Romæ, aliud ius ciuium: & peregrinitas erat conditio aduenarum: vnde Vlpian.l.10.ff.de in ius vocando,§.6. *Si per pœnam deportationis ad peregrinitatem reductus ſit patronus, putat Pomponius eum amiſiſſe honorem; ſed ſi fuerit reſtitutus, erit ei etiam huius edicti commodum ſaluum.* Vides itaque non eamdem eſſe conditionem peregrinorum, & ciuium: quandoquidem peregrinus carebat honore patronatus, & in ius vocari poterat: vides quoque ciues aliquando damnatos fuiſſe peregrinitate, ſiue redactos ad ſtatum peregrinorum: quod non modò fiebat per deportationem, vt referebamus ex Vlpiano; ſed etiam abſque ea: quod teſtatur Sueton. in Claudio, qui ſplendidum virum, Græciæque Prouinciæ Principem, verùm Latini ſermonis ignarum non modò albo Iudicum eraſit, *ſed etiam in peregrinitatem redegit*. Ex hoc priſco more inoluit vſus in Eccleſia Occidentali: nullum enim eius veſtigium in Synodis Orientalibus legimus, vt Clerici aliquando ad peregrinitatem damnarentur, hoc eſt, ius propriæ Eccleſiæ amitterent: quod in noſtra ſcientia Canonica pluribus oſtendimus, & ſingulos Canones de hac communione peregrina agentes diligentiùs expendimus.

Tertiò creſcente peccato ſuſpendebatur totaliter Clericus omni, vt 9.
ita dicam, totalitate, & ratione miniſteriorum, & ratione loci: quam nos ſuſpenſionem integram ab officio, & beneficio vocamus.

Quartò ad gradum aliquem inferiorem amandabatur, & ex Superiori exauthorabatur: quæ erat quædam partialis depoſitio, & ſuperioris gradus perpetua amiſſio. Nam Tolet.1. cap.4. Subdiaconum, qui defuncta vxore aliam duxerit, ab officio & gradu remouet, & inter Oſtiarios, & Lectores haberi vult. Quod idem de Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis vxores, ſiue concubinas habentibus ſtatuit Concil. Bituric. cap.5. Nicæn. quoque cap. 8. Nouatianos Epiſcopos ad Eccleſiam reductos ea conditione ſuſcipit, vt ſi in eadem

Eccleſiæ

Eccleſia ſit Epiſcopus Catholicus, illi ſolùm Presbyteri, aut Coëpiſcopi gradu contenti ſint: quæ erat quædam à muneribus Pontificalibus ſuſpenſio, vt iterum monebo inferiùs.

Quintò deponebatur Clericus, ſiue amouebatur ab ordine clericali, & inter laicos redigebatur, atque ad laicam communionem damnabatur: quæ depoſitio & totalis erat, & perpetua ſine vlla ſpe reſtitutionis: nam καθαιρεῖσθαι exponunt ſæpius Patres à miniſterio excidere ἐκπίπτειν τῆς ὑπηρεσίας, vt loquitur Baſil. ad Amphiloch. cap. 51. aut à gradu deponi, ſiue deturbari τοῦ βαθμοῦ καθάπαξ ἐκπίπτειν. Baſil. ibid. cap. 32. & 55. Ex quibus, aliiſve ſimilibus vocibus, quæ paſſim in antiquis canonibus occurrunt, facilè eſt aduertere καθαίρεσιν fuiſſe iacturam Clericatus, vt loquitur Toletan. 4. cap. 18. Ancyrani Patres canon. 18. vocant abdicationem, eos enim, qui cum ordinati eſſent Epiſcopi ad aliquam parrochiam, ab ea ſuſcepti non ſunt: iubent ſi velint in Presbyteri honore & loco reſidere. Quod ſi vim afferant Epiſcopis, illis auferri mandat honorem Presbyterij, ἀφαιρεῖσθαι αὐτοῖς τὴν τιμὴν τοῦ πρεσβυτερίου, & ipſos abdicatos effici γίνεσθαι ἐκκηρύκτους: & quamuis eam abdicationem Balſamon neget eſſe καθαίρεσιν τῆς τιμῆς, hoc eſt, vt ne quidem cum Presbyteris deinceps ſedeant, neque fortaſſis aliud videatur poſtulare hic canon; eam tamen vocem Zonar. in canon. 4. Epiſt. canonic. Gregorij Taumat. vbi eos, qui captiuorum à Barbaris domos inuaſerant, & diripuerant iubet abdicari ἐκκηρύξαι exponit abdicatum ἐκκήρυκτον, alienum & eiectum ab Eccleſia ἀπόβλητον καὶ ἀλλότριον: quia, inquit, abdicari dicuntur filij, cum ob aliquod crimen à paterna hæreditate eiiciuntur, omnique cognationis iure priuati cenſentur. Itaque abdicatio à Clero erat depoſitio totalis, & reiectio inter laicos, cum quibus ſolis deinceps ſocietatem, tum ſacram, tum ciuilem habebant, erátque illa communio laica, ad quam damnari dicebantur: quod fuſiùs à nobis in ſcientia Canonica fuit oſtenſum. Sicuti enim ſuo gradu & dignitate exciderant hi Clerici; ita nec communione, ſiue communicatione, & conſuetudine Clericorum ſacra, aut politica fruebantur; ſed interea ad ſocietatem laicam adiungebantur, dum ſacris expiationibus, atque ſaluberrimæ pœnitentiæ caſtigatione emendati amiſſam dignitatem, & vnà cum Clero communionem recuperarent. Si tamen aliquando priſtinæ dignitati, ſemel depoſiti, reſtituebantur, quod alibi inquirimus. Eiuſmodi autem Clericis depoſitis & abdicatis adhuc permiſſam fuiſſe communionem, ſiue Euchariſtiæ ſumptionem, extra Miſſæ celebrationem laicorum more probatur ex antiquis canonibus: nam Concil. Aurelian. 3. cap. 7. Eum, qui cum inuitus & reclamans fuiſſet ordinatus, deinde coniugium ambiuerat. & can. 26. eos, qui vſuras, aliáque negotia exercent, &, quæ circa ea ſtatuta ſunt, violant, ab ordine degradari iubet. *Communione conceſſa.* In Concil. Aurelian. 5. cap. 4. Clericum, qui ad thorum coniugalem ſibi deinceps illicitum redierat, volunt Patres ex antiquis canonibus ab officio deponi, ei tantummodò communione conceſſa, Gregor. lib. 2. Epiſtol. 14. Natalem Epiſcopum Salonitanum, niſi Honoratum Archidiaconum, quem iniuſtè ſuo gradu mouerat, reſtituat, vſu pallij priuat: tum ſi contumax eſſe pergat, dominici

corporis & ſanguinis participatione: eum verò qui contra Iuſtitiæ Regulam in Archidiaconatum alterius ſe prouehi conſenſit, ab Archidiaconatus honore deponit: & ſi nihilominus miniſtrare pergat, communionis ſacræ participatione abſtinet. Ex quibus apertè vides priuationem communionis fuiſſe pœnam diſtinctam à ſuſpenſione & depoſitione, quibus creſcente rei pœnitentia ſolebat adiici. Petrus quoque Alexandri. Can.10. Pœnitent. Clericos, qui poſtquam temerè tormentis ſe obiecissent, lapſi erant, non vult amplius ſacra miniſteria, quæ nomine λειτεργιάς comprehendit, obire, eis tamen communionem κοινωνίαν, concedit, ne & nimia moleſtia affecti vi quadam diſſolutionem quærant: & ne alij eodem caſu præcipites ſeriùs cogitent ad officium redire, cum viderint etiam poſt reditum ſe communionis extorres futuros, & quamuis hæc communio κοινωνία, de communicatione cum fidelibus exponenda ſit, interprete etiam Balſamone: eſt tamen maximè de communione Euchariſtica, in qua præcipua Chriſtianorum communicatio exiſtit, accipienda.

11. Sexto Clericis ita depoſitis, ſi peccare pergerent, etiam laica communio negabatur, vt in Concil. Sardic. cap. 1. quia in pœnitentium ordinem & inter conſiſtentes, quibus participatio Euchariſtiæ negabatur, reducebantur, & ſiue vna, eadémque ſententia deponerentur, & ad pœnitentium claſſem negata Euchariſtia amandarentur, ſiue vnam pœnam alia ſubſequeretur; nunquam tamen Clericus ad pœnitentiam publicam abiiciebatur, quod ex priſco iure docemus in noſtra ſcientia canonica. Sed Clericus priùs tempore, vel natura depoſitus, & inter laicos cenſus ad pœnitentiam præterea reiiciebatur. Quod à Cypriano lib.1. Epiſt.4. de Baſilide & Martiale Epiſcopis lapſis ſtatutum fuit, & à Concil. Næoceſar. Can. 1. de Clerico fornicante, vel adulterante: à Concil. verò Eliberitan. cap.76. de eo, qui reus criminis mortis, id eſt, quod mortem meruiſſet, & quod Pacianus & alij capitale vocant, paſſus ſe fuerat ordinari, vt poſt triennalem pœnitentiam communionem accipiat.

Septimò denique Clericus, qui grauiſſimè deliquerat, extra Eccleſiam, & cœtum fidelium eiiciebatur per excommunicationem illam propriiſſimè dictam, quam hodie maiorem nominamus, quæ & ſuſpenſionem & eiectionem, vti ferebant illius æui mores, continebat. Et ſanè eiectio ex Eccleſia, vti appellatur hæc excommunicatio à Concil. Laodicenſ. Can.19. & Can. 51. Apoſtolorum, atque alibi ſæpiùs, non videbatur poſſe cohærere cum ſola ſuſpenſione. Quomodo enim in ordine clericali adhuc manere dicitur, qui extra Eccleſiam conſtituitur? Quia tamen poſterior diſciplina excommunicatis Clericis reditum ad primam dignitatem peracta pœnitentia permittit, quem ex communi & magis vſitata acceptione depoſitis negat; idcircò non infert neceſſariò depoſitionem hodierna Clericorum excommunicatio etiam maxima. 12.

Quæ de inferioribus Clericis circa varios pœnarum gradus annotauimus, in ipſis quoque Epiſcopis ſimili quadam ratione obſeruabantur: Nam ſi leuiùs deliquiſſent, priuabantur communione cum ſuis collegis, ſiue vt loquuntur plurimi Canones, charitate fratrum, charitatis 13.

tis

tis communione, à charitate & communione fraterna fiebant alieni, à fratribus & comprouincialibus fiebant excommunicati, Eccleſiæ ſuæ communione iubebantur eſſe contenti. Quæ pœna omni commercio ſui Metropolitani & Epiſcoporum ſuæ prouinciæ interdicebat Epiſcopo ita excommunicato: quare mutua viſitatione, ſolemni celebratione in aliena Diœceſi, aut in ſua etiam præſente collega, reciproca miſſitatione formatarum, ſuffragio, ac conſeſſu in Synodis prouinciæ prohibebat. Immò hæc pœna ita aliquãdo creſcebat, vt non modò comprouincialium, ſed omnium aliorum Epiſcoporum conſuetudine priuaret, vt conſtat ex Concil. Turon. 2. c. 9. Quia cæteri Epiſcopi rogabantur à Synodo prouinciali, illi non communicare.

Secundò aliqua ſui miniſterij parte mulctabatur Epiſcopus delinquens.

Tertiò aliquando ſolum honorem retinebat, authoritate negata. Quartò aliquando ad inferiorem gradum deiiciebatur, aliáſque pœnas ſuperiùs recenſitas ferre cogebatur.

§. II.

Vetus Monachorum diſciplina in imponendis pœnitentiis ad exemplum clericalis iam allata.

14. HAs Clericorum pœnas æmulati ſunt Monachi in delictis puniendis per varias ſeparationes à communi conſortio, ſiue excommunicationes, vti nominabant, atque omnimodam tandem expulſionem: quòd veterem ipſorum diſciplinam repetenti facilè conſtabit.

Atque in primis curabant, vt pœnæ culparum grauitati, vel leuitati reſponderent, ne aut ſeuerior, aut laxior inde fieret diſciplina. Ita iubet Pachom. art. 119. Regulæ, *Vt Pater monaſterij vindicet iuxta menſuram, opúſque peccati.* Et ſuperiori articulo, vt increpet delinquentem iuxta menſuram peccati, & art. 89. qui monitus ab amicitiis ſuſpectis non deſinit, corripitur, *Vt dignus eſt, correptione ſeueriſſima.* Similia leges paſſim apud eundem Pachom. Rationem reddit Baſil. vt citatur in concordia Regul. cap. 31. §. 8. Nam apud Baſilium modò non reperitur: quia ætas & eruditio multam habere facit differentiam pœnæ. S. verò Fructuoſus Braccarenſ. cap. 15. ſuæ Regulæ: *Menſura namque & pondere æquo, iuſtitiaque pari, & miſeratione continua Pater, vel Præpoſitus debet excellere, vt ſic vulnus curet ægroti, quatenus ſalutem, & non debilitatem inferat membris: quia ſicut ſubditorum vitia per Præpoſitos; ita & Præpoſitorum negligentias per ſemetipſum Deus iudicabit.* Et Author anonymus in ſua Regula, quæ eſt ſolùm periphraſis Regulæ S. Benedicti, quem Author concordiæ Benedictus Amanus citat. nomine Regulæ cuiuſdam: & à Trithem. lib. de proprietate Monachor. cap. 5. Regulæ ſerui Dei, quo nomine plures ſunt appellati, exiſtimátque eſſe Regulam S. Benedicti ad vſum Sanctimonialium accommodatam. Hic igitur Author cap. 19. ſic habet: *Excommunicationis menſura qualis eſſe debeat, iuſtum ſcientibus librare iudicium culpæ modus oſtendit: leuioribus enim culpis leuior eſt adhibenda correptio; grauioribus verò*

rò feruentior eſt adhibenda damnatio. Atque vt æquitatem hac in parte ſeruarent, quatuor ſollicitè præſtabant.

§. III.

Cuius eſſet pœnitentiam imponere.

15. NAm in primis punitionis iudicium & impoſitio erant penes ſolum Abbatem, & totius monaſterij Præfectum, cui aut quiſque ſua peccata fatebatur ſiue ſecretò, ſiue publicè, aut à Præpoſitis, vel Decanis apud vſum deferebatur & accuſabatur. Erant enim in numeroſis eiuſmodi monaſteriis in varias claſſes, quas Decanias vocabant, diſtincti Monachi, quibus Præpoſiti Decani dicebantur, vt videbis apud Auguſtin. lib. 1. de morib. Eccleſ. cap.31. Iſidor. de offic. Eccleſ. cap.15. Caſſian. lib.4. de inſtit. Renuntia. c.7. & 10. Benedict. cap.21. Regulæ. Hieronym. præfat. in Regulam S. Pachomij de Tabennenſibus Monachis agens ait: *Habent per ſingula monaſteria Patres & diſpenſatores, & hebdomadarios ac miniſtros, & ſingularum domorum Præpoſitos.* Hæ porrò domus erant viginti quatuor ad literarum Græcarum non tantùm numerum, ſed etiam ſignificationem aliquam: illis domibus Præpoſiti dicebantur etiam Archimandritæ, quibus omnibus præerat Pachomius, qui in Epiſt. quam ad ipſos ſcripſit, vocat illos præpoſituræ ſuæ collegas apud Gennadium cap. 7. de ſcriptorib. Eccleſ. ſimul; & ad maiores Synaxes, aut collectas conueniebant omnes, vt ex illa Regula facilè foret oſtendere. De aliis verò Cœnobitis teſtatur idem Hieronym. Epiſtol.22. illos diuiſos fuiſſe per decurias, atque centurias, ita vt nouem hominibus decimus præeſſet, & rurſus decem Præpoſitos ſub ſe centeſimus haberet. Et ſanè in Regula orientali, quæ ferè eadem eſt cum Regula S. Pachomij duo conſtituuntur Seniores, ad quos ſiue abſente, ſiue præſente Abbate omnium fratrum diſciplina, & monaſterij cura pertineat: atque hi ſine dubio ipſis Decanis præerant, vt dicebat Hieronym. horum Decanorum, & Præpoſitorum munus deſcribunt laudati Doctores, & Oreſieſis in ſua Regula, vbi de illis agit S. Fructuoſus Epiſcopus cap.12. & 13. ſuæ Regulæ, & fuſiùs Magiſter cap.11. Regulæ, vbi & duos Decanos cuilibet Decuriæ præficit, ne fratres alterius præſentia, & cura vnquam deſtituantur, ſiue ad opus exeundum ſit, vt ait etiam S. Pachom. art. 35. ſiue accumbendum menſæ, vt monet Hieronym. Epiſt. cit. Et vt conſtaret eos præfici cum aliqua poteſtate ſuis Decuriis, creabantur ab Abbate præſente Congregatione traditione virgæ, vti teſtatur l. c. Magiſter. De eadem virga meminit Orieſis; dum in ſuppellecti monanaſtica numerat virgam, eius cui monaſterium aliquod, vel diſpenſatio eſt credita monaſterij. Quæ virgæ erant paſtorales omnino, vt Abbatum & Epiſcoporum, & canibutæ appellantur in actis S. Galli & Magnoaldi, quòd curuæ eſſent ἀπὸ τοῦ κάμπτειν, curuare: eràntque ligneæ maximè Cypriſſinæ, vt videbis apud Stephanum Tornacenſem Epiſtol. 233. & 234. Et ſanè horum Decanorum & Præpoſitorum originem reperit Magiſter ex imitatione Eccleſiæ, in qua ſunt Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi: & exemplo Principum familiarum,

liarum, quæ habent vicedominium, Villicum, Salutarium, & Maiorem domus. Erat porrò Vicedominus œconomus, & rei familiaris procurator, ac negotiorum geſtor, vt colliges ex S. Gregor. lib. 9. Epiſtol. 66. vbi iubet Paſchaſium Epiſcopum ſibi ordinare, & Vicedominum, & Maiores domus, vt hoſpitibus ſuperuenientibus, & cauſis inuigilare poſſit. Itaque Vicedomini erat hoſpitibus prouidere; œconomus quippe erat, vt clariùs habet Flodoard. lib. 2. Hiſt. Rem. cap. 13. Villicum interpretatur Iſidor. lib. 8. origin. cap. 4. Vt & veteres Gloſſæ, villæ gubernatorem & œconomum. Salutarius, aut ſaltuarius, vel ſaltarius erat iudex, qui Decaniæ præerat ex lib. 1. legis Longobard. tit. 25. l. 50. & lib. 2. tit. 38. l. 2. Maior domus erat iudex, qui domui Principis præerat, & cauſis, vt habes apud Gregor. loco nuper citato, & legis Ripuariorum tit. 88. & in præfatione legis Burgundicæ. Horum igitur inſtar Decani Monachorum ſuis præſidebant Decuriis, illáſque regebant inſtar Ducum, qui cum decem militibus præficerentur, Decani vocabantur apud Vegetium lib. 2. de re militari: quo etiam nomine aliquando dicti Iudices aliqui & Conſiliarij lib. 1. legis Longobard. tit. 25. l. 50. Quamuis igitur hi Decani perpetuò ſibi creditis Monachis aſſiderent, eóſque, ſi quando peccarent, monerent, vti fusè ediſſerit Magiſter, & S. Fructuoſus locis adductis, & Orieſis, qui hanc monitionem, aut correctionem omittentes Præpoſitos grauiter arguit, & domorum Præpoſitos à monaſteriorum Principibus diſtinguit; quos autem ibidem nominat ſecundos in monaſteriis, exiſtimo illos eſſe, qui proximè ſuberant his Præpoſitis. Nam poſtquam fuſiùs Præpoſitos inſtituit, deinde conuertit ſermonem ad iſtos: *Vos quoque*, inquit, *qui ſecundi eſtis ſingularum domorum*. Præpoſiti igitur iſti corripiebant quidem peccantes; nunquam tamen illis pœnam imponebât: quod tradunt iidem Doctores; ſed ſi emendati non ſe corrigerent, rem deferebant ad Abbatem, aut ad Præpoſitum, qui ipſum Abbatem moneret, vt digna pœna illos caſtigaret; ita vt leuis etiam negligentiæ culpam Abbatis iudicio penſandam eſſe velit Anonymus in ſua Regula cap. 16. S. Auguſt. cap. 24. vbi de ordine ſeruando in correptione fraterna, de quo inferiùs dicam agit. *Conuictus verò ſecundùm Præpoſiti, vel etiam Preſbyteri, ad cuius diſpenſationem pertinet, arbitrium debet emendatoriam ſubire vindictam.* Idem apud Caſſianum lib. 4. cap. 16. & alios obſeruabis, nempe pœnam peccantibus impoſitam, veniámque impertitam ab Abbate in Collecta, aut Synaxi, ſiue collatione, quæ etiam inſtituebatur ad corrigenda vitia, vt obſeruat S. Iſidorus cap. 7. Regulæ ſuæ. Pachom. art. 121. pœnitentiam furti agi mandat in collecta, ad quam videlicet omnes fratres conueniebant: erat enim illa maior, cuius etiam mentio fit ibid. art. 107. & 113. Sanè pœnitentia, quæ in conſeſſu fratrum omnium fiebat, ab alio imponi non poterat, quàm ab omnium Præpoſito & Abbate: nequid tamen ſuo ingenio indulgeret Abbas, & prauo aliquo affectu in tranſuerſum actus in infligendis pœnitentiis peccaret, cauſa in conuentu fratrum ventilabatur. Ita edixit S. Fructuoſus Braccarenſ. cap. 14. ſuæ Regulæ, quod retulit Iuo in Decreto part. 6. c. 399. *Qualibet cauſa in conuentu communi*

fratrum eſt ventilanda & iuſtè ac ſubtiliter perſcrutanda, ne fortè doloſitate & malitia ſenioris innocens iunior opprimatur ab Abbate, vel Præpoſito Rectori iuxta perſonarum acceptionem non liceat iudicare, neque aliquem fraudulenter, vel iniuſtè damnare, ſed vt dictum eſt ſpiritalium, & veridicorum fratrum in huiuſcemodi rebus eſt retinenda ſententia: Senior ille, cuius doloſitate timet opprimi iuniorem innocentem Fructuoſus, eſt, niſi fallor, Decanus, aut alius, cui erat iunioris cura commiſſa, quique illum apud Præpoſitum, aut Abbatem accuſabat, vt diximus. Quare cum inter eiuſmodi Præpoſitos & fratres fuerit aliqua controuerſia, fratres boni teſtimonij de illa iudicare, etiam abſente Patre monaſterij, ſi diutiùs moretur voluit Pachom.art.92.94. & 112.qui ſimul coniungendi ſunt, alioquin implicati videbuntur, vt videas quãta æquitate vſi ſint priſci illi Monachi in dirimendis fratrum controuerſiis & puniendis delictis, vt vni Abbati iudicium illud ita permitterent, vt totius Congregationis, aut ſaltem probatorum aliquot ſententiam exquirere deberet. Sed audi Synodum Aquiſgran. cap. 134. præſcribentem Rectoribus modũ, quem in corrigendis Canonicorum Regularium erratis ſeruarent: *Meminiſſe oportet Rectores, quia columba eſt in diuinis Scripturis Eccleſia appellata, quæ non vnguibus lacerat; ſed piè percutit; vnde etiam illis ſummopere obſeruandum eſt, vt iuxta modum culparum & perſonarum atque ætatum omninò ipſa temperata ſit correptio vt nec vitium deſidiæ inoleſcat, nec correptio manſuetudinis modum excedat: ne, vt ait Beatus Maximus, aut ſolutior leuitas, conniuentiam præbeat peccanti, aut immoderata ſeueritas à lapſu non reuocet delinquentem. Sed & hoc illis omninò cauendum eſt, ne errata delinquentium alicuius rei liuore feriant, ſed potiùs vt B. Auguſtinus ſint criminum perſecutores, & hominum liberatores: oderint vitia, diligant homines: oderint quod inſtinctu diaboli ingreſſum eſt: diligant quod Dei bonitate creatum eſt: teneant in manu baculum & virgam; baculum videlicet, quo aliorum virium imbecillitates ſpecialiter ſuſtentent; virgam verò, qua vitia delinquentium zelo rectitudinis feriant.* Idcirco.

§. IV.

Leuiorum & grauiorum peccatorum diſtinctio qualis apud Monachos.

SEcundò accuratè diſtinguebant leuia peccata à grauioribus: quia vt loquitur Caſſian.lib.4. inſtit.c.16. *reprehenſibiliùs ſuſtinebantur.* Vbi Caſſian. leuia & grauia peccata ſingillatim recenſet, quod & præſtitit Iſidor. cap. 17. ſuæ Regulæ, ex quibus etiam, ſicut & ex S.Baſil. interrogat.4. in Regul. breuior. & Iſidor. cap.14.videbis eiuſmodi omnia peccata leuia punita fuiſſe: quia, vt ait Baſil. nihil tanquam paruum ſpernendum eſt, quod fuſiùs oſtendit Chryſoſt. homil.8. in 1. ad Corinth. & quod in ſpeciem minus videtur vitium, ſerpendo fit maius, vt oſtendit Iſidor. Peluſiot. lib.5. Epiſtol.17. Ipſéque Baſil. eam in rem, affert illud Prou.13. qui contemnit rem contemnetur ab ea· ὁς καταφρονῶν πράγματος καταφρονηθήσεται ὑπ᾽ αὐτοῦ, aut vt legunt 16.

gunt L x x. ἐξ ἀυτῦ, ex ea: verſio verò communis legit: qui detrahit alicui rei, ipſe ſe in futurum obligat. Hebræ. & Chaldæ. contemnens verbum, ſiue præceptum, contemnetur. Itáque vertunt Vatabl. Mercer. Caietan. Itaque Res illa, cui detrahitur, eſt res præcepta & mandata: quod apparet ex antitheſi ſequenti. Qui autem timet præceptum, in pace verſabitur: Chaldæ. & Hebræ. compenſabitur. Lxx. ſanus eſt. Quare omnium iſtarum lectionum ſenſus & conciliatio facilis eſt. Quicumque enim ſibi per legem demandantem aliquid, vel minimum detrahit, & excipit, quo minus totam legem impleat, ſibi obligationem imponit ſoluendi pœnas in futurum, & dum contemptu legem violat, ipſe contemptui ſe exponit & pœnæ. Qui verò legem veretur; illique obſequitur; & totam abſque vlla exceptione implet, mercedem ampliſſimam referet, & in poſterum ſecurus erit, neque quidquam timebit. Itaque vel minima legis violatio, aut rei per illum imperatæ omiſſio, pœnis obnoxia eſt: vnde inferebat ſapienter Baſil. etiã minimas culpas & legis tranſgreſſiones caſtigandas eſſe.

17. Leuia tamen iſta peccata non ea ſolùm dicebantur ab his Patribus, quæ nos venialia nominamus, eo quod non interimant diuinam gratiam, amicitiámque diſſoluant, vti mortalia, quæ cum diuina amicitia, & gratia animæ cohærere poſſunt, atque adeò vitam animæ eripiunt, vti 1. 2. fuſiùs diſputauimus, ſed quædam etiam mortalia inter leuia peccata numerantur ab illis, quia licet grauia & mortalia in ſeſe ſint cum aliis tamen comparata, quæ ſcandalum & offenſionem pariunt, atque ob varias circumſtantias vbi communitati minus nocent, leuiora cenſentur: quod facilè oſtenditur ex Caſſiano & Iſidoro leuia & grauia peccata recenſentibus, locis nuper laudatis. Caſſian. quidem leue peccatum dixit, ſi quis duriùs & contumaciùs reſponderit, ſeniori, nempe ſuo, vti videbis apud Iſidor. quæ contumacia ſine dubio potuit eſſe mortalis: addit & oraſſe cum illo, qui ab oratione ſuſpenſus fuerat: quæ culpa vti inferiùs videbimus, eadem excommunicatione plectebatur; ac proinde in ſeſe, & Theologicè ſpectata propter grauem interminationem omninò grauis & mortalis cenſeri potuit. Iſidorus verò inter leuia cenſet ſæpiùs ſeniori inobedientem eſſe, ſeniori contumaciter reſpondere, erga ſeniorem linguam non reprimere, laſciuum in lingua eſſe, iocari, inhoneſtè incedere, cum excommunicato loqui. An porrò illa contumacia & inobedientia, linguæ laſciuia, & petulantia, crebrã iuramenta, ioci & facetiæ ſemper venialia ſunt, an non aliquando mortalia? Et tamen leuia nominantur: deinde cum excommunicatione vel triduana, vel alia longiori puniantur; ex grauitate pœnæ, culpæ grauitas penſanda eſt, quamuis dum aliqua foret leuior excommunicatio, vt oſtendam inferiùs, non erat tamen leuis in ratione pœnæ, ſed in ratione excommunicationis, cùm eſſet alia quædam longè grauior, qua crimina plectebantur. Leuia itaque peccata dicebantur, quia quotidiana, ideóque non vſque adeò grauia exiſtimabantur, cum facilè emendari poſſent, quamuis aliquando per ſeſe mortalia forent, & non ſemper venialia in communi acceptione Theologica, grauia quoque peccata non ea tantùm de cauſa dicebantur,

quòd mortalia forent; ſed quia, vt dixi, ſcandalo erant, & nocumento toti communitati, atque religioſam diſciplinam planè deſtruebant, quæ aperta vitia nominat Caſſianus, vt quæ nimirum omnium aduerterent oculos, atque offenderent, cuiuſmodi eſſe dicit manifeſtos contemptus, contradictiones tumidas, liberas & effrænatas proceſſiones, familiaritates fœminarum, iras, rixas, iurgia, operis peculiaris præſumptiones, philargiriæ contagium, affectus rerum ſuperfluarum, quæ à cæteris fratribus non habentur, extraordinariam & furtiuam cibi refectionem, quibus ſimilia tradit Iſidor. Additque temulentiam, diſcordiam, eiúſque ſeminationẽ, turpiloquium, iracundiam, erectam & altam ceruicem, mentis tumorem, incitabundum & immoderatum inceſſum, detractiones, ſuſurria, inuidiam, præſumptionem rei peculiaris, furta, defraudationes rei acceptæ, aut commiſſæ, rerum à ſe allatarum ablationem, & contra obedientiam murmurationes, mendacia, contentiones, rixas, manifeſta conuitia, falſum innocenti fratri impactum crimen; negatam veniam roganti fratri, iocos & riſus cum paruulis, eorúmque oſcula, damnum maioris rei illatum, accubitum in eodem lecto cum alio, cibum extra communem menſam priuatim, vel furtim ſumptum, diſceſſum è monaſterio, & moram extra illud, inconſulto Præpoſito per mediam diem. Denique otij cauſa morbum finxiſſe. Quæ omnia, aliáve his ſimilia & grauia eſſe, & Patris arbitrio diuturna excommunicatione purganda, aut flagellis emendanda monet Iſidorus.

18. Ex hoc porrò gemino peccatorum leuium, & grauium indice vides primò omnia peccata grauia, aut publica eſſe, aut talia, quæ vbi in notitiam venirent, totam communitatem offenderent. Vides ſecundò aliqua inter leuia, & grauia ſimul cenſeri: nam laſciuum eſſe lingua, ſeniori inobedientem eſſe, ſeniori contumaciter, aut vt ait Caſſian. ſuperfluò, duriùs & contumaciùs reſpondere, inhoneſtè incedere, iocari, ridere, inter leuia numerantur: At verò inter grauia habentur turpiloquum eſſe, ſeniorem contumaci animo deſpicere, cum paruulis iocari, aut ridere. Quid verò grauius, amabo, exiſtimes, ſi rem in ſeſe ſpectes, turpiloquium, an laſciuum in lingua eſſe? Quid ſeniorem contumaci animo deſpicere, an illi inobedientem eſſe, duriùs, contumaciùs, reſpondere, inhoneſtè incedere, iocari, ac ridere, an cum pueris etiam iocari & ridere: Et tamen linguæ laſciuia, inobedientia & contumacia, ac duritia in reſpondendo ſeniori, inhoneſti inceſſus, ioci, & riſus inter leuia peccata numerantur; inter grauia verò turpiloquium, deſpicientia ſenioris ex animo contumaci, ioci & riſus cum pueris. Non igitur ſolùm grauitatem culpæ in ſe conſideratæ ſpectarunt antiqui Monachi in hac diſtinctione leuium & grauium peccatorum.

Secundò quædam grauia dicuntur, in quibus vix culpam agnoſces mortalem, v. g. extra communem menſam priuatim, & veluti furtim comedere, otij cauſa infirmitatem ſimulare, commorari per mediam diem extra monaſterium, falſum dicere, de rebus ſecum allatis per inobedientiam murmurare, aliquid præter regularem diſpenſationem ſuperfluum poſſidere, ſeu, vt ait Caſſian.

ſian. quæ à cæteris fratribus non habeantur, opus, vel rem peculiarem præſumere. An amabo omnis priuata refectio, omnis otioſitas infirmitatis prætextu, omnis aliquot horarum extra monaſterium mora, omne mendacium, omnis poſſeſſio rerum ſuperfluarum, quæ non fit inconſultò ſuperiore mortalis peccati à viro ſapiente damnabitur? Quod verò attinet ad illam operis, vt loquitur Caſſianus, aut rei, vt ait Iſidor. præſumptionem, quæ alia non erat, quàm aliquod opus in proprium commodum, aut vtilitatem contra, vel præter Abbatis mentem laborare; qua de re Auguſtin. cap. 16. S. Benedict. cap. 55. ſuæ Regulæ iubet viſitari frequentiùs lectos Monachorum propter opus peculiare: quod ſi alicubi inuentum fuerit, grauiſſimæ diſciplinæ ſubiaceat. Verùm illa operis peculiaris præſumptio, & labor non aſſignatus ab Abbate non ſemper fuerit culpa mortalis.

Tertiò inter leuia peccata numerantur aliqua, quæ in ſe grauiora ſunt aliis, quæ inter grauia cenſentur: nam illa cum excommunicato conſuetudo in menſa, & oratione cum grauiſſima pœna caſtigaretur, vti conſtabit inferiùs, grauior ſine dubio erat, quàm aut iactabundus inceſſus, aut mendacium, aut furtum, quæ leuia eſſe poſſunt, aut otium, aut comeſtio priuata: & tamen hæc omnia errata grauia dicuntur; illud autem prius cum excommunicato conſortium, leuius. Maneat igitur hanc diſtinctionem leuium, & grauium peccatorum non fuiſſe ſumptam ex ſola ipſorum in ſe conſideratorum grauitate; ſed in ordine ad pœnas publicè iniungendas ad ſeruandum religioſæ diſciplinæ rigorem, quem aliquam peccata etſi videantur in ſe leuiora, magis laxant, quàm alia.

19. Quæ Monachorum inſtitutio deſumpta omnino fuit ex veteri diſciplina eccleſiaſtica. Nam licet Patres aliqui peccata venialia, & mortalia eo ſenſu, quo nos cum Theologis accipimus, agnoſcant, vt videbis apud Auguſtin. homil. 42. cap. 7. 8. & 9. Vbi venialia minuta vocat, ſine quibus hîc homo viuere non poteſt; mortalia verò magna crimina appellat, à quibus Chriſtiani ſemper alieni eſſe debent, & oſtendit quomodo venialia per contemptum fiant mortalia, & feſtuca creſcendo trabs euadat: quod in ira & odio demonſtrat, eadémque fuerit omnium cæterorum Patrum mens: interdum tamen aliqua peccata leuia, quotidiana, & venialia nominant, quæ de ſe mortalia ſunt: illáque diſtingũt ab iis, quæ grauia & crimina vocant: quia diſtinctionem leuiorum & grauiorum peccatorum non ſumunt in ordine ad culpam Theologicam, & diuinam ſolùm offenſam, ſed potiùs in ordine ad pœnas Canonicas ab Eccleſia imponendas, & ad Exomologeſim, ſiue vt loquitur Auguſtinus mox afferendus, ad lamentabilem & luctuoſam pœnitentiam: quæ omnia paucis demonſtro: fuſior enim tractatio aliò pertinet. S. Auguſtin. quæſt. 26. Ex. 83. peccata infirmitatis & imperitiæ, quæ contraria ſint virtuti & ſapientiæ, venialia eſſe dicit: illáque diſtinguit à peccatis malitiæ, quæ ſunt contraria bonitati Dei, quibus debetur certa pœna hic & in futuro. Atque ex hac diſtinctione peccatorum iudicandum probabiliter eſſe monet, quinam cogendi ſint ad pœnitentiam lamentabilem & luctuoſam, & quibus nulla ſperanda ſit ſalus, niſi

ſacrificium obtulerint Deo ſpiritum contribulatum per pœnitentiã. Quis verò dicat omnia infirmitatis & ignorantiæ peccata venialia eſſe, nullúmque eſſe mortale & à regno Dei excludere, maximè cum, vt ibidem affirmat Auguſtinus, niſi deterantur contritione & pœnitentia, cogant deſperare ſalutem. Deinde lib.4. de Baptiſ. cap.5. probat S. Cypriani dictum qui peccatum Pauli, & eius in Chriſtum blaſphemiam venialem dixerat, quia ex ignorantia peccaret. Neque alius profectò Cypriani, aut Auguſtini ſenſus fuit, quàm dicere ad facilitatem veniæ peccantis ignorantiam plurimum conferre. Itaque venialia dicunt hi Patres, quibus faciliùs impertitur venia, ſiue quia ex fragilitate, ſiue quia ex ignorantia, aliiſve cauſis, ex quibus ad indulgentiam ſolent prouocari homines, committuntur. S. Cyprian. Epiſtol. 52. ad Antonian. de lapſis negat illos fuiſſe mortuos, ſed magis ſemianimes iacere & funeſta perſecutione ſaucios: quia nimirum adhuc fidem aliquam & ſpem internam retinebant. Quo ſenſu dixit etiam S. Ambroſ. lib.1. de pœnitent. c.10. *Nonne videtur vobis ille, qui lapſus eſt, ſeminiuus eſſe, ſi vitale aliquid fides ſperet: nam qui penitùs Deum corde ſuo abiecit, ille mortuus eſt.* Pacian. in Paræn. ad pœnitent. tria ſolùm peccata capitalia, & crimina agnoſcit, Idololatriæ, homicidij & adulterij: quæ fuit quoque mens Tertull. lib. de pudicitia cap.7. quia nimirum iſta nunquam remittebantur, vbi publica erant, niſi per publicam pœnitentiam; alia verò aliorum bonorum operum ſatiſfactione compenſabantur. Cæſar homil. 1. diſtinguit crimen & facinus capitale à cogitatione, à reprehenſibili voluntate & aliis eiuſmodi: quæ etiam homil. 13. minuta peccata vocat, in quibus tamen numerat periuria, maledicta, detractiones, odium, iram, concupiſcentiam malam, gulam & ſordidas cogitationes, quæ capitalia eſſe negat; cum tamen omninò mortem animæ conſciſcant, vt vides: neque id negauit Cæſar. & homil. 16. ipſum etiam concubinatum ante nuptias numerat inter iſta etiam venialia: quia peccantium multitudo obtinuerat, vt iam quaſi ex licito committi crederetur. Denique homil. 42. illa ſolùm vocat mortalia crimina, vnde per legem mundanam mori quis poterat. Leuia itaque & grauia peccata, ſicut neque venialia & mortalia non ſumebantur à Patribus ex ſola culpa, quæ diuinam amicitiam diſſoluit & à ſalute excludit, aut non excludit; ſed in ordine ad pœnas Canonicas, aut facilitatem, vel difficultatem veniæ impetrandæ ab Eccleſia. Non mirum itaque, ſi veteres quoque Monachi ſimilem diſtinctionem leuiorum & grauium peccatorum vſurparunt potiùs in ordine ad pœnam regularem, quàm ad culpam Theologicam.

§. V.

Sola publica peccata punita, non occulta.

Tertiò diſtinguebant Monachi occulta peccata à publicis; occulta enim ſecretò puniebantur: vnde S. Iſidor. cap.15. *Peccatum palam commiſſum palam eſt arguendum.* S. Benedict. cap.46. iubet vt quiſque latens peccatum patri tantùm ſpirituali detegat, à quo curari poſſit: *Si anima verò peccati cauſa latens fuerit,* 10.

rit, tantùm Abbati, aut ſpiritualibus ſenioribus pateſaciat, qui ſciant curare & ſua & aliena vulnera, & non detegere aut publicare. Vbi peccati cauſa eſt ipſum peccatum, quod detegi vult S. Benedictus, non ipſius duntaxat cauſam. Neque eſt inſolens illa loquutio: ſic enim Hieronym. Epiſt. ad Damaſum quæſt. 1. de Cain reddit: *Maior eſt cauſa mea, quàm vt merear abſolui.* Cyprian. lib. de lapſis: *Non hoc ideò dico, vt fratrum cauſas onerem; ſed vt magis fratres ad preces ſatisfactionis inſtigem.* Eamdem peccati occulti ſecretam confeſſionem iubet Anonym. in ſua Regula cap. 16. *Si verò ex maioribus culpis, quod ad animæ maiorem pertineat damnationem, aliquam commiſerit frater, ſecretiùs per puram confeſſionem volens ſuo manifeſtet Abbati, ne dum tepore animi culpam detegere verecundat, cum reatu culpæ faciem Diaboli interiùs recondat.* Leuiora verò iubebantur aperire coram omnibus, & pœnitentiam accipere, vt ex eodem capite conſtat. Sanè omnia publica ſiue leuia, ſiue grauia pœnitentiæ regulari ſubiiciebantur: & quia aliqui videbantur immiſericordiæ tribuere, & defectui charitatis, iſtam per ſingula pœnitentiam, & afflictionem fratrum in paruis delictis, oſtendit Baſilius, quàm ſit neceſſaria eiuſmodi minimorum caſtigatio, Interrogat. 4. in Regular. breuiorib. cum & Chriſtus nolit vnum iota, aut apicem legis præteriri. Eandem leuium culparum punitionem Iſidor. cap. 14. aliique omnes fatentur, vbi occulta non erant.

21. Atque hæc Monachorum inſtitutio, quod ad publicam pœnitentiam peccatorum duntaxat publicorum cum veteri diſciplina Eccleſiaſtica congruebat, quæ etiam publica tantùm crimina eáque grauia, ſiue capitalia ſimili pœnitentia publica plectebat. Nam S. Auguſt. lib. de correptione & gratia cap. 16. negat peccatum latens publicè corripi poſſe, ne contra Domini ſententiam de correptione fraterna quidquã committatur: ideóque præceptum Pauli 1. ad Timoth. 5. de peccatore coram omnibus corripiendo intelligendum eſſe monet *de peccatis, quæ non latent.* Et homil. 50. cap. 4. ſolum peccatum, *quod & malum eſſet, & in ſcandalo aliorum plectendum eſſe in notitia multorum, vel etiam totius plebis.* Et in peruerſum illum pudorem, quo aliqui pœnam eiuſmodi fugiebant, ſic inuehitur: *quid eſt infœlicius, quid peruerſius, quàm de ipſo vulnere, quod latere non poteſt, non erubeſcere, & de ligatura eius erubeſcere?* Vbi, vt vides, agit de peccato non latente; immò ne ipſos quidem hæreticos, & falſos fratres à Sacramentorum participatione repulit vnquam Eccleſia, ſed pacem cum illis habuit, quamdiu inde nullum ſubortum eſſet ſcandalum: quod Auguſtin. Epiſt. 69. teſtatur, atque alibi ſæpiùs contra Donatiſtas, Clement. Epiſt. 1. circa initium iubet illum cuius cordis liuor, vel infidelitas, aliúdve malum latenter irrepſerit, confiteri ei, qui præeſt, vt ab ipſo per verbum Dei, & conſilium ſalubre curetur: quod & ex doctrina Petri hauſtum eſſe affirmat. Non publicè igitur pro eiuſmodi peccatis imponebatur pœnitentia. Eò pertinent omnia, quæ de confeſſione ſecreta, & pœna per illam iniungenda tradunt antiqui Canones. Immò cum aliqui pœnitentiam publicam aliquando poſtularent, vetuit Leo eos, qui pœnitentiam eiuſmodi poſtulabant,

bant, ſua publicare peccata; & ne de ſingulorum peccatorum genere libellis ſcripta profeſſio publicè recitetur, vocátque improbabilem con ſuetudinem, & illicitam vſurpationem Epiſt. 78. ad Epiſcop. Campan. cap.2. Concil. Remenſ. ſub Carolo Magno cap. 31. iubet diſcretionem ſeruari inter pœnitentes, qui publicè & abſconsè pœnitere debent. Carthagin.3. cap. 32. & African. cap.10. *Cuius pœnitentis publicum, & vulgatiſſimum crimen eſt, quod vniuerſam Eccleſiam commouerit, ante abſolutionem manus ei imponatur.* Et refertur lib.5. capitular. cap. 53. capite verò ſuperiori 52. agit de reconciliatione Canonica, occulta & manifeſta: nam aliquando pœnitentia publica coram paucioribus fiebat, aliàs coram omnibus, prout crimen notius, aut ignotius erat: quæ omnia in noſtra ſcientia Canonica docemus: ſufficit in præſentiarum ſola crimina publica pœnis publicis caſtigata fuiſſe: quod docent quoque Synod.4. Arelatenſ. ſub Carolo c.26. Cabilonenſ. 2. ſub eodem Carolo cap.25. Ticinenſ. cap.11. Tribur. c.22. Aquiſgran. cap.134. Quæ omnes Synodi ſe veteres Canones ſequi affirmant, quorum etiam hac in re mentem videbis apud Hincmar. opuſc. de diuortio Lotharij & Telbergæ Interrogat. 1. vbi multa de non publicandis criminibus ſecretò Epiſcopo in confeſſione enunciatis: & de publica pœnitentiā nequaquam illis imponenda. Vide & Iuonem, qui ex antiquorum Canonum inſtitutione, ſacrarum Scripturarum authoritate, & eccleſiaſtica conſuetudine contendit publicè peccantem publica pœnitentia mulctandum eſſe; *abſconsè autem peccantem abſconsè pœnitere debere.* 15. part. decreti cap.46. & 5[illegible]. & 160. Quare ab antiquis illis canonibus ſingillatim adducendis abſtineo, moneo duntaxat non ſatis appoſitè afferri can.4. Concil. Neoceſar. *Si quis mulierem concupiſcens propoſuerit cum ea dormire, & deſiderium eius non peruenerit ad effectum, manifeſtum eſt, quod per gratiam fuerit liberatus.* Quod de culpa mortali intelligi nequit, cum deſiderium illud prauum mortale fuerit: à pœnitentia igitur Canonica liberatus fuit: ille enim pro peccato occulto non imponi ab Eccleſia manifeſtum eſt. Verùm cum Dionyſius Exiguus in ſua collatione reddat, *apparet, quòd Dei gratia liberatus ſit*; intelligi poteſt de vlteriori & grauiori crimine, ad quod ferebatur, & non de pœna illa Canonica, quem eumdem ſenſum fert vulgata lectio, quæ dicit illum eſſe à gratia, ſiue per gratiam liberatum, vbi non agitur de pœnitentia, quæ eſt etiam interpretatio Balſamon. in ſcholiis, qui etiam puniendum dicit, & componit hunc Canonem cum illo 70. Baſilij ad Amphiloch. qui Diaconum labris pollutum, & confeſſum à ſacro miniſterio arcet, non à Sacramentorum participatione, ſiue communione cum aliis Diaconis. Quod ſi quis ampliùs peccaſſe deprehendatur, deponitur: quia maius facinus commiſit, quàm ille prior, qui ſolo, vt videtur, oſculo, aut tactu peccauit, infami licet, circa μυρτοχειλίδας & κρημνώματα & πτερυγώματα, vti nominat Iulius Pollux lib. 2. onomaſt. Itaque nihil ex hoc Canone pro pœnitentia publica de ſolis peccatis publicis colligi poteſt; ſed ea iam ſatis probata fuit ex dictis.

Immò neque pro quibuſlibet peccatis publicis, ſed ſolùm pro grauioribus, & capitalibus iniunctam fuiſſe 22.

publicam

publicam pœnitentiam certiſſimum eſt, oſtenditque fuſiùs Bagotius diſſertat. 1. de pœnitent. cap. 8. ſect. 4. & ſequentib. Neque in iis diutiùs immorari placet, ne æquo longiùs digredi videamur. Sanè cum hæretici, ſchiſmatici, aliíque non ſemel reconciliati fuerint abſque pœnitentia publica, cui etiam non ſubiiciebantur Clerici, vt nuper monuiſſe me memini, niſi ad laicos amandati fuiſſent, dubitari nequit plurima peccata etiam publica non fuiſſe ſemper publica pœnitentia caſtigata. Atque hac in parte rigidior fuit regularis diſciplina, quæ omnia peccata publica ſiue grauia, ſiue leuia modo ſtatim explicando puniebat, vti iam oſtendi, quàm eccleſiaſtica, quæ certa tantùm peccata, & crimina capitalia ea ratione emendabat, quamuis reliquis non deeſſent ſuæ pœnæ etiam à canonibus inflictæ.

§. VI.

Pœna leuiorum culparum.

23. QVartò, diuerſitas pœnarum erat, vt culpæ reſponderent: nam in primis duo erant genera pœnarum, vnum vindictam, ſiue animaduerſionem, (vtraque enim illa voce vtitur Caſſianus) ſpiritualem continebat. Erat verò illa confuſio quædam & pudor, quo Monachus ſuffundebatur, cum coram omnibus proſtratus ab Abbate obiurgaretur, vt veniam ſui delicti flagitaret. Nam Caſſian. cap. 16. lib. 4. inſtit. nominat etiam increpationem ſpiritualem, & illam plagis atque expulſioni opponit. Iſidor. cap. 14. Regul. vult ſecundò monitum neque emendatum congrua animaduerſione coërceri, antequam conuincatur coram omni Congregatione, huius correptionis & proſtrationis modum deſcribit ipſe Caſſian. illo cap. 16. & lib. 3. c. 7. vti ſtatim dicemus. Vocatur porrò vindicta ſpiritualis; quia corpus non tangeret, ſed ad compunctionem ſpiritus & humiliationem adhiberetur. Vindicta corporalis, ſiue, vt loquuntur veterum regularum Conditores, diſciplina corporalis corpus ipſum caſtigabat, cuiuſmodi erat carcer, flagellatio, ſeparatio à menſa, ſubtractio cibi, ieiunia, aliáve ſimilia.

Quintò, leuiores igitur culpæ leuioribus pœnis puniebantur, cuiuſmodi erant primò vindicta ſpiritualis, teſte Caſſiano locis proximè adductis, illáque continebat obiurgationem & confuſionem, proſtrationem & humiliationem. 24.

Obiurgatio quidem & increpatio, ſiue correctio ac confuſio coram omnibus, quæ & leuibus, & grauibus culpis adhibebatur, imperatur à S. Benedict. cap. 70. & iam olim à S. Pachomio art. 89. 91. 93. & 118. vbi fratrem non emendatum increpari, vel obiurgari iubet iuxta ordinem monaſterij Regula Tarnatenſ. cap. 18. Cæſar. cap. 24. vocat legitimam diſciplinam, quâ in præſentia Congregationis accipi debent furantes, aut ſe inuicem conuitiantes: quamquam non diffitear in plerïſque iſtis locis increpationem, & correctionem ſumi pro quacumque punitione, ſiue impoſitione pœnæ ex monaſterij ordine. Increpationem tamen, & obiurgationem fuiſſe ferè ſemper adhibitam certiſſimum eſt.

Secundò proſtratio erat altera vindicta ſpiritualis, aut increpationis pars, de qua Caſſian. lib. 2. c. 16. lib. 3. cap. 7. lib. 4. cap. 16. Iſidor. c. 18. S. Fructuoſus Braccarenſ. cap. 14. Pœnitentiale 25.

nitentiale Columbani. Benedict. c. 44. & 71. Quæ proſtratio gemina erat, altera pro leuioribus; altera pro grauioribus culpis; & vocatur à Caſſian. locis adductis *Submiſſa in terram pœnitentia.* Modus itaque illius diuerſus erat: nam pro leui culpa, vt pro gillone fictili fracto, omnibus in ſynaxi fratribus congregatis tamdiu à proſtrato in terram venia poſtulabatur, donec orationum conſummaretur ſolemnitas: & cum iubebatur ab Abbate ſurgere, veniam impetrabat ex Caſſiano lib. 4. cap. 16. Qui pro leuibus culpis excommunicatus non ſeparabatur ab oratorio, in fine omnium horarum in loco, in quo ſtabat, proiiciebat ſe in terram, idque tandiu faciebat, donec Abbas ſufficere iudicaret. Ita S. Benedict. cap. 44. & ibi Turrecremata.

Fiebat hæc proſtratio ſoluto cingulo ex Iſidor. cap. 18. & Pachomio art. 1. & 78. & Fructuoſ. cap. 14. vbi dicit etiam fuiſſe opertorium oblatum, id eſt, nudatum caput, Pachom. ait inclinatam ceruicem & manus ad inferiora depreſſas, & locum aſſignat antę Altare, Iſidor. extra chorum, S. Benedict. ante fores Oratorij, pro veteri nimirum more pœnitentium, quem tradit Tertull. lib. de pudicitia & Gregor. Taumath. Epiſt. canonica, iacere quoque vult poſito in terra capite prouoluebatur tum Abbatis pedibus, tum fratrum exeuntium veſtigiis eorum preces & orationes ad veniam impetrãdam poſtulabat. Sed hæc omnia fiebant ab eo, qui pro grauioribus culpis maiori excommunicatione fuerat perculſus.

26. Tertia vindicta ſpiritualis fuit humiliatio, quæ fortaſſis non erat diſtincta à proſtratione. Donatus in Regula, quam ex multis aliis collegit cap. 26. Duplicis humiliationis meminit, quarum vna ab omnibus in fine cuiuſque pſalmi obſeruabatur; altera, quæ pœnæ loco imponebatur. *Similiter*, inquit, *pœniteat, qui humiliationis in Synaxi, id eſt, curſu oblitus fuerit.* Non erat igitur illa humiliatio pœna, ſed quidpiam ab omnibus in curſu obſeruari ſolitum, quandoquidem pro eius omiſſione imponitur pœnitentia. Curſum autem ſignificare penſum diuini officij, quod quotidie à Monachis excurritur & perſoluitur tritum eſt in antiquis Regulis, & Gregor. Turonenſ. lib. 5. hiſtor. cap. 20. & lib. 9. cap. 6. & Fortunat. lib. 2. Epigram. 10. ad Clerum Pariſienſ. dum eius in diuinis officiis decãtandis diligentiam commendat: *Curſibus aſſiduis*, inquit, *dulce reuoluit opus.* Quænam verò eſſet hæc humiliatio præſtari ſolita in diuino officio, explicat Donatus, cum ait: *Hæc eſt humiliatio in Eccleſia poſt finem cuiuſque Pſalmi:* Quia tunc ſe aut in terram proſternebant, aut ceruicem inclinabant: Pſalmi quidem ſtando canebantur teſte Amalarn. lib. 4. de Eccleſiaſt. officiis cap. 3. In fine verò humiliabant, ſeu proſternebant ſe fideles.

Humiliatio itaque, quæ erat pœna ſiue pœnitentia, erat veniæ petitio publica: vnde S. Benedictus cap. 54. eum, qui in reciſando Pſalmo, Reſponſorio, Antiphona, vel lectione fallitur, niſi ſatisfactione ibi coram omnibus humiliatus fuerit maiori emendationi ſubiacere vult, quia noluit humilitate corrigere, quod negligentia deliquit. Itaque humiliatio erat ſuiipſius accuſatio, & ſpontanea peccati confeſſio publica cum petitione veniæ: quæ petitio veniæ fiebat aliquando tempore diuini officij, vel in fine cuiuſ-

ueq

que Pſalmi, vel cuiuſlibet horæ, vt ſuperiùs monuimus, vel quamdiu duraret officium, & donec orationum ſolemnitas conſummaretur, vti nuper diximus, vel per aliquot Pſalmos. Nam Donat. loco citato agens de illo, qui aliquid tam in liquidis, quàm in aridis amplius ſolito perdidiſſet, *longa*, inquit, *venia in Eccleſia, dum duodecim Pſalmos ad duodecimam canunt, proſtratus nullum membrum mouens pœniteat.* Duodecima verò erat ſynaxis veſpertina, in qua duodecim Pſalmi canebantur. Denique vt videas increpationem complexam fuiſſe reprehenſionem, proſtrationem & humiliationem, vti initio monui, audi Pachom. art. 78. *Omnis correptio ita fiet, vt diſcincti ſint, qui corripiuntur & demiſſis manibus humiliato capite emendaturos ſe promittentes vitia, in quibus arguuntur, veniam deprecentur.*

27. Quartò huic pœnæ affinis erat emendatio per orationem. Donat. loco allato. *Qui perdiderit micas, oratione in Eccleſia emendari cogatur.* Et ſuperiùs de eo, cui incumbit ſollicitudo coquinandi, vel miniſtrandi, *ſi quantulum quid effuderit, oratione in Eccleſia poſt completum curſum, vt fratres pro eo orent, emendare ſtatuitur.* Solebant quippe Monachi poſt recitatos Pſalmos aliquandiu ſubmiſſa voce orare, à quibus tùnc poſtulabant iſti pœnitentes, vt pro ſe orarent, & veniam impetrarent.

28. Quintò erat & alia emendatio per orationem, quando recitatio Pſalmorum aliquot iniungebatur. Iubet enim S. Columban. vt qui iracundiam, vel triſtitiam, vel inuidiam aduerſus fratres per tempus tenuerit, ſi prima die confeſſus fuerit, viginti quatuor Pſalmos recitet. Anonym. cap. 8. Regulæ, qui tardiùs ad diuinum officium venerit, cæteris peracto officio egreſſis, in Eccleſia perſeuerat, & pro ipſa tarditate duodecim Pſalmos præter ſeriem curſus recitat. Quod ſi totum curſum perdiderit, præcipuè nocturnas horas, ſuperpoſitione damnatur, id eſt, ieiunio: nam ſuperpoſitionem ieiuniorum habet Concil. Eliberitan. can. 25. & 26. ὑπέρθεσιν, dixit Dionyſ. Alexandrin. can. 1. dum agit de variis diebus, quos in maiori hebdomada ſine cibo ὑπερτιθέασι ἄσιτοι διατελοῦντες. Et quamuis reperiantur aliæ ſuperpoſitiones, vt ſilentij, & Pſalmorum, quando aut ſilentij tempus protrahebatur, aut plurium Pſalmorum recitatio adiungebatur; nihilominus dum abſolutè ponitur ſuperpoſitio, de ieiuniis capienda eſt. Cum enim ſtati eſſent Monachis ieiuniorum dies, vbi propter culpam ieiunio plectebantur, dicebatur ſuperpoſitio ieiunii ad ſtata ieiunia, & ſuperpoſitio abſolutè, & ex communi vſu loquendi. Ex quibus etiam

Sextò colligitur pœnitentia ieiunij. Nam & apud S. Pachom. art. 12. qui tardiùs ad menſam venerit, iubetur aliquando ieiunus abire. Magiſter cap. 11. Regulæ. *Eleuans ſe frater, ſi lectum ſuum benè non cooperuerit, pœna nomine in ſequenti refectione merum non accipiat.* Verùm quia hæc pœna pro qualitate culparum varia erat, & aliquando ſeuerior; de illa dicam inferiùs. 29.

Septimò imponebatur ſilentium, vt apud S. Columban. in pœnitentiali: ſic plectitur, qui locutus fuerat cum alio quàm cum ſuæ cellæ cohabitatore: & apud illum ſæpiùs reperiuntur ſuperpoſitiones ſilentij; ita vt ex eius phraſi ſuperpoſitio ab- 30.

 ſolutè

ſolutè poſita, de ſilentio intelligenda ſit. Excommunicati ſilentio puniebantur: quia nemini licebat cum illis colloqui, vt ex dicendis conſtabit.

31. Octauò iubebantur Monachi, in pœnam ſtare ante fores oratorij, quoties finito Pſalmo Tertiæ, Sextæ, vel Nonæ venient: non enim poterant ingredi, ſed ſtantes pro foribus Miſſam Congregationis, id eſt, ſolutam Congregationem præſtolabantur, donec egredientibus cunctis ſubmiſſa in terram pœnitentia negligentiæ ſuæ, vel tarditatis impetrareñt veniam. Ita teſtatur Caſſian. lib. 3. cap. 7. Idem ex S. Fructuoſo refert Smaragdus in cap. 43. Regulæ; vbi quoque S. Benedict. vult illos Oratorium ingredi, ſed in vltimo loco ſtare, aut in alio eiuſmodi negligentibus deputato, & expleto officio publica pœnitentia ſatisfacere, ne ſi foris ſtaret, aut ſe recollocet, & dormiat, id eſt, lectum repetat, aut fabulis interea vacet. Itaque fuit hac in parte diuerſitas. Nam aliqui hos tardiores admittebant intra Oratorium, alij extra ſtare iubebant.

32. Nonò ſtabatur ante altare depreſſis manibus, inclinata ceruice, & ſoluto cingulo. Ita mulctat Pachom. art. 2. illum, qui tempore Pſalmorum, aut Orationis, aut lectionis loquitur, aut ridet, & increpari etiam illum vult à principe monaſterij.

33. Decimò, illum ipſum deinde in conuentu fratrum, cum ad veſcendum conuenerit eadem repetere iubet ibid. art. etiam 2. qui noctu plus aliquid infirmitati corporis tribuerit, & poſt tres orationes venerit eodem ordine in collecta, & veſcendi loco corripi vult. & art. 121. Si quis tulerit rem non ſuam, ponetur ſuper humeris eius, & aget pœnitentiam publicè in collecta, ſtabitque in veſcendi loco art. 8. qui dormitat diſputante principe monaſterij, ſurgere compellitur, & tamdiu ſtare, donec ſedere iubeatur.

Vndecimò prohibebatur ingreſſus Eccleſiæ. Iſidor. cap. 13. Regular. *Qui nocturno deluſus fuerit phantaſmate, tempore officij in ſacrario ſtabit, nec audebit eadem die in Eccleſiam introire, antequam ſit lotus & aquis, & lachrymis.* De quo actu alibi inpræſentiarum duo duntaxat obſeruo. Primùm frequentem fuiſſe apud Monachos veteres prohibitionem ab ingreſſu Eccleſiæ, ſiue oratorij. Alterum in hoc caſu, de quo agimus, qui occultus eſt, non fuiſſe in pœnam prohibitum ingreſſum in Eccleſiam, ſed quemque abſtinuiſſe liberè ab illo. 34.

Duodecimò differebatur hora prãdij: Anonymus enim in ſua Regula; *vt ſi in leuioribus inueniatur obnoxius culpis, vſque ad indictam ſibi horam menſa priuetur.* Quia nempe tardiùs, quàm alij refici iubebatur, vt ſi fratres hora nona; ille ſolùm veſpere reficeretur: quod etiam de excommunicatis præcipit ſanctus Benedictus. 35.

Decimotertiò, denique leuioribus culpis leuior quædam imponebatur excommunicatio, vt habet Anonym. cap. 19. Regulæ. Quæ ſicut neque maior, de qua inferiùs dicemus, non erat propriè cenſura, ſed ſeparatio quædam à communi fratrum conſuetudine, & prout pluribus, aut diutiùs priuabat, leuior, aut grauior dicebatur: ferebatur enim pro modo culpæ, vt iubet S. Benedictus, & ex illo refert Iuo 13. part. decreti c. 73. Quia igitur hæc pœna ſeparabat à communione, ſiue communicatione fratrum, dicebatur excommunicatio; 36.

catio; communio enim non ſignificat ſolam ſumptionem Euchariſtiæ, ſed ſocietatem, quæ inter fideles in omni vitæ,& rerum ſacrarum in primis commercio intercedit, vti obſeruat Albaſpin. lib.1. obſeruat. obſeruat. 1. Et vt gemina eſt communio, vna Chriſtiana, altera eccleſiaſtica: Chriſtiana priuat excommunicatio,quæ eſt cenſura; hæc verò pœna, de qua agimus, priuabat tantùm communione regulari, & monachali aliqua ratione, vt videbis.

Leuior igitur excommunicatio monachalis priuabat à ſola menſa communi, quam pœnam imponit Cæſar.cap.11.Regulæ. S. verò Benedict. *Si quis frater in leuioribus culpis inuenitur, à menſa participatione priuetur.* Sed neque Cæſari neque Benedictus appellant excommunicationem. Verùm cum S. Bened. cap.44. dicat pro grauioribus culpis excõmunicari ab oratorio & à menſa, ſatis indicat priuationem à menſa eſſe minorem, & leuiorem quamdam excommunicationem. Magiſter cap.13. Regul. *Frater, qui leuem culpam habuerit*, &c. *à menſa excommunicetur, non ab oratorio.*

Non diutiùs durabat hæc leuior excommunicatio, triduum, v.g. Iſidor. enim cap. 17. Regulæ, leuiora peccata, quæ ibidem enumerat, triduana excommunicatione purganda eſſe monet. ibid. verò cap.18. ſolum aquam, & panem exhibitum ad veſperum ait: *Cuius biduana,vel triduana illata excommunicationis ſuſpenſio, ſola panis & aqua in veſpertinum erit adhibenda refectio.*

Solum monaſterij Patrem habuiſſe poteſtatem excommunicandi teſtatur Iſidor. cap. 18. citato: quod etiam verius erit circa excommunicationem maiorem: & ſanè iam oſtendimus penes illum ſolum fuiſſe arbitrium pœnitentiæ.

Hic igitur excommunicatus ex præſcripto S. Benedicti apud Iuon. 13. part. decreti cap.73. ſolus reficiebatur, & tardiùs vna hora, quàm cæteri, vt ſi reliqui fratres nona reficerentur; ille veſpera.

Deinde in Oratorio Pſalmum,aut antiphonam non imponebat, neque lectionem recitabat: imponere verò Pſalmum non eſt, vt aliqui volunt, inchoare, quem cæteri deinde proſequantur, ſed ſimpliciter recitare, ſiue cantu, ſiue alia ratione: ſic enim eam loquendi formam vſurpat Turon. in vitis Patrum cap.4. agens de S. Quintiano, qui rogabatur antiphonam imponere ad obtinendam pluuiam. Erat verò olim ille Monachorum mos non cantandi ſimul Pſalmos; ſed vno canente, reliqui omnes attentè audiebant: vnúſque ſuccedebat alteri. De Ægyptiis locuples teſtis eſt Caſſian.lib.2. cap.5.10. 11.& 12. Ideóque diligenter tum hi, tum alij ordinem pſallẽdi ſeruabant: quis videlicet primo, quis ſecundo loco pſalleret; erátque in eo ſua etiam dignitas, vt colliges ex Hieronym. ad Regul. Pachomij de Tabennenſib. & Epiſt.ad Ruſticum, Maca. cap.6. Fructuoſ. Braccar. cap.23. Regulæ, qui priùs conuerſum Priorem eſſe in pſallendo dicunt. S. tamen Benedict. cap.54. permittit Abbati hunc ordinem deſignare. Qui igitur excommunicatus erat à menſa, non poterat in Synaxi Pſalmum aut antiphonam, aut lectionem recitare, & ſuo ordine pſallere: quæ erat pœna quædam & verecundia: quod etiam præcipit Magiſter c.13. Non tamen ſemper qui excommunicatus fuerat, à menſa, priuabatur

facultate imponendi Pſalmum; ſed vbi in ſua excommunicatione perſeuerabat. Nam Regula Orientalis de Reo, qui monitionibus non fuerat emendatus, ſic edicit: *Excommunicetur & non manducet quidquam: cui ſi nec hoc profuerit, poſtremus inter omnes ponatur; quòd ſi in prauitate perſeuerat, etiam pſallendi facultas ei auferatur. Quem ſi vel hæc confuſio non commouerit, abſtineat à conuentu fratrum, ita vt nec menſæ, nec Miſſæ interſit.* Itaque priuatio à menſa communi non erat ſemper coniuncta cum priuatione facultatis pſallendi, fuerúntque diuerſi in ea re mores.

Denique qui excommunicatus fuerat, debebat ſummiſſa in terram pœnitentia, vt loquebatur Caſſian. veniam impetrare: quod dixit Benedict. & Magiſt. locis citatis.

§. VII.

Excommunicatio & aliæ pœnæ grauiorum culparum.

37. PEccatis grauioribus ſeueriores pœnæ debebantur, erántque pleræque ex hactenus enumeratis, ſed cum aliqua additione, & vt aliqui loquebantur ſuperpoſitione: iſtæ tamen his criminibus peculiares fuiſſe colliguntur.

Prima eſt excommunicatio, grauior ſcilicet, quæ & menſa & oratorio priuaret. Ita præcipit S. Benedictus cap.44. Iſidor. cap. 18. Magiſter cap. 13. & alij paſſim.

Huius excommunicationis termini varij fuerunt, vt ait Anonym. cap.19. ex quo etiam colliges protractum fuiſſe illud tempus pro ratione emendationis: quare qui pro minoribus culpis fuerat ſolùm menſa priuatus, ſi iam ſeptem dies excommunicatus permanſerit, à loco, quem in Eccleſia tenebat, ſegregari non debebat. Sic S. Columban. pœnitentiam ſeptem dierum, alias quadraginta imponit: quæ pœnitentia erat excommunicatio, & in ſynaxi proſtratio. S. Ferreolus cap. 22. Regulæ, illum, qui in conuitia & maledictum prorupiſſet, & effrænatam linguam ſoluiſſet, triginta diebus ab omnium fratrum colloquio alienum fieri mandat. S. Fructuoſ. Bracc. cap.17. ad tres menſes excommunicationem producit. Et ſanè vetus diſciplina Eccleſiaſtica excommunicationem aliquando certo ſpatio definiebat. Nam Concil. Epaunenſ. cap. 34. Dominum, qui ſine conſcientia Iudicis proprium ſeruum ceciderat, biennij excommunicatione confuſionem ſanguinis expiare mandauit: quod idem ſanciuit Concil. Agathenſe can.61. & can.65. Ciues, qui in feſtiuitatibus Paſchæ, Natalis Domini, & Pentecoſtes cum Epiſcopis intereſſe neglexerint triennio priuat Eccleſiæ communione. Turonen.2. cap.10. Presbyterum, Diaconum, & Subdiaconum, qui cum ſua Presbytera, Diaconiſſa, aut Subdiaconiſſa inuentus fuerit, annua excommunicatione damnat. Concil. Aurelian. 3. Can. 4. Clericos, qui ſtatuta circa familiaritatem extranearum mulierum violaſſent, triennij excómunicatione mulctat. Baſil. Epiſtol. ad Amphiloch. can.58. mœchum quindecim annis à Sacramentorum participatione abſtinet: quæ aliæve ſimiles excommunicationes certo tempore definitæ, quas in antiquis Synodis facile fuerit obſeruare, non erant propriæ cenſuræ, vti eam vocem hodie vſurpant Canoniſtæ: quæ ſola rei emendatione definiuntur:

finiuntur: quod pridem in noſtra ſcientia Canonica aduertimus, diximúſque fuiſſe pœnas quidem Eccleſiaſticas, ſed non cenſuras, aut proprias excommunicationes, vti eam vocem vſurpat Innocent. cap. Quærenti. de verbor. ſignificat. & cæteri deinceps, quod facile quoque foret ex antiquis ipſis Canonibus, in quibus eiuſmodi definiti temporis excommunicatio imponitur, oſtendere: ſed redeo ad noſtram monachalem excommunicationem.

38. Iſti excommunicati ab omnibus ſeparati degebant. S. Ferreolus c. 22. ab omnium colloquio alienos dicit & habere in Congregatione ſolitudinem. S. Fructuoſ. Braccar. cap. 17. ſub pœnitentiæ diſtrictione ſolus recludatur in cella: Vnde etiam Iſidor. cap. 8. *Excommunicatus ab his locis, in quibus fuerat conſtitutus ante pœnitentiæ tempus expletum progredi prohibeatur.* S. Fructuoſus alter à Braccar. cap. 14. mitti iubet ſolitarium in cellam obſcuram.

Itaque omnibus eius conſuetudine interdicebatur ſub eadem pœna excommunicationis: Ita S. Benedict. *Si quis fratres præſumpſerit ſine iuſſione Abbatis fratri excommunicato quolibet modo ſe iungere, aut loqui cum eo, vel mandatum dirigere, ſimilem ſortiatur excommunicationis vindictam.* Eandem conſuetudinem quamcumque prohibet Iſidor. cap. 18. immò S. Fructuoſ. Braccar. cap. 14. à quoquam *compaſſione, vel miſeratione refoueri* prohibet, ne videlicet *eius contradictionem vel ſuperbiam confortare præſumat.* Caſſian. lib. 2. cap. 16. vocat inconſideratam pietatem illius qui ſe orationi, vel confabulationi eius, qui fuit ab oratione ſuſpenſus, ſociare præſumit, immò & grauiùs peccare contendit: quia ſolatium ei tribuens, cor eius facit ampliùs indurari. Non permittit de ſatisfactione ſua, & venia cogitare, maiorem ſuperbiæ fomitem, & contumaciam deliquentis nutrit in peius. Eandem denique excommunicationis pœnam propter colloquium cum excommunicato habet Magiſter in Regula cap. 13. & Anonym. cap. 19.

Vnus tamen aliquis ſenior, & probatæ virtutis ab Abbate deſignabatur, qui illius curam ageret, & eſſet veluti eius cuſtos, vt S. Fructuoſus, aliique omnes locis citatis conſentiunt, & vel apertè tradunt, vel ſupponunt.

Quamuis autem iſti excommunicati prohiberentur ab oratorio; non tamen eximebantur ab onere recitandi Pſalmos, ſed in alia Eccleſia ſeparatim, curſum cantabant, & deinde egredientis Congregationis genibus prouoluti veniam poſtulabant: quod tradit Anonym. cap. 6. Regulæ: *Hi verò fratres, qui grauioribus culpis in pœnitentia detinentur, in Eccleſia cum cæteris, qui communicant, non ſtent; ſed in alia Eccleſia ſecreti curſum cantent, expleto curſu egredientes ante fores Eccleſiæ, in qua communicantes curſum explent, ſtare præcipiantur, & egredientes Congregatione ſupra humum proſtrati rogent pro ſe Dominum exorari, &c.* Eandem proſtrationem ante fores oratorij ad pedes exeuntium fratrum imperat S. Benedict. aliique paſſim. 39.

Hic excommunicatus non benedicebatur à tranſeunte, cui fortaſſis occurrebat, cum operi quoque vacare deberet; alioquin ſolus in cella ſua maneret. Cum igitur occurreret alicui, ab illo non benedicebatur pro veteri more: Ita enim S. Benedict. cap. 25. imperat, & Magiſter cap. 13.

cap.13. *Petenti benedictionem nullus reſpondeat Deus.* Sicut benedictione, ita & oſculo fratrum ſe ſalutantium ante communionem ex veteri more priuabatur. S. Ferreol. cap.25. Regulæ Turpiloquij reum ſtatuit ſex menſibus oſculum fratrum non habere, neque communionem dominicam. Cibus, qui ei porrigebatur à nullo neque ab Abbate benedicebatur, vti præſcribunt locis citatis Benedict. & Magiſter, S. Fructuoſus Braccar. cap. 14. vult eſſe, *ab Abbate exſufflatum & non ſanctificatum*, id eſt, maledictum & execratum: quod enim antiqui Chriſtiani abominabile exiſtimabant, exſufflabant, Tertullian. lib. 2. ad vxorem: *Latebiſne tu*, &c. *Cum aliquid immundum flatu expias*, & lib. de Idololatria. *Quo ore Chriſtianus thurarius ſi per templa tranſibit, aras expuet & exſufflabit, quibus ille proſpexerit.* Vetúſque eſt ritus Eccleſiæ in Baptiſmo dæmonem exſufflandi, dum abrenunciationis verba proferret, ex Dionyſ. cap.2. de Eccleſ. Euchariſ. qua ratione quoque fugaſſe dæmonem dicitur Pachomius in vita, & Martin. à Sulpitio Dialogo 3. Erat igitur hic excommunicati cibus maledictus inſtar aquarum Zelotypiæ, de quibus Num. cap.5. inanimata enim poſſe etiam maledici tradimus alibi cum S. Thoma.

40. Auſterus præterea & modicus erat ille cibus. S. Ferreolus cap. 22. vult abſtinentia macerari. S. Columban. in pœnitentiali: *Qui detraxerit Abbati per ſeptem dies vnum tantùm pazimacium accipiet*; & alibi: *Si quis frater inobediens fuerit, duos dies vno pazimate & aqua: ſi quis dicit: non faciam, tres dies vno pazimate & aqua.* Solebant autem Monachi duo pazimatia quotidie accipere: quod de Ægyptiis teſtatur Caſſian. coll.2. cap.9. & collat. 12. cap. 15. & lib.4. inſtit. cap. 14. Eſt verò pazimatium aut pazimas Suidæ, & Heſychio *δίπυρος ἄρτος* panis bis coctus: qua de cauſa nominantur etiam ſicci panes à Ruffino lib. 2. cap. 7. in vita Apollonij, & à Pelagio cap.52. Ex ea enim recoctione naſcebatur ſiccitas: id autem fiebat, vt diutiùs incorrupti ſeruarentur: nam & Thebæis Monachis mos erat panes in ſex menſes recondere, vt habes in vita S. Antonij. Inde factum quoque, vt cogerentur eiuſmodi panes aqua macerare, vti ſæpiùs in vitis Patrum legimus, vt apud Pallad. cap.28. Ruffin. lib.11. & alios, ab ea duritie & diuturna incorruptione fiebat, vt inter commeatum militarem numerarentur pazamadia, vel pazimates, vti in Tacticis ſæpiùs monet Leo Imperator cap.10.§.13. cap.12.& 13.§.11. Denique buccellatū dicebatur, quòd propter duritiem in paruas buccellas diuiſum in aquam ad manducandum mitteretur. Ita Heraclides in paradiſo cap.6. de Macarij Alexandrini mirabili abſtinentia, qui buccellatum vnius libræ confractum, & in partes modicas redactum in lagenas mittebat, & tantùm ex eo quotidie ſumebat, quantum ipſius manus vna poſſet proferre. Dabatur & militibus expeditionis tempore ad vſus diuturnitatem excoctum buccellatum, quod habetur Ammiani lib.7. Spartian. in Peſcennio Nigro. Conſtant. de Thematis, Mauritio in Tacticis, & in Codice Theodoſ. de erogat. milit. anno. l.6. ad quem morem pulchrè alluſit Paulin. Epiſt. ad Rom. dum illi Eulogiam, ſiue panem benedictionis tranſmittit. *Ne vacuum fraternæ humanitatis officium videretur, de buccellato Chriſtianæ expeditionis,*

tionis, in cuius procinctu quotidie ad frugalitatis annonam militamus: panes quinque tibi pariter, vt filio noſtro Licentio miſimus. Sicut igitur milites in expeditione pazimatiis, atque buccellato, ſicco videlicet & duriore pane vtebantur; ita & Monachi eodem victu vitam ſuſtinebãt. Erántque pazimatia ſex vnciarum, vti disertè aſſerit Pallad. in Lauſiaca c. 28. Quare cum vnum tantùm pazimatium in diem, aut duos, vel tres dies dabatur, non leuis erat pœna, vt vides, maximè cum illi tantùm adhiberetur aqua, vti imperat S. Columban. in ſuo pœnitentiali, & ferè obſeruabatur in excommunicatis. Iſidor. cap. 18. etiam illis, qui ſolùm biduana, aut triduana excommunicatione tenebantur ſolam panis, & aquæ in veſpertinum, refectionem adhiberi mandat S. Fructuoſus Braccar. cap. 14. idem ſtatuit, ſed medium tantùm pazimatium, & non ad ſatietatem aquam poſt cœnam fratrum permittit, panis hordeaceus erat ſolitus pœnitentium cibus, vti videbis apud Fructuoſ. Braccar. cap. 16. Regulæ; & Turon. lib. 9. Hiſtor. cap. 21. de Gunthramno Rege agens, qui vt luis inguinariæ, quæ tractum Lugdunenſem à Maſſilia vſque affligebat, remedium à Deo obtineret, iuſſit omnem populum ad Eccleſiam conuenire, & rogationes ſumma cum deuotione celebrare, & nihil aliud in vſu veſcendi niſi panem hordeaceum cum aqua munda adſumi vigiliiſque inſtanter omnes adeſſe.

41. Secundò pœna, quæ adiiciebatur excommunicationi, vbi ea reum non emendaſſet, erat flagellatio, cuius etiam vſum antiquiorem apud Nitrienſes Monachos, teſtatur Heraclides in paradiſo cap. 2. ait enim ſe in ipſo Nitriæ monte vidiſſe maximam Eccleſiam, in qua erant tres arbores Dactylorum. Ex quibus ſingulis ſingula flagra dependerent, quorum vno ij, qui peccarent Monachi, verberarentur; alio latrones ſi fortè inciderent, cæderentur. Tertiò illi qui vndecumque conuicti in peccato, vapulare meruiſſent, memoratos amplectentes arbores, & certas tergo accipientes plagas dimittebantur. Pachom. art. 86. ſollicitantem fratres ante fores monaſterij verberari iubet; & art. 121. in furto deprehenſum verberari 39. plagis. S. Aurelian. cap. 4. Regulæ. Concil. Matiſcon. 1. cap. 8. Clericum iuniorem, qui alterum Clericum ad Iudicem ſæcularem traxerit, vno minus de quadraginta ictus accipere iubet. Concil. autem 2. cap. 1. Ruſticum, vel ſeruum qui diem dominicam violarit, grauioribus fuſtium ictibus verberari mandat. Cyprian. in vita S. Cæſar. Arelat. ait illum nunquam hunc numerum exceſſiſſe; ſed potiùs vt iterum vapularet, permittebat: quo ſenſu accipiunt aliqui quod habetur in pœnitentiario S. Columbani, vbi quinquaginta centum, immò & ducentæ plagæ imperantur: non enim ſimul & ſemel infligebantur, ſed iteratis vicibus, & vt ibidem tradit Columban. nunquam ampliùs, quam viginti quinque imponebantur. Illum tamen numerum plagarum minimè ſemper ſeruatum fuiſſe conſtat ex Regula Magiſtri cap. 13. *Vbi excommunicati fratres ſi ita ſuperbi extiterint, vt in ſuperbia cordis perſeuerantes die tertia, hora nona Abbati non ſatisfecerint, vſque ad necem cædantur*, id eſt, grauiſſimè. Donatus in Regula à ſe collecta eum, qui non cuſtodierit ordinem ſacrificij ſex perſecutionibus emendari vult. Benedict. cap. 28. excommunicatum,

qui ſe non emendauit, *Verberum vindicta* ſubiicit; numerum tamen non definit, ſicut neque Concil. Aquiſgran. cap. 134. & alij deinceps: culpæ enim grauitati correſpondere debuit. In media verò Congregatione præſentibus omnibus fiebat ea flagellatio: quod probant aliqui ex Cæſar. cap. 24. Regulæ. *Diſciplinam ipſam in præſentia Congregationis accipiant.* Vbi tamen nomine diſciplinæ potius ipſa correctio, quam flagellatio vti vocem diſciplinæ recentiores hodie vſurpant accipienda mihi videtur, itaque id potiùs probarunt ex eo quod morem illum ſuſtulerint Abbates in conuentu Aquiſgranenſi an. Chriſti 817. Ludouici Pij IV. cuius conuentus capitula habentur in addit. 1. ad Capitul. cap. igitur 14. ſic enim ſtatuunt, *Vt nudi pro qualibet culpa coram fratrum oculis non flagellentur.* Veterem tamen morem reſtituerunt deinceps Caſſinenſes, quem tuetur Damianus opuſculo ea de re edito, quod eſt 43. vbi & ſuſpicatur Stephanũ Monachũ Caſſinenſem Cardinalem repentina morte perculſum fuiſſe: quod eiuſmodi morem in conſpectu omnium Apoſtolicorum verberum diſciplinam accipiendi irritaſſet, & tanquam rem indignam reſpuiſſet. Quàm plures verò Caſſinenſium exemplum æmulatos fuiſſe teſtatur. De nomine verò diſciplinæ in hac ſignificatione non eſt, quod dicam, adi Gretſerum opuſculo de diſciplinantibus.

Moneo duntaxat hoc loco non eum fuiſſe ſemper conſtantem morem, vt flagella excommunicationi adiicerentur; eam enim aliquando præcedebant, vt ex locis allatis facilè colligitur; aliàs verò loco ipſius infligebantur: Nam pueri cum nondum ſatis caperent, quæ pœna foret excommunicatio, nunquam ea feriebantur, ſed verberari iubebantur à S. Iſidor. cap. 18. Regulæ, incerto authore, ſiue Anonymo in ſua Regula S. Benedicto, Magiſtro cap. 14. Concil. Aquiſgran. cap. 134. & aliis, & iam olim vſitatam fuiſſe hãc puerorum flagellationem conſtat ex Lacædemoniis, apud quos pueri ad Dianæ aram flagellabantur ad ſanguinem vſque tanta conſtantia, vt ne gemerent quidem, immò vt ait Hygin. fabul. 261. aræ ſuperpoſiti contendebant, qui plura poſſet verbera ſuſtinere: quod fuſiùs deſcribit vetus interpres Horatij ad lib. 1. Od. 7. vbi Poëta patientem Lacædemonem ea de cauſa vocat. De hac ſeueriori Spartiatarum diſciplina Cicero Tuſcul. 2. & 5. Sen. lib. de prouidentia cap. 4. aliique teſtantur. Hinc illud Petronij. Et ego quidem tres plagas Spartana nobilitate concoxi. Tertull. ad Martyres cap. 4. ſuo etiam æuo perſeueraſſe eam ſolemnitatem, quæ διαμαστίγωσις flagellatio diceretur, affirmat.

Tertia grauiorum culparum pœna fuit diuturnior & durior carcer. 41.
S. Fructuoſus Braccar. cap. 16. turpia committentem vinculis arctatum ferreis carcerali ſex menſibus anguſtia macerat; & triduana tantum per hebdomadas ſingulas refectione exigui panis hordeacei veſpertino tempore ſubleuat: aliis ſex menſibus conſequentibus ſub ſenioris cuſtodia in corticula ſegregata, oratione continua & opere manuum contentus lamentis & vigiliis vacat: & demum ſub cuſtodia & ſollicitudine duorum fratrum in monaſterio ambulat. Alter verò Fructuoſus cap. 4. Regulæ: *Mittatur ſolitarius in cellam obſcuram.* Concil. Terracon. 1. can. 1. In cella monaſterij incluſum lamentis

incumbere, & ſingulari afflictione panis & aquæ victum Abbatis ordinatione percipere vult Religioſum, vel Monachum, qui deliquerit circa familiaritatem fœminarum. Aquiſgr. cap. 134. *Sit locus intra clauſtra Canonicorum, ſicut in multis locis noſcitur eſſe, quo ad tempus retrudantur, & ſecundum modum culpa caſtigentur.* Iſidor. cap. 18. vetat excommunicatum egredi ab iis locis, in quibus fuerit conſtitutus ante pœnitentiæ tempus expletum, & vt refertur in concordia Regulæ cap. 37. §. 4. *Si excommunicatus tertio die ſciſcitatus, in ſua ſuperbia fuerit deprehenſus, in ergaſtulo coarctatus perſeueret, donec omnem arrogantiam ſuperbia deneget.* Matiſcon. 1. can. 5. de Clerico cum indecenti veſte, aut cum armis inuento *à ſeniore ita coërceatur, vt triginta dierum incluſione detentus, aqua tantum & pane modico diebus ſingulis ſuſtentetur.* Ex quibus omnibus vides geminum fuiſſe carcerem; alter erat cella propria, aut alia, ſiue corticula, vt aliqui loquuntur; alter verò erat ergaſtulum, & carcer, ſiue cella obſcura, in quam rei compingebantur, & abſtinentia macerabantur.

43. Quarta pœna erat veſtis pœnitentium. S. Fructuoſus Braccar. c. 14. *Indutus tegmine raſo, aut cilicio ſeminudus atque diſcalceatus opus monaſterij exerceat excommunicatus.* Eadem habet Iſidor. cap. 18. *Excommunicatis præter hyemis violentiam cubile humus erit tantùm ſiue ſtorea; Amictus autem tegmen raſum, aut fortè cilicium: calceamentum verò ſpartea aut quodlibet genus ſolearum.* De raſo nouitiorum indumento diximus ſuperiùs; erat rarioribus filis compactũ; ac proinde minus aptum tegendo corpori & arcendo frigori

De cilicio habet etiam Pachom. art. 121. de fure; fuiſſe porrò illud luctus & pœnitentiæ ſignum, vulgatius eſt quàm vt in eo probando immorari lubeat.

Quinta pœna erat decaluatio, eraſio coronæ, & ſputamenta. Sic ſanctus Fructuoſus Braccar. cap. 16. de Monacho adoleſcentum conſectatore edixit: *Publicè verberetur, coronam capitis, quam geſtabat, amittat, decaluatúſque turpiter opprobrio pateat, omniúmque ſputamentis oblitus in facie probra aquè ſuſcipiat.* 44.
Quæ omnia maximæ ignominiæ & dedecoris argumenta fuiſſe conſtat: nam & decaluationem & raſuram capillorum, ſiue præciſionem comæ ſupplicij genus fuiſſe nemo ignorat: neque aliter Germani adulteram puniebant, acciſis enim crinibus nudatam coram propinquis expellebat domo maritus, ac per omnem vicum verbere agebat. Plura vide apud Lilium Giraldum dialog. 11. de capitis raſura, apud Iunium de coma. Baron. an. 58. & alios, qui capitis attonſionem ignominiæ cauſa factam fuiſſe tradunt.

Quod verò de eraſione coronæ addit S. Fructuoſus oſtendit Monachos quoque in modum coronæ attonſos fuiſſe, ſicut & Clericos: quod certum omninò eſt ex Dionyſio, qui cap. 6. Eccleſ. hierarch. antiquam Monachi conſecrationem deſcribens, illos attonſos fuiſſe à Sacerdote conſecrante teſtatur, & quid illa tonſura ſignificaret inquirit. Can. 76. Nicæn. ex Arabicis iubet Monachis, vt tondeant caput in modum coronæ. De eadem tonſura loquitur Paulin. Epiſt. 7. ad Seruer. Saluian. lib. 8. de prouid. ſub finem, & alij. Cum igitur Monachi ſua illa tonſura & corona priuarentur, ignominia ſum-

ma erat, & veluti quædam exauctoratio: ſic in degradatione Clericus tondetur ab Epiſcopo, ne quod Clericatus veſtigium in ipſo remaneat, vti iubet Bonifacius VIII. cap.2.de pœnis in 6.de quo more alibi in noſtra ſcientia Canonica agimus.

45. Sextò accedit his omnibus aliquando priuatio Clericatus niſi, & ea coronæ abraſio ſit ea priuatio & degradatio: ſic enim fures punit Regula Patrum relata in Concordia cap. 32. §.2. *Si quis Monachus furtum fecerit*, &c. *id cenſuimus ordinandum, vt iunior virgis caſus tanti criminis reus nunquam officium Clericatus accipiat; ſi verò iam Clericus in id facinus fuerit deprehenſus nominis ipſius dignitate priuetur: cui ſufficere poteſt pro actus ſui leuitate impleta pœnitentiæ ſatisfactione communio.* Nempe contentus erit communione, vt fratres laici & non Clerici. Quare ad communionem laicam damnabantur hi Clerici furti conuicti ea ratione, qua explicabamus §.1.

46. Septimò, aliquando ipſa communione Chriſtiana, & Euchariſtiæ priuabantur in pœnam criminis admiſſi. Nam de turpiloquio S. Ferreolus cap.25.ſuæ Regulæ ſic habet, *ſtatuimus huius culpæ reum communionem dominicam, vel oſculum fratrum ſex anni menſibus non habere.* Communionem dominicam ego Euchariſtiam interpretor, in qua etiam ſalutabant ſe pacis oſculo communicantes: quod nemini non notum eſt, ex Dionyſio de Eccleſ. Hierarch. Tertull. lib. de oratione, vbi de Ieiunantibus, qui ſubtrahebant eiuſmodi oſculum, quæritur. Gregor. lib.3. Dialog. cap.17. de Maximino Abbate, & fratribus in Adriatico periclitantibus, qui ſibi pacem dederunt, & corpus & ſanguinem Redemptoris acceperunt. Ideò Concil. Antiſiod. anno Chriſti 614.Con.12. cum prohibet Euchariſtiam tradi mortuis, ſimul etiam prohibet illis dari oſculum: *Non licet*, inquit, *mortuis nec Euchariſtiam, nec oſculum tradi, nec velo, nec pallis corpora eorum inuolui.* Hæc vela & pallæ ſacræ erant vſui altaris deſtinatæ: quia enim olim ex Eutychiani Pontificis, decreto non licebat ſine colobio purpurato, aut dalmatica Martyrem ſepelire: hunc eumdem deinde honorem Pontificibus Romanis, & ſacris miniſtris Chriſtiani detulerunt, vt ipſorum corpora dalmaticis tegerēt, quas deinde conciſas populus reuerentiæ cauſa aſſeruabat, vti conſtat ex Gregor. lib. 4. Epiſt. 44. & lib.4. Dialog. cap. 40. Qui mos ad alios fortaſſis Chriſtianos ſenſim inoleuerat: idcirco Gregor. Epiſt.44. id fieri prohibuit in Concilio Romano circa Romanos Pontifices, & vniuerſim Conc. Antiſſiod. citatum & Aruernienſe cap.3. & 5.

Octauò, priuatio gradus: nam Anonymus in ſua Regula ſeniorem & Abbatem iracundum, ſi correptus non ſe emendet: *Et ab hoc vitio inſanabilis fuerit ab imperio fratrum detrudendum eſſe dicit.* Macarius in Regula: *Qui ſæpiùs corripitur, & non ſe emendauerit, nouiſſimus in ordine ſtare iubeatur.* Id eſt, in diuino officio, quod ſæpiùs ordo dicitur. Apoſtatæ, vbi tandem monaſterio reformantur, ſiue reſtituuntur, vltima cathedra recipiuntur ex S. Fructuoſo, Regula Orientalis primò excommunicat, deinde poſtremum inter omnes ordine ponit: quod & alibi ſæpiùs obſeruabis. 47.

§. VIII.

§. VIII.

Pœna omnium grauiſſima eiectio.

48. POſtrema denique, eáque omnium grauiſſima pœna fuit eiectio, quam geminam fuiſſe reperio.

Prima erat expulſio tantùm è monaſterio ad eius fores, vt inibi rei pœnitentiam grauiorum criminum agerent. Pachom. art.84. de facili ad detrahendum: *Si ſecundò monitus non audierit, ſeparabitur extra conuentum fratrum ſeptem diebus, & panem tantùm cum aqua accipiet.* Quod idem omnino edixit Concil. Agathenſe apud Iuon. 13. part. decreti cap. 64. totidem ferè verbis. Nihil tamen ſimile reperitur hodie in Concilio Agathenſi: quare dubium eſt, an alio exemplari vſus fuerit Iuo; an verò mendum in ipſum irrepſerit. Idem porrò Pachom. art. 86. Illum, *qui peſſimam conſuetudinem habet fratres ſuos ſermone ſollicitandi, ſeparari vult extra monaſterium, & verberari ante fores*, & contentum eſſe pane & aqua, *donec mundetur à ſordibus*. Et art.121. de fure: *triginta nouem* (plagis) *verberabunt eum, & foris dabunt ei, edere panem & aquam tantùm*, &c. *opertum cilicio, & cinere per ſingula orationum tempora cogent eum agere pœnitentiam.* Eamdem legem vult in fugitiuos obſeruari. S.Columban. in ſuo pœnitétiali, ſæpiùs expulſionis iſtius meminit, & aliquando illam ad vnum diem imponit. Caſſian. lib.4. inſtit. cap.16. grauia vitia verberibus, aut pulſione purganda eſſe monet: quæ pulſio erat ſine dubio tantùm illa temporaria, quam deſcribimus. Eodem modo interpretor illam alienationem à ſocietate, qua murmurantem plectit Baſil. interrogat. 38. in Regul. breuiorib. ἀπαλλοτριούσθω, abalienetur. Regula Tarnatenſ. c.18. Qui non prodiderit illum, quem fugam meditari nouerat, tamdiu à conuentu fratrum ſequeſtrandus dicitur, quandiu ille valeat reuocari. Climac.4. gradu ſcalæ. Macedonius primus monaſterij Diaconus, cum dimiſſus Alexandriam ab Abbate, non rediiſſet ad feſtum Epiphaniæ, reuertentem Abbas amouit à monaſterio atque in vltimo incipientium ordine conſtituit: alium qui calumniam intulerat fratri, idem Abbas expulit donec ad ianuam monaſterij ieiunum perſeuerantem, in pœnitentium ordinem tandem illum admiſit.

Altera erat eiectio non tantùm è monaſterio per aliquot dies; ſed omnino expulſio è ſocietate fratrum, & dimiſſio, vt deinde ſuas ſibi res curaret, & haberet. Quam quidem proiectionem è monaſterio vnus Iſidorus non probat c.16. Regul. *Quamuis frequentium, grauiorúmque vitiorum voragine ſit quiſpiam immerſus: ne fortè qui poterat per diuturnam pœnitudinem emendari, dum proijcitur, ore Diaboli deuoretur.* Cæteri tamen omnes hanc membri putridi à reliquo corpore abſciſſionem, & probarunt, & magno fructu vſurparunt. Auguſtin. Epiſt.109. quæ eſt eiuſdem Regulæ de illo, qui ferre non curauit emendatorum vindictam. *Etiamſi ipſe non abſceſſerit, de veſtra ſocietate proijcietur: non enim & hoc fit crudeliter, ſed miſericorditer, ne contagione peſtifera plurimos perdat.* Magiſter cap.14. *Qui ſecundò egerit pœnitentiam, in hæreticorum incidet ſectam.* Macarius in Regul. *Qui nec ſic ſe emendauerit, extraneus habeatur.* Eóque trahit 49.

illud Chriſti, ſit vobis tanquam ethnicus & publicanus. Similia habet Baſil. interrogat.9. in Regul. breuiorib. quod de hac abſciſſione intelligi conſtat ex eod. Baſil. Interrogat.57. in Regul. breuiorib. vbi enim dixit illum, cui non ſufficit ad emendationem obiurgatio, quam tradidit, ſicut gentilem & publicanum de reliquo haberi debere: rationem reddit, cum Dominus dixerit expedire, vt quis oculo vno, vel manu vna, vel pede vno amiſſo intret in regnum, quàm ex eo quod alicui horum membrorum pepercerit, totus mittatur in gehennam ignis, &c. Et Apoſtolus teſtificetur modicum fermentum totam maſſam corrumpere. Atque hanc eandem eiectionem clariùs tradit idem Baſilius Interrogat. 44. nam peccantem vult primò ſegregatione ad aliquod tempus & inedia puniri, vt videns quantis bonis ſeipſum priuet, bonam mentem recipiat; ſi verò non ſentiens permaneat, prorſus is à reliquo corpore veluti putrefactum, ac penitùs vitiatum membrum præciditor: ſcriptum eſt enim: expedit tibi, vt vnum pereat membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Iſidor. Peluſiota lib. 1. Epiſtol. 318. dum rogat Cœnobiarcham, vt erratum condonet cuidam Monacho ſic ſcribit: *Si autem is eſt, qui venia & indulgentia minimè melior fiat, olim ille fructum vllum ex literis noſtris capiat; verùm è fratrum tranquillitate foris ablegetur, ne tumidos fluctus, ac vertigines placidis & quietis ipſorum moribus excitet: nam hoc quoque lex nobis ſub parabola cortice præſcribit, cùm eos, qui lepra laborant, extra caſtra emittit.* Euſebius Gallican. homil.3. ad Monach. dum carpit illorum proteruiam, qui malunt deſerere monaſterium, quàm pro diſciplinæ ordine caſtigari, & erumpunt in illas voces: *Deſero, atque diſcedo: hoc ego ferre non patior: ingenuus homo ſum, & malo diſcedere, quàm emendare, quàm ſatisfacere, quàm implere quod præcipis.* Vbi eiuſmodi diſceſſum arguit, tandem addit: *Illis ipſis, qui grauius apud nos delinquunt, nullam triſtiorem, nullam acerbiorem poſſumus inuenire ſententiam, quàm vt à corpore Congregationis abſciſſi ſine pace diſcedant. Et nónne amentiæ genus eſt, vt hoc quiſque pro remedio expetat, quod etiam à Præpoſito non niſi pro ſummo crimine non poſſit inferri?* Denique quàm dolendus ſit ille diſceſſus etiam voluntarius ex Eremo, licet ad ſæculi fluctus reuertens nomen atque habitum profeſſionis ſuæ cuſtodire videatur, explicat: quare multò magis dolenda erit eiectio illa, de qua agimus. S. Bened. cap. 28. de incorrigibilibus agens: *Tunc Abbas faciat quod ſapiens Medicus: ſi exhibuit fomenta, ſi vnguenta exhortationum: ſi medicamina ſcripturarum diuinarum, ſi ad vltimum vſtionem excommunicationis vel plagas virgæ, etiamſi viderit nihil ſuam praualere induſtriam, adhibeat etiam quod magis eſt ſuam & omnium fratrum pro eo orationem, vt Dominus, qui omnia poteſt, operetur ſalutem circa infirmum fratrem. Quod ſi nec iſto modo ſanatus fuerit, tunc iam vtatur Abbas ferro abſciſſionis, vt ait Apoſtolus: Auferte malum ex vobis: & iterum infidelis ſi diſcedit, diſcedat, ne vna ouis morbida totum gregem contaminet. In eandem ferè ſententiam Anonymus in Regula: ſi lethale vulnus per fomenta caſtigationum, & pietatis & lenitatis vnguenta ſoſpitati*

tati non redditur ſaltem inciſionibus amputetur : & ſi ſic ſanies deſecta tumorem non amiſerit , tunc excommunicationis ſententiam , vel diſciplinæ corporalis pœnam incurrat : Et ſi nec excommunicationis metu , nec flagelli pœna frangatur , augeatur adhuc pietatis fomes ; ita vt ab omni Congregatione pro eo communis Dominus orationis officio deprecetur, &c. Quòd ſi nec ſic corripi voluerit, intra ſepta monaſterij ſub pœnitentiæ tenore ab omnibus , præter cuſtodibus ſegregatus caſtigetur. Tandem ait eundem à Congregatione ſeparandum eſſe , ne ſuo vitio innocentes commaculet : quod de ſeparatione per carcerem intelligi quidem poteſt. Verùm cum S.Benedictum ferè exſcribat , ab eius mente profectò non diſcedit : quare & de ſeparatione , à Congregatione loqui omninò crediderim. Magiſter cap. 13. de excommunicatis fratribus in ſuperbia cordis triduum perſeuerantibus : *Si placuerit Abbati de monaſterio expellantur : quia talis vita neceſſarios non habet corporales , vel ſocietas fratrum, quos in anima ſuperba poſſidet mors. Nam merito ergo tales debent plagis mactati expelli , qui eſſe cum Chriſto humilitatis Domino non merentur ; ſed ſint à perpetuis promiſſis cum authore ſuo diabolo ſeparati, qui de cælorum regnis propter ſuam ſuperbiam proiectus eſt.* Denique Concil. Aquiſgran. cap.134. *Poſtremò* , inquit , *ſi inemendabiles & incorrigibiles apparuerint , ne per plures eorum dira ſerpant contagia , neceſſe eſt , vt à cæterorum ſocietate, vtpote oues morbidæ , ſecreti ante præſentiam deducantur Epiſcopi , vt ab eo canonica authoritate publicè damnentur.* Climac. gradu 4. ſcalæ agens de celebri. monaſterio in quod diuerterat. Maledixerat aliquãdo vnus ex illis proximo ſuo, quem protinus Pater ſãctus eliminare iuſſit, æquum non eſſe aſſerens in monaſterio viſibilem , atque inuiſibilem dæmonem perpeti. Ibidem ait eos qui nollent obdurata mente fratri reconciliari è monaſterio expellebantur.

Nouiſſima iura eandem pœnam 50.
eiectionis è Religione probarunt: nam cap. cum ad monaſterium de ſtatu Monach. Innocentius III. iubet Monachum proprietarium regulari monitione præmiſſa de monaſterio expelli, nec recipi vlterius, niſi pœniteat ſecundum monaſticam diſciplinam. Honorius III. cap. vlt. eod. tit. vult viſitatores , Monachos, quos contumaces inuenerint , & rebelles iuxta modum culpæ vice ſua regulari cenſura percellere, non parcendo rebellibus ob ſuam pertinaciam, vel potentiam amicorum, quin ouem morbidam eiiciant ab ouili, ne inficiat ſanas. Et cap. cum in Eccleſiis. de maiorit. & obedientia. Canonicos quatuor, qui ſuo Priori contra præſtitum iuramentum rebelles fuerant , vult iterum præſtare idem iuramentum de parendo mandatis Prioris : quod ſi recuſarint , de fratrum conſortio penitùs excludi mandat. Alexander III. in Concil. Lateran. part.27. cap.7. & refertur cap. Relatum , ne Clerici , vel Monachi. Mandat Londonenſi Epiſcopo , vt Monachos de Neſtun. ſæculariter viuentes ad obſeruantiam compellat: quòd ſi auſu temerario reſtiterint, illis abiectis Monachos Ciſtercienſis Ordinis inducat in illud monaſterium. Neque dicas eos Monachos fuiſſe quidem eiectos è monaſterio illo ; non autem ab ordine, maximè, quia Alexander id ſe iubere dicit , vt illi rubore ſuffuſi ad ſui Ordinis obſeruantiam

ſeruantiam conuertantur: nam cum illi Monachi vni monaſterio addicti eſſent, idem illis eſt expelli è monaſterio atque ex ordine. Deinde ſi non eiicerentur ab ordine, mandaret Alexander, vt in alia monaſteria diſpergerentur. Quòd verò conuerſionem ipſorum intendat, id etiam fit in omni iſta priuatione: cum enim iſti eiecti ſemper Monachi remaneant, optandum eſt, vt hac pœna ad officium ſuum reuocentur. Poſteriores deinde Pontifices in eadẽ fuere ſententia, cum certis quibuſdam Religionibus eam facultatem expreſsè indulſerunt, quos dabit Corduba in Regul. S. Franciſci cap.2. quæſt.21. punct. 1. Ribadeneira lib. de inſtit. Societ. Ieſu cap. 13. aliique. Et ſanè conſtitutiones Ordinis Prædicat. S. Franciſci Regula, & aliæ ferè omnes idem habent. Ex quibus omnibus tandem efficitur hanc eiectionis pœnam perpetuò à Regularibus obſeruatam fuiſſe, quod vnum hoc §. contendebamus.

§. IX.

Modus excommunicationis, & eiectionis monachalis.

51. QVia hæ duæ pœnæ præcipuæ erant inter Monachos, vti oſtendimus; idcirco placet modum, quem in eis infligendis vetus diſciplina monachalis teneret, paucis repetere.

In primis igitur ſolebant rei ſeipſos accuſare: & ſic veniam promereri, & fratrum orationes. Iſidorus cap.14.& 16.iubet præberi indulgentiam poſtulanti, ſi leuis culpa eſt. S. Benedict. cap.46. vltroneam illam accuſationem, qua quis *continuò* vbi aliquid exceſſerit, ante Abbatem, vel *Congregationem vltrò ſatisfecerit, & delictum ſuum prodiderit*, ad minuendam pœnam multum facere vult. Caſſian. in ſua Regula cap.39. ſiue ab eo conſcripta fuerit, ſiue ex eius ſcriptis collecta, ſupplicanti coram omnibus pro leuioribus culpis, quas ibidem enumerat, veniam non denegandam eſſe ait; aliis verò vindictam ſpiritualem imponi mandat. Incertus, ſiue Anonymus cap.16. Regulæ illum, qui leuiùs deliquit, *ſi ſtatim Abbati, vel Prapoſito puram dedit confeſſionem*, ad nullam aliam pœnam obligat; *ſi verò non ſua confeſſione, ſed alterius proditione cognitum fuerit, prout culpæ magnitudo popoſcerit, pœnitentiæ ſubiacebit, qui culpam per puram pœnitentiam non manifeſtauit.* Maiores autem culpas occultas vult ſecretiùs Abbati manifeſtare, vti ſuperiùs retulimus.

Secundò, qui ſe ipſe non prodebat, ab aliis accuſabatur: id enim ſupponunt omnes, dum eiuſmodi delictum ab aliis proditum maiori pœnæ ſubiacere volunt cum S. Benedict. cap.46. Iſidor. cap.14. *Peccantem nullus occultet: criminis enim eſt conſenſio poſt ſecundam monitionem celare quempiam peccantem.* Aduerſus hoc ſilentium, & reticentiam criminis fraterni diſputat Baſil. interrogat. 47. in Regul. breuiorib. & interrogat. 40. & S. Auguſtin. Epiſtol.109.

Tertiò hæc delatio, ſiue accuſatio coram congregatione non fiebat, niſi poſt vnam, aut alteram monitionem priuatam ipſius rei, quod tradebat nuper Iſidorus, qui addit vni, aut duobus fratribus peccantem demonſtrandum eſſe, vt ipſorum teſtimonio conuinci poſſit. Hanc verò monitionem ſecretam fieri vult à ſenioribus S. Benedict. cap.23. *Secundum* 52.

cundum Domini praeceptum ammoneatur ſemel, & ſecundò à ſenioribus ſuis. Ad ſeniores igitur deferebatur reus, qui illum ex Domini præcepto priùs ſecretò monebant: non verò neceſſe erat moneri priùs peccantem, antequam ad ſeniorem deferretur; ſed ab ipſo ſeniore priùs ſemel, & ſecundò ſecretò monebatur, aut etiam ſæpiùs, vti monet Concil. Aquiſgran. cap. 134. Pachomius art. 86. murmurantem quinquies doceri vult, & art. 89. & 93. inobedientem contentioſum, & mendacem decies commoneri mandat, antequam monaſterij legibus increpetur art. 96. pueri luſibus, & otio dediti primò corripiebantur, deinde à Præpoſito per triginta dies corripiebantur, & monebantur. Si deinde Præpoſitus non nunciaret Patri totius monaſterij, pro eis culpæ ſubiacebat. S. Fructuoſ. Braccar. cap. 17. Regulæ mendacem furem, percuſſorem, &c. corripi primum à ſenioribus verbis oportet, vt recedat à vitio: poſt hæc ſi emendare diſtulerit, tertiò coram fratribus conuenietur. Regula Orientalis, *cum inuenta fuerit culpa, ille, qui culpabilis inuenitur, corripiatur ab Abbate ſecretiùs: quòd ſi non ſufficit ad emendationem, corripiatur à paucis ſenioribus: quod ſi nec ſe emendauerit, caſtigetur in conſpectu omnium.* Incertus, ſiue Anonymus cap. 19. *Secundum Domini præceptum ſemel à ſenioribus verbis corripiatur: ſi emendare noluerit, tunc ſimul ab omni Congregatione obiurgetur: & ſi ſic emendare noluerit, tunc prout culpæ magnitudo popoſcerit, ſecundum Regulam iudicetur.*

S. Auguſtin. Epiſt. 109. & cap. 23. Regulæ de petulantia oculi agens, vult primò moneri eum, in quo animaduerſa fuerit, tum oſtendi ſeniori, vti ab illo ſecretiùs corripiatur: Quod ſi negauerit, demonſtranda eſt aliis, à quibus negans conuinci poſſit coram omnibus, & tunc emendatoriam vindictam ex Præpoſiti arbitrio ſubire debebit.

Quæ omnia paulò fuſiùs referre placuit, vt conſtet quis fuerit ſenſus illorum Patrum circa modum correctionis fraternæ, & intelligentiam præcepti Chriſti Matth. 18. verſ. 15. circa ordinem ſeruandum in ipſo: illud enim præceptum ſeruare ſe omnino dicunt, & tamen crimen fratris ſuperiori deferunt, vt ab illo primùm ſecretò corripiatur, tum coram aliquot ſenioribus, & denique coram Congregatione vniuerſa: cum tamen Chriſtus dicat monitionem ſecretam præmittendam eſſe, tum corripiendum eſſe fratrem peccantem coram vno aut duobus teſtibus, poſtea denunciandum eſſe Eccleſiæ, id eſt, ſuperiori: & ſi non audierit Eccleſiam, aut ſuperiorem, habendum eſſe pro ethnico & publicano, id eſt, eiiciendum ex Eccleſia per excommunicationem: *Si peccauerit in te frater tuus*, inquit Chriſtus, *vade & corripe eum inter te, & ipſum ſolum: Si te audierit, lucratus es fratrem tuum; ſi autem te non audierit, adhibe adhuc vnum, vel duos; vt in ore duorum, vel trium ſtet omne verbum: quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ; ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquam ethnicus, & publicanus.* Antiqui tamen illi Patres volunt denunciari crimen fratris Superiori, & Patri qui illum ſecretò moneat: deinde ſi non audiat, coram aliquot ſenioribus, & demum coram Eccleſia, ſiue tota Congregatione arguendum eſſe dicunt: atque ſi contumax eſſe pergat, puniendum, & excommunicandum: quia

iſti Patres in iſta correctione iure merito exiſtimabant attendendum potius eſſe finem præcepti & Chriſti mentem, ſcilicet emendationem fratris, quàm formam verborum: ſic enim emendatio & ſecretior eſt, & facilior, & omnia ferè faciliùs vitat incommoda, quàm ſi primò moneatur peccans, antequam Superiori vt Patri denuncietur. Agimus enim ſolum de denunciatione euangelica, ſiue vt loquuntur, fraterna. Quod fuſiùs oſtendũt Richard. in 4. diſt. 19. art. 3. quæſt. 1. ad 2. S. Thom. quodlibet. 11. art. vlt. Gerſon tract. de correptione proximi alphabeto 34. lit. T. Suar. tract. 10. de Religion. lib. 10. cap. 8. & alij contra Lorcam 2. 2. ſect. 3. diſput. 47. Nobis ea de re alibi erit diſputandi locus: obſeruo duntaxat, in præſentia antiquam illam praxim, quam etiam deinde recentiores Religiones æmulatæ ſunt: nam denunciationẽ faciendam eſſe Prælato iubent cõſtitutiones Ordinis Prædicatorum diſt. 5. cap. 13. §. 4. & c. 18. §. 6. Conſtitutiones quoque Minorum in capitulo generali, Præſide S. Bonauentura probatæ, Capitulum etiam Barcinonenſe eorumdem, & aliæ quamplurimæ.

53. Quartò publica obiurgatio ſuccedebat geminæ monitioni priuatim à ſeniore factæ, vti ex S. Benedicto, S. Fructuoſo, Concilio Aquiſgran. & aliis nuper relatis de præmittenda monitione ſecreta diximus: Iam enim conſtabat de crimine: & reus, ſi negaſſet, conuinci poterat plurium teſtimonio. Obſeruauimus etenim §. 5. peccata duntaxat publica, non verò occulta fuiſſe publicè punita. Hæc increpatio fiebat in collecta, ſiue in conſpectu omnium. Eius modum deſcribit Magiſter cap. 13. Regulæ. Cum igitur aliquis inobediens & rebellis monitis Præpoſitorum, id eſt, Decanorum & eorum, qui illis præficiebantur, deferebatur Abbati, vt qui iam non frater, ſed hæreticus ob contumaciam habendus foret, & operarius dæmonis diſſipando Sanctorum facta, ac velut quædam ſcabies, in grege procreata, conuocabatur ab Abbate, præſentibus ſuis Præpoſitis, aut coram Congregatione, & interrogabat Præpoſitos quid peccaſſet ille reus, quoties monitus non emendaſſet: & vbi tum illi, tum qui ipſum accuſabant, reſponderant, increpabatur ab Abbate ſeueriori oratione, cuius formulam ibidem refert Magiſter: tum exigi iubebatur ab Oratorio, & communi menſa, atque extraneus deputabatur, id eſt, excommunicatus, additis aliis pœnis, de quibus ſuperiùs egimus. Eam verò increpationem audiebat reus proſtratus, ſine cingulo, & eo habitu, quem nuper deſcripſimus. Concil. Aquiſgran. cap. 134. poſt publicam obiurgationem pane & aqua macerari mandat: deinde ſeparari à menſa & ſocietate fratrum pſallentium in choro, & ſeorſim loco huiuſcemodi negligentibus à Prælatis conſtituto ſtare: poſtea flagellari: quòd ſi nec ætas, nec perſonæ qualitas verbera non paterentur, continua afflictione, obiurgatione, & ſequeſtratione vexari, poſteà in carcerem compingi & demùm eiici. Alij alium ordinem in his pœnis ſeruabant, ſed non multum diſſimilem, vt videbis in Regula Orientali, ſancto Benedicto, Fructuoſo & aliis.

Quintò eiectionis, quæ pœna omnium grauiſſima fuit, formam deſcribit Iſidor. Epiſcopus cap. 14. vti refertur in Concordia cap. 37. §. 4. 54.
Nam in Iſidoro Hiſpalenſi non reperi. In collatione igitur exuebatur monaſte-

monaſteri veſtibus, & induebatur, quas olim adduxerat, ſæcularibus,& cum confuſionis nota à monaſterio expellebatur. Quod iubet de illo, qui cum emendationem pati non poterat, & exire voluerit. Macarius in ſua Regula: *Nihil*, inquit, *penitus accipiat, niſi in notatiſſimo veſtimento & extra communionem infidelis diſcedat*. S. Benedict. Magiſt. & Concil. Aquiſgran. §. ſuperiori adducti iubent tanquam vltimum remedium præmitti orationem à tota Congregatione pro incorrigibili, & demum ſi nihil ea proficiat, expelli mandant ab Abbate quidem & tota Congregatione. Clerici tamen Regulares ad Epiſcopum deducebantur, vti iubet Concil.Aquiſgran.cap.134. ſæpius adductum, vt ab illo canonica authoritate publicè damnarentur.

§. X.

Modus reconciliandi eiectos & excommunicatos.

55. POſtulat doctrinæ traditæ methodus, vt aliquid addamus circa modum recóciliandi tum excommunicatum, vbi ſe emendarat: tum ipſum quoque eiectum: nam S.Benedict. cap. 29. fratrem, qui ſponte egreditur, aut proiicitur de monaſterio, recipi mandat in vltimo gradu, ſi reuerti voluerit, & emendationem ſpondeat; ſed iam tertiò egreſſum ampliùs recipi vetat, vti etiam alibi monuimus.

Quod ad excommunicatum igitur pertinet, magnam illius curam habebant Superiores, vt ad frugem rediret: nam & fratrem ſpiritualem ad illum ſæpiùs mittebant, vt iubet Cæſar. cap.32. Regulæ, S. Benedict. cap. 27. pluribus commendat hanc ſollicitudinem Abbatibus exemplo Chriſti ouem errantem tam eximia cura quærentis: *Debet*, inquit, *immittere quaſi occultos conſolatores ſemperotas, id eſt, ſeniores conſolatores, qui quaſi ſecretò conſolentur fratrem fluctuantem, & prouocent ad humilitatis ſatisfactionem, & conſolentur eum, ne abundantiori triſtia abſorbeatur*. Quid verò ſint ſemperotæ, diſputant commentatores: mihi in re ſatis leui hærendum non videtur. S.Fructuoſ. cap. 14. vult ab Abbate immitti interdum ſeniorem aliquem, qui duriùs excommunicatum obiurget, & ſubinde alium, qui idem præſtet. Quod ſi tertiò ſe patientem probarit, illum deinde coram omnibus verbis durioribus excipiat, vt experiatur, an vera *an imaginaria* ſit illius patientia: & tunc demum reconciliabatur hac ratione.

Expleto Pſalmo ante limen Oratorij proſtratus excómunicatus cum lachrymis clamabat: peccaui, emendare polliceor: tum orationes poſtulabat Congregationis, & ſuorum Præpoſitorum, & vt veniam pro ſe flagitarent, & ab Abbate ipſemet etiam intenta voce veniam deprecabatur longa oratione, quam ibidem deſcribit Magiſter. Deinde exeunti Abbati, & reo iacente ante limen vniuerſa Congregatio & Præpoſiti rei, pro illo accidebant ad genua: ſi Abbas veniam dabat, iubebat reum erigi à Præpoſitis ſuis, & improperata ei culpa, quam ſe illi emendaturum pollicebantur, inuitabat Congregationem vt rediret in Oratórium, & oratione reconciliarent ante Dominum fratrem, qui emendationem ſpondebat. Vbi verò Abbas & Congregatio ingreſſi ſunt Oratórium, Præpoſiti rei illius dextram,

læuámque tenent, & è veſtibulo canunt: Confitemini Domino, quoniam bonus eſt: & Congregatio in Eccleſia reſpondet, quoniam in ſæculum miſericordia eius. Deinde introducunt in oratorium Præpoſiti reum, & proſternunt pedibus altaris: Abbas quoque & Congregatio orationi ſe proſternunt pro eo; ipſe verò orationem pronunciat alta voce, cuius formulam habet Magiſter. Qua finita Abbas monet, ne de cætero peccet: & ſtatim reus verſum hunc imponit, id eſt, incipit: Errauì ſicut ouis, quæ periit: Et Abbas denique illum Præpoſitis ſuis reconſignat his verbis: recipite ouem veſtram, reintegrate numerum, reſtituite menſæ, &c. In ſignum verò reconciliationis fratrum manibus intrantium ad communionem miniſtrat, pro veteri communicantium more, & Abbatis, ac ſingulorum manus oſculatur, ab omnibus orationem petit, & ingreſſus quoque deinde oratiorium clara voce poſtulat omnium orationes, & denique exiens cum fratribus accedit ad conſuetam menſam. S.Benedict. cap.46. contractiùs eadem tradit: nam excommunicatus qui hora officij diuini ante fores oratorij proſtratus iacet, iubetur ab Abbate venire, & ipſius ſe aduoluit pedibus, ac deinde omnium veſtigiis fratrum, eorúmque ambitorationes:& ſic iubetur ab Abbate in choro & in ordine, quo decreuerit recipi; ita tamen, vt neque Pſalmum, vel lectionem, aut aliud quidpiam in choro imponat,id eſt, recitet iniuſſu Abbatis,& in omnibus horis, dum completur opus Dei, proiiciat ſe in terram in loco, quo ſtat, vſque dum ei iubeat iterum Abbas, vt quieſcat iam ab hac ſatisfactione. Iſidorus cap.18. exigit tantùm, vt iuſſus ſurgere & ingredi oratorium, & oratione pro eo data ab Abbate, & reſpondentibus cunctis, Amen, ſurgat atque ab omnibus veniam poſcat adepturus indulgentiam. Similia habet S. Fructuoſ. cap. 14. Eccleſiam ingrediatur, cingulum in manibus geſtans, Abbatis & fratrum pedibus cum lachrymis prouoluatur, & cum ſingultu & gemitu genibus humo properando à cunctis veniam accipere mereatur: & poſt hæc oſculatus ab Abbate in ſuo gradu recipiatur.

Quod attinet admodum denuò recipiendi eiectos è monaſterio ſiue ad tempus, ſiue in perpetuum, nihil ſingulare apud veteres Monachos reperio: quare certò mihi perſuadeo eadem ſeruata fuiſſe, quæ in reconciliatione ab excõmunicatione, quandoquidem hæc eiecti reconciliatio multò difficilior erat, quam excommunicati. Quare ſi tam lamentabiles gemitus, & lachrymæ atque orationes neceſſariæ erant ad impetrandam veniam excommunicato, quis conceſſam fuiſſe eiecto abſque ſimilibus, aut etiam grauioribus pœnitentiæ, & humilitatis ſignis exiſtimet?

§. XI.

Quo iure licita ſit eiectio Religioſi profeſſi à Religione.

Licitam aliquando eſſe expulſionem Religioſi à Religione veterum Patrum authoritas, Conciliorum & Pontificum edicta,& conſtans ac perpetuus ſanctiſſimarum Religionum vſus à nobis §.8. allatus dubitare non ſinit. Huius tamen moris ratio, & ius nõn ſtatim apparet: cum enim Religioſus tradide- 56.

rit ſe Religioni, contractu quodam reciproco donationem illam acceptanti, ſicut Religioſus nequit nolentem & inuitam Religionem abiicere; ita neque Religio poterit Religioſum inuitum à ſe exigere, cum mutua ſit & æqualis vtriuſque obligatio, vti contingit in omnibus aliis donationibus, & acceptationibus. Neque hæc expulſio vtilis expulſo, aut Religioni expellenti multum commoda eſſe poteſt. Nam expulſus multò liberiùs peccabit, immò in omnia ſe vitia dabit præcipitem: quare non ea ratione eius emendationi conſulitur, vti tamen conſulere tenetur Religio, quandoquidem peccandi occaſionibus exponitur, vti argumentabatur nuper Iſidorus, immò neque punitur, cum eiectionem plerique ament, vti liberiùs viuant, atque adeò ſuis prauis moribus ſæpiſſimè illam à reluctante Religione extorqueant, à qua eiici malunt, quàm foueri, videntúrque ſibi grauem & importunam ſarcinam excuſſiſſe: quare neque eo exemplo cæteri coërcentur, quod vnum ferè commodum ex eiuſmodi eiectione in Religionem redundare poteſt. Nam ſi aut carcere includerentur, aut aliis pœnis intra monaſterium caſtigarentur, multò acriùs cæterorum animos permouerent, & à ſimilibus peccatis deterrerẽt. Adde infamiam, quam ſuis moribus ferè creant Religioni eiuſmodi eiecti: quare nulla poteſt ſubeſſe cauſa, quæ eiectionem iſtam perſuadeat, cum aliis modis ſaluti Religioſi, diſciplinæ regulari, & Religionis commodis ſuauiùs efficaciúſque conſulatur. Eiuſmodi itaque homines carceri mancipandos, non eiiciendos dixerunt Cardinal. in Clement. ne in agro, §. quia verò, de ſtatu Monach. Abbas in cap. cum ad monaſterium, num. 13. de ſtatu Monach. Hoſtienſ. in ſumma lit. de apoſtatis, num. 4. Imol. in cap. cum in Eccleſiis, num. 8. de maioritate & obedient. Angel. ver. Abbbas, n. 18. Graſſis 1. part. deciſion. lib. 3. cap. 5. num. 145. Qui & pauci quidam alij volunt antiquiora iura à nobis §. 8. allata, reuocata fuiſſe per cap. fin. de Regularib. vbi Gregor. IX. circa fugitiuos & eiectos tria præcipit: Primum eſt, vt ſuperiores illos *ſollicitè annuatim requirant.* Secundum, vt ſi in monaſteriis recipi poſſint, *ſecuncundum Ordinem regularem*, Abbates & Prælati ad eos recipiendos cõpellantur, etiam per cenſuram eccleſiaſticam, *ſalua Ordinis diſciplina*, hoc eſt, vti interpretatur Gloſſa, impoſita illis pœnitentia ex præſcripto regulæ. Tertium, quod ſi diſciplina regularis non patiatur eos in illorum conſortium iterum admitti, intra eadem monaſteria *in locis competentibus*, vel in aliis domibus eiuſdem ordinis ad agendam pœnitentiam includantur. Si igitur Pontifex tam ſeuerè mandat eiectos annuatim inquiri, & in monaſteria detrudi, ibíque pœnitentiæ ſubiici, aut etiam carcere detineri, ne vagandi licentiam habeant: ſanè illos eiici è monaſteriis non vult: hæc enim pugnantia ſunt inuicem, vt vides.

Perſtandum tamen eſt in communiſſima cæterorum omnium ſententia, quos ſingillatim recenſere nihil attinet, & quàm vſu conſtanti atque authoritate, §. 8. citato ſatis ſupérque ſtabiliuimus, quàm etiam apertiſſima ratio demonſtrat: cum & bonum commune totius corporis vnius membri abſciſſione ſæpe curandum ſit, & Religionis integritas, ac ſanctitas eiuſmodi ſtrumarum reſecatione ſeruanda. 57.

Neque iure obiiciebatur hanc pœnam inutilem, immò & noxiam fore Religioſo, cuius tamen ſalutem maximè ſua illa eiectione intendit Religio: quia priuatur omnibus mediis, quibus intra Religionem iuuari poſſet ad meliorem frugem, & grauioribus ſæculi periculis rurſus obiicitur. Quis enim dicat ſæuiente mari, quem ſaluum & incolumen volueris, in medios fluctus & vortices præcipitandum eſſe?

Reſpondeo enim in primis hæc eadem aduerſus excommunicationem, interdictum, ceſſationem à diuinis & Clericorum depoſitionem obiici poſſe: priuant enim bonis ſpiritualibus, quibus maximè iuuaretur reus ad reſipiſcentiam, quam vnam primò & per ſe intendit Eccleſia ſuis cenſuris, maximè excommunicatione, quam pœnam medicinalem appellat Pontifex cap. ex literis de conſtitutionib. & cap. 1. de ſententia excommunicat. in 6. illa tamen priuat excommunicatum vſu Sacramentorum, & ſacrificij: quæ potiſſima remedia ſunt ad ſanandos animæ morbos, expertémque præterea facit communium ſuffragiorum, quibus impetrantur gratiæ actuales, ſine quibus hominem è peccati cœno emergere impoſſibile eſt. Quare videbitur hæc medicina acerbior omninò, & parum cum ea lenitate, quam in emendandis, caſtigandiſque peccatoribus præ ſe ferre debet Eccleſia, cohærere. Certum nihilominus eſt Paulum, de cuius charitate nemo dubitat, & qui monuit, vt in ſpiritu lenitatis peccantes inſtrueremus, hoc remedio vſum fuiſſe, & inceſtuoſum Corinthium tradidiſſe Sathanæ, vt ſpiritus ſaluus fieret; & aliis virgam ferream intentaſſe nullo charitatis damno: neque crudelis ille Medicus eſt, qui putridum membrum reſecat; aut paſtor, qui ſcabioſam ouem à grege ſeparat: quo ſimili ſæpiùs vtuntur Patres, & luculenter Ambroſ. lib. 2. de officiis cap. 27. & in Pſalm. 118. Auguſtin. lib. de corept. & grat. c. 15. & lib. de fide & operib. cap. 3. vbi miſericordem ſeueritatem appellat. Hieronym. in Epiſt. ad Galatas cap. 5. Proſper. lib. 2. de vita contemplat. cap. 7. & ſanè medicinam aliquando expedit auſteriorem eſſe, quod obſeruat. Cyprian. lib. de lapſis ſub medium, & Innocent. I. Epiſtol. 91. inter Auguſtinianas. Imperitus omninò Medicus eſt, qui ægrum perpetuò palpat, accuſandúſque eſt ipſe peccator, qui tam auſtero remedio volens cauſam dedit, vt fusè proſequitur Chryſoſtom. homil. in terræmotum & Lazarum: cum è contrario lugendus ſit ægrotus, qui & inuitus morbum contraxit, & ignem ac ferrum pati cogitur. Quòd verò hæc pœna eiectionis priuet Religioſum, ſicut & excommunicatio excommunicatum, & depoſitio Clericum depoſitum, pluribus bonis ſpiritualibus, quæ ad eius ſanctitatem, aut etiam emendationem plurimum conferrent; non propterea aut inutilis, aut damnanda eſt; eo quod grauia iſta incommoda ſecum afferat: omnis ſiquidem medicina dum corpus prauis humoribus purgat, ſimul damnum aliquod affert: in illa enim actione, & reactione temperamenti, cùm vi medicamenti vtrimque aliquid deperdi neceſſe eſt: quia tamen damnum illud minus eſt ſanitate, laudatur illa medicina: neque damnum eiectionis, ſicut & excommunicationis & depoſitionis eſt circa præcipua bona ſpiritualia, nimirùm interna, gratiam & virtutum habitus;

habitus; ſed in externis, vti oſtendimus §. 1. quorum carentia minor eſt; & tamen peccatorem, dum illum pudore ſuffundit, ad emendationem vehementer incitat. Adde denique ſæpiùs eſſe in poteſtate eiecti, vt & excommunicati ac depoſiti hæc omnia incommoda excutere, & Religioni atque Eccleſiæ ſatisfacere, atque adeò priſtinum ſtatum recuperare, vti dicam inferiùs. Neque eſt, quòd pluribus oſtendam hoc remedium abſciſſionis efficaciſſimum eſſe ad rei emendationem: quod idem de excommunicatione tradunt Doctores cum VValfrido lib. 1. de rebus Eccleſiaſt. cap. 17. Nam eodem planè conſilio Religio hac eiectione reos punit, quo Deus hominem peccatorem flagellis caſtigat, & ſibiipſi relinquit, virtutibus & gratiis ſpoliat, atque labi permittit, vt eius ſuperbiam frangat, vt ad ſanitatem redeat: quod idem de Eccleſia excommunicationem & cenſuras infligente obſeruauit Gabriël lect. 26. in Canon. litera K. & Ferrarienſ. opuſc. de Euangelica libertate, cap. 9. ſicut autem conſilium Dei, ea in parte & æquiſſimum, & peccatori vtiliſſimum eſt: quod luculenter oſtendit Gregor. lib. 11. moral. cap. 8. ad illud Iob. 1. *Baltheum Regum diſſoluit, & pracingit fune renes eorum.* Ita Eccleſiæ ac Religionis mens in iſtis pœnis, quibus à cæterorum conſortio arcentur, & bonorum communium commodis, & vſu prohibentur aliqui, ſanctiſſima eſt, ipſiſque peccatoribus ſaluberrima. His accedit neque Eccleſiam, neque Religionem ſpectare in pœnis infligendis ſolam rei emendationem, ſed punitionem criminis, atque aliorum exemplum, & totius communitatis bonum, quod & vindicando ſcelera, & ab illis perpetrandis cæteros perterrendo procuratur, & impeditur, ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat. Quo ſenſu pœnam omnem medicinalem eſſe oſtendit Couarruu. in cap. Alma mater initio. numer. 9. Atque de ipſa excommunicatione tradit Origen. hom. 9. in Ioan. Clem. Roman. lib. 2. Apoſtolicar. conſtitut. cap. 17. aliàs 20. Auguſtin. nuper laudatus de corrept. & grat. cap. 15. Theodotus Ancyran. homil. in Ioan. Euang. tom. 6. Concil. Epheſini cap. 9. ex editione Peltani, Gregor. lib. 12. Regiſtri, indict. 7. Epiſtol. 32. & vltima: qui omnes, aliique Patres paſſim docent ab Eccleſia maximè ſpectari totius corporis ſanitatem, cæterorúmque membrorum conſeruationem, putridi vnius reſecatione, per excommunicationem potiùs, quàm ſalutem ipſius, quod abſcinditur, eámque eſſe ſapientum omnium praxim & ſententiam admonet Chryſoſtom. homil. 36. in Math. initio: ideóque Epiſcopos, vt ſe fortes in hac parte præſtent, neque hos næuos & ſtrumas in corpore Eccleſiæ patiantur luculenter vrget Clemens lib. 2. conſtitut. cap. 4. neque alia ratio mouit veteres illos Monachorum Patres, vt contumaces & incorrigibiles è ſuis ſanctiſſimis cœtibus expellerent, quàm vt totius incolumitati prouiderent, vti ex verbis ipſorum nuper adductis conſtat. Quare cum apud Lupicinum Abbatem queritur eius frater Romanus de quibuſdam Monachis, qui propter eius ſeueritatem monaſterium deſeruerant, reſpondit ille apud Turon. de vitis Patrum c. 1. *Scias purgatam eſſe aream Domini, & triticum tantum reconditum in horreo; paleas autem eiectas eſſe foras.*

58. Ex quibus omnibus vides hanc eiectionis pœnam, vtilem eſſe eiectis, ſi ad frugem meliorem redire velint: vt enim ait Auguſtin. lib. de correptione cap. 15. *Ipſa, quæ damnatio nominatur, quam facit epiſcopale iudicium: qua pœna in Eccleſia nulla maior eſt, poteſt, ſi Deus voluerit, in correctionem ſaluberrimam cedere, atque proficere.* Eſſe quoque eam pœnam Religioni commodam quis neget? Inuita quidem illa, & cum dolore abſcindit, quod ſanari non poteſt, vt ait Ambroſius citatus; ſed prodit virus criminis, quod latebat, & ſerpentia vlcera aufert; caro morbis emortua ſi abſciſſa non fuerit, ſalutem reliquæ carnis putredinis ſuæ contagione corrumpit, inquit Proſper, quod Hieronym. Arij exemplo docet, qui vna ſcintilla fuit in Alexandria; ſed quia non ſtatim oppreſſa eſt, orbem eius flamma populata eſt. Quod itaque dixit Vlpian. l. congruit, ff. de officio Præſid. bono & graui Præſidi congruere, vt pacata, atque quieta prouincia ſit, quam regit: quod non difficilè obtinebit, ſi ſollicitè agat, vt malis hominibus prouincia careat. Valet in Religione, quæ pacata, & ſancta erit, cum praui ab ea amandati fuerint. Atque vt in pauca hæc omnia contraham: iſta eiectio neque contra iuſtitiam, neque contra charitatem, aut aliam virtutem pugnat: ergo licita eſt. Non pugnat quidem contra iuſtitiam commutatiuam: quia Religio ſeruat pactum cum Religioſo initum non eiiciendi Religioſum, niſi reddat ſe ſuis moribus expulſione dignum iuxta regulam, & indulta Pontificum. Non violatur etiam iuſtitia vindex: quia per Regulam & ius commune, atque pontificias conſtitutiones eiectio iudicata eſt iuſta pœna certis quibuſdam delictis: ergo dum illa infligitur, non exceditur menſura pœnæ debitæ crimini, niſi dicamus tum regulam, tum Pontifices turpiter erraſſe in illa pœna definienda. Non peccatur quoque contra iuſtitiam legalem, quæ bonum commune procurat; quin immò ſic maximè prouidetur quieti Religionis & ſanctitati totius Communitatis, vti oſtendimus: & quamuis non ſatis videatur delictum grauiſſimum aliquando illa eiectione puniri, poterit alia pœna tum antecedere eiectionem, tum ſubſequi, vti etiam monuimus. Sic Clericus ante depoſitionem aliquando punitur corporaliter, & poſt illam traditur brachio ſæculari damnandus ad triremes, aut capite minuendus: quæ omnia poterunt in Religioſo eiecto ſeruari. Denique non violatur charitas, quod patet ex Superioribus, & ſanè non conſtituitur eiectus in ſalutis diſcrimine, ex quo ſi lubeat, facilè ipſe emergere non poſſit. Aliam verò virtutem, in quam peccatur per eiuſmodi expulſionem, aſſignare non licet.

Hæc porrò omnia demonſtrant 59.
hanc expulſionem ex naturali iure, quo bonum communitatis priuato præponendum eſt, vniúſque membri damno corpus ſeruandum, proximè oriri. Quod verò dicebatur de contractu inter Religioſum, & Religionem inito, futile eſt: contractu enim illo ſe obligat Religioni, viuere ſecundum regulam, & diſciplinam in ea ſeruari ſolitam, eáque conditione eius profeſſionem, & ſui traditionem admittit Religio: quare dum Regulam violat, communitatem perturbat, Religionem lædit, inobedientem & incorrigibilem ſe exhibet, cum ipſe fidem Religioni

præſtitam violet, non obligatur Religio illum ampliùs retinere, ſed illum à ſe expellere poteſt: neque iure poterit Religioſus de iniuria conqueri, vt patet. Quod verò addebatur illum pœnis frangendum domi eſſe,& potiùs carceri mancipandum; neque è commodo Religionis ſæpiſſimè foret, neque ſemper facilè fieri poterit, neque id turbas in Religione ab eius partiariis, aut factioſis excitatas ſedabit, ſed potiùs fouebit, neque obſtinati ceruicem franget, neque alios deterrebit,plurimáque alia damna, eáque grauiora ſecum trahit quàm eiectio, quæ non ita liberum facit hunc reum, vt illam amare debeat: nam & aliis pœnis coniuncta eſt, & grauiſſimis difficultatibus vitæ obiicit eiectū,& infamia onerat, & præterea Religioſis votorum vinculis, aliiſque pluribus conſtrictum retinet, vti dicemus inferiùs; ita vt nullam grauiorem pœnam repererint Lerinenſes Monachi, vti nuper referebamus ex Eucherio, neque alij vitæ Religioſæ conditores, ſicut Eccleſia nullam duriorem pœnā excommunicatione, & depoſitione reperit hactenus vti iam monuimus, & ex iis, quæ de illis fuſiſſimè diſputamus in noſtra ſcientia Canonica,euidenter conſtabit.

60. Huic iuri naturali accedit, tum omnium ſapientum ſenſus & vſus, tum ius poſitiuum omnium ſtatutorum Regularium & Pontificium,atque eccleſiaſticum §.8. relatum, cui non derogauit Gregor.IX. cap. fin. de Regularibus, vti contendebant Cardin. Abbas & alij quidam. Nam vt omittam quæ de hoc textu tradunt Azor. lib. 12. cap. 17. quæſt.1. & 2. Nauarr.comm.2. de Regularib. num.36. & conſil.51. Sanchez lib.6. cap.9.num.17.& 18. Cum alij dicant Pontificem loqui de iniuſtè eiectis; alij illud caput conſuetudine fuiſſe abrogatum, cum Prælati non ſoleant annuatim eiectos quærere, vti iubet Pontifex. Exiſtimo cum Ferdinand. à Caſtro Palao tractat. 16. diſput.4. punct.19. num. 2. loqui Pontificem, non de eiectis abſolutè, ſed ad tempus duntaxat, qui niſi exacto tempore redeant, fugitiui cenſendi ſunt, ideóque cum fugitiuo comparantur, & cum illis quæruntur,& admittuntur, puniendi tamen vel in eodem monaſterio, vel in aliis eiuſdem ordinis, ſalua regulari diſciplina,prout diuerſa Religionum ſtatuta poſtulant. Inde tamen colligere non licet non poſſe illos è Religione eiici, contra quàm iubeant antiqua omnia iura, & nouiſſimè Vrbanus VIII. in decretis ſacræ Congregationis de Regularib.apoſtatis, eius iuſſu editis.

§. XII.

Quis expellere Religioſum à Religione poſſit.

CErtum eſt ad hanc expulſionem requiri iuriſdictionem; cum enim ſit actus iuſtitiæ vindicis, ſine iuriſdictione exerceri nequibit. Vnde ſequitur illum, in quo eſt ſumma iuriſdictio in Religione poſſe hanc pœnam infligere, ſiue ea reſideat in toto corpore, ſiue in generali,cuius maximè eſt corpori totius Religionis inuigilare, & quæ noxia ſunt, ab illo prohibere, ſecundum varias Ordinum diuerſorum regulas & ſtatuta. Quàre nihil ferè certi in communi dici poteſt hac in parte. Ex iure quidem communi tum ad Generalem, tum ad capitulum generale id ſpectat. Ex variis autem priuilegiis factis tum Minoritis, tum aliis 61.

ad generalem id pertinet: quæ omnia conſulenda ſunt ſingillatim, quamquam & hac in re communicari Religionum priuilegia obſeruauit Sanctarell. tractat. de apoſtaſia cap.4. num. 3. Expendendæ quoque erunt conditiones, quas requirunt Pontifices in eiuſmodi indultis, maximè cum poſtulant conſilium capituli, aut conſenſum quarumdam perſonarum: aliquando enim poteſtas fit abſolutè Prælato, cui deinde præcipitur aliorum rogare ſententias: & tunc ſi eiuſmodi conſultatio omittatur, peccat quidem Prælatus; eiectio nihilominus erit valida. Si aliàs conferatur tantùm poteſtas ſub ea conditione conſenſus aliorum, tunc omiſſa illa conditione, quæ ſubſtantialis eſt: inualida erit eiectio, vtpotè facta à non habente poteſtatem: quæ doctrina vniuerſalis eſt in omnibus illis, quæ permittuntur Prælato cum conſenſu, aut conſilio capituli, aut diſcretorum, aliorúmve, quos conſulere iubetur, vti oſtendimus in noſtra ſcientia canonica. Aduertendum quoque erit, an ſuffragia ſint ſolùm conſultiua, an etiam definitiua ex inſtituto alicuius Ordinis. Ex quibus etiam colliges, an prouinciales, aut ſuperiores quoque locales polleant hac poteſtate eiiciendi Religio: ex variis enim conſtitutionibus Ordinum, hæc, aliáque ſimilia definienda erunt: quare in his priuatis iuribus ſingillatim perſequendis non immoramur.

Vide Roderiq. tom. 1. qq. Regular. q. 30. art.16. & 17.

* * *

§. XIII.

Quam ob cauſam expelli poſſit aliquis à Religione.

Certum eſt primò ex hactenus diſputatis culpá aliquam, cámque grauiſſimam requiri ad eiiciendum aliquem à Religione, cum ea pœna grauiſſima ſit, & quæ non niſi poſt omnia alia remedia, quibus occurri poſſit periculis, quæ timentur, tentata, adhiberi ſoleat & debeat. 61.

Secundò hæc culpa publica eſſe debet, & ſcandalum generans, vti etiam ſapienter obſeruauit S. Bonau. quæſt. 14. in Regul. S. Franciſci: quandoquidem eiectio eſt pœna publica, & quæ infamiam reo creat,& vix vſurpatur, niſi vt caueatur famæ Religionis, quæ ex detentione rei illius periclitatur, & vt cæteri eo exemplo contineantur, vti diximus §. 11. Cùm autem duplex ſit notorietas, facti nimirum & iuris, vtraque ſufficiet, nimirum ſi crimen in iudicium regulare deductum ſit, & in eo ſufficienter probatum iuxta modum & formam procedendi cuiuſlibet Religionis: quod oſtenditur ex §.9. vbi diximus accuſatos fuiſſe Monachos à Præpoſitis, qui peccata reſcierunt, & per teſtes conuictos in Congregatione, aut coram Abbate: atque ita deinde fuiſſe excommunicatos & demum eiectos. Illa autem accuſatio non fuit ſemper de peccatis publicis & notoriis notorietate facti, vt conſtat: & ſanè ſi in foro externo ſufficit notorietas iuris ad quamcumque pœnam etiam mortis infligendam, & in foro Eccleſiaſtico ad excommunicationem & depoſitionem, cur eadem notorietas

rietas non ſufficiet in foro regulari ad eiectionem? Neque enim fit iniuria reo publicando delictum, quod iudicio probatum fuit, & quod puniri ac publicari bono communi conuenit, & qui eius habebunt notitiam, ſibi omninò perſuadere debent Iudicem ex æquitate proceſſiſſe.

Neque dicas hanc pœnam inductam maximè fuiſſe. Vt aliis conſulatur, ne ex rei iſtius conſortio deprauentur, vti latius oſtendimus §. 8. & 11. Illud autem timendum non eſſe donec delatum publicum ſit, & ſcandalum generet. Nam ſatis eſt, quod hoc peccatum ex natura ſua nociuum ſit aliis & ſcandaloſum eſſe queat, niſi occuratur. Quis enim dicat ſapienter expectari, vt reipſa noceat: & tunc demum reſecandum eſſe membrum putridum, vbi cætera ſua infectione corruperit. His omnium conſenſu firmatis, duæ ſuperſunt difficultates, prima an contumacia & incorrigibilitas neceſſariò requiratur ad iuſtam iſtam eiectionem. Secunda, quænam crimina digna cenſeantur hac pœna.

63. Circa primam difficultatem diſtinguenda eſt contumacia ab incorrigibilitate: illa enim eſt actualis reſiſtentia voluntatis contra monita ſalutaria: hæc verò eſt iteratus lapſus poſt adhibitam correctionem, quæ non eſt coniuncta neceſſariò cum contumacia: poteſt enim aliquis ſæpiùs labi, etiamſi quoties monetur, conuerti velit & emendari; immò vbi propter frequentiores lapſus incorrigibilis iudicatur, poteſt promittere ex animo emendationem, & tunc damnari vt incorrigibilis, non tamen vt contumax. Supponit quidem in ea incorrigibilitas aliquam contumaciam, ſed præteritam, non actu perſeuerantem: quia vbi monitus fuit & caſtigatus, cum monitioni non obediuerit, iterúmque peccarit, contumax fuit, & monitioni reſtitit, non quidem ſemper actu formali obluctando monenti, quem fortaſſis, & ſummiſsè audiit, & cuius imperata facturum ſe ſpopondit, quamuis deinde cupiditate victus in idem aut ſimile crimen impegerit, quare in actu quodam exercito contumax fuit non implendo quæ facienda monebatur.

Incorrigibilitas igitur eſt iteratio peccati contra adhibitam correctionē cum præſumptione continuandi peccati, & nulla, aut exigua ſpe emendationis: quam idcirco nemo ſapienter ſibi pollicere poteſt poſt tā frequentes & iteratos lapſus, atque adhibitas monitiones, caſtigationes & vana promiſſa. Neque neceſſarium eſt ad hanc incorrigibilitatem veram & actualem, vt aliquis ſæpiùs monitus aut punitus fuerit: nam etiam cui ſemel, aut bis condonata fuerint aliqua peccata, aut diſſimulata ſpe correctionis & emendationis; ſi tamen non ſe emendauit, cenſetur incorrigibilis, vt tradunt Iulius Clarius in ſua practica quæſt. 36. num. 34. Salzedo in pract. criminali, Dias c. 142. ver. incorrigibilis, Roderiq. tom. 1. qq. Regul. quæſt. 30. art. 15. vbi adducit declarationem curiæ Pariſienſis in grauioribus criminibus, Clericum, cui bis facta eſt venia, cenſeri incorrigibilem, & degradari ac brachio ſæculari tradi poſſe: Quod refert quoque Caſſanæus in conſuetud. Burgund. titul. de iuſtitiis §. 5. num. 66. in addition. ad incorrigibilitatem igitur ſufficiet iteratio illa lapſus, ſiue eiuſdem, ſiue ſimilium: Hanc autem iterationem geminam, aut ad ſummum ternam faciunt paſ-

ſim Doctores, quos dabit Sanch. lib.6. cap. 9. num. 4. Sayr. lib. 5. de cenſur.cap.21. num.37. Graſſis 1. p. deciſion.lib.2. cap.24.num.19.Quod conſentaneum eſt iuri cap. contingit 2. de ſentent. excommunicat. & cap. conſtitutionem eodem titulo in 6. & Regulæ S. Benedicti, qui ter fugientem è monaſterio prohibet amplius recipi. Duplex verò eſt incorrigibilitas, vna de facto, alia de iure: quod obſeruat Syluest.ver.Abbas num.6. quæſt. 3. & ver. incorrigibilitas. Hæc eſt illa, de qua iura loquuntur, cum dicunt tertiò monitum & non emendatum eſſe incorrigibilem, aut quidpiam ſimile.Incorrigibilitas de facto contingit, quandò quis reipſa non ſe corrigit, ſiue fuerit monitus, aut damnatus, ſiue non fuerit: quæ iterum duplex eſt, vna realis, altera præſumpta, vt ait idem Syluest.ver. Abbas num.6.nam vnam incorrigibilitatem præſumi de facto dicit propter conditiones veri, alteram eſſe de iure propter regulam mandantem: quia nimirum vbi quis ex variis circumſtantiis præſumitur iterum peccaturus, quamuis ſemel tantùm peccarit, dicitur incorrigibilis de facto ex præſumptione, non tamen de iure: quia ius non meminit eiuſmodi incorrigibilitatis, ſed ſupponit iteratos lapſus, vti diximus: quamquam quando quis venit in profundum malorum, vt loquitur cap.cum ab homine, de iudiciis: quia multa delicta commiſit, habetur pro incorrigibili ſecundum Petr. de Anch. conſil. 258. & Cepol.conſil.21. his obſeruatis.

64. Dico primò ad eiectionem Religioſi à Religione non eſſe neceſſariã contumaciam contra Syluest.ver.Relig.6. §.17.Armilla ver.Religio §.vlt. & quoſdam alios, qui negant expelli poſſe Religioſum, niſi ſuæ expulſioni conſenſerit: ſi enim reſiſtat, & dicat velle corrigi, expelli non debebit:eo quod expulſio comparetur à S. Thom. quod 12. argum. 37. excommunicationi, quæ non infligitur, niſi ob contumaciam. Verùm omnia iura ſuperiùs allata & antiquæ regulæ, ipſéque vſus docent etiam inuitos ac reluctantes fuiſſe expulſos à Religione: illuſtréque habemus exemplum in Pachomio, qui Syluanum ſæpiùs monitum tandem expulit, quamuis pluribus lachrymis veniam poſceret, & emendationem polliceretur: neque eiectio ob aliud comparatur excõmunicationi, quàm quia eſt ſeparatio à conſortio Religioſorum, ſicut illa à ſocietate fidelium: & quia vtraque ſemper aliquam monitionem & correctionem ſupponit.Differunt tamen, quia, vti iam ſuperiùs monui excommunicatio primò & per ſe reſpicit bonum excommunicati, & non punitionem eius; at verò eiectio primariò intendit bonum Religionis, quod commodiori via, quàm eiuſmodi morbidæ ouis à reliquo grege ſeparatione curari non poteſt, vti loquebantur Patres, qui etiam dicebant vtendum illo caſu eſſe abſciſſione & aduſtione membri putridi: quæ verba non ferunt conſenſum eiecti; immò ſi ipſe conſentiret, minorem ferret pœnam. Quæ omnia confirmantur ex depoſitione clericali, cum qua iam ſæpiùs hanc eiectionem comparauimus. Deponitur verò Clericus propter certa crimina, quãuis ipſum maximè pœniteat, & emendationem ſeriò polliceatur. Puniuntur quoque hæretici relapſi, licet impietatem abiurent. Et ſimilia plurima in iure canonico obſeruare licebit,in quibus Eccleſia pœnis tum ſpiritua-

libus,

libus, tum corporibus punit reos, quamuis pœnitentiam pollicentes.

65. Dico ſecundò, ex iure communi aliquam incorrigibilitatem neceſſariam eſſe ad iuſtam eiectionem à Religione. Ita omnes: nam iura omnia, & Regulæ Religionum de eiectione incorrigibilium perpetuò loquuntur, atque adeò aliquam incorrigibilitatem ſupponunt. Suadétque ratio: cum enim hæc pœna ſit omnium grauiſſima, quæ hominem, ſpiritualibus, & temporalibus commodis priuet, debent omnia alia remedia tentari, antequam ad iſtud deueniatur: neque ferro vtendum eſt, niſi vbi omnibus aliis medicamentis morbus obluctatur, & vt monebat S. Benedictus c. 28. adhibenda priùs ſunt fomenta & vnguenta exhortationum, atque medicamina diuinarum ſcripturarum: quæ omnia ſi inutilia fuerint, incorrigibilitatem omnino demonſtrant, & auſteriori remedio opus eſſe perſuadent.

66. Dico tertiò, ſufficere incorrigibilitatem ſiue de facto, ſiue de iure, ſiue realem, ſiue præſumptam, pro varia natura criminum, quæ puniuntur, & cæteris circunſtantiis. Ita Syluest. ver. Abbas num. 6. in eúmque ſenſum exponit S. Thom. quodl. 12. dum incorrigibilitatem poſtulat ad hanc eiectionem. Roderiq. tom. 1. qq. Regular. quæſt. 30. art. 15. Miranda tom. 1. Manual. Prælat. quæſt. 52. art. 2. concluſ. 2. de Peirin. in ſubdito Relig. quæſt. 1. cap. 25. concl. 3. Suar. tract. 8. de Relig. lib. 3. cap. 4. num. 10. & 11. Vbi ſapienter aduertit relinquendum eſſe prudentis Prælati iudicio, quandonam incorrigibilitas de iure requiratur, & quando incorrigibilitas de facto, aut præſumpta ſufficiat, an ſæpiùs monendus ſit reus, an bis, aut ter, an etiam ſemel tantum; immò an non ſit monendus, ſed diſſimulandum, an verò etiam pro peccato ſemel tantum commiſſo, vt ſtatim dicam, ſit expellendus; neque in omnibus iſtis præſcribi poteſt regula generalis, cum plurima ſingularia expendenda ſint, quoties ſingulares caſus occurrunt.

Dico quartò, non eſſe perpetuò neceſſariam propriè dictam incorrigibilitatem ad expulſionem, quæ iuſta aliquando erit, propter vnum aliquod crimen graue, & ſcandaloſum ſemel tantum commiſſum, niſi dicas tunc præſumi illum ſimilia, aut grauiora etiam commiſſurum: atque ita eo etiam caſu reperiri aliquam incorrigibilitaté ex iuris præſumptione. Ita Azor. 1. part. lib. 12. cap. 16. quæſt. 3. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap. 9. num. 5. Suar. cap. 4. cit. num. 11. & ſequentib. Ferdinand. à Caſtro Palao tract. 16. diſp. 4. punct. 19. num. 7. Roderiq. Peirin. Mirand. nuper citati. Primò, quia cum hæc pœna inſtituta ſit in bonum commune, eiuſmodi aliquando poteſt eſſe delictum admiſſum, vt famæ Religionis aliter prouideri nequeat, & ſcandalo atque offenſioni externorum ſatisfieri, quàm rei eiectione. Secundò ea ſunt aliquando delicta, quæ ſecum trahunt non modò infamiam, vbi innoteſcunt, & ſenſim alios inficiunt; ſed etiam præbent iuſtam ſuſpicionem iterationis; ita vt vix credere poſſit Religio ſe eſſe extra periculum, aut vti miniſterio Religioſi, quem nouit etiam ſemel tantum in illud peccatum lapſum fuiſſe, maximè ſi illius variæ, & frequentes occaſiones in tali vitæ genere ſæpiùs occurrant. Tertiò nonnunquam regulæ ipſæ Religionum definiunt certa peccata, quibus eiectionem infligunt: quo caſu Superior ſequi de- 67.

bet iudicium imò & imperium Regulæ, neque tantum in foro externo, ſed etiam in foro interno, cum & ſapienter ſtatuerit regula, & Pontifex, qui illam confirmauit, ita iudicarit, voluerítque expulſionem eſſe condignam pœnam talis delicti; atque ita 2. part. conſtitut. Societ. Ieſu cap.1. enumerantur cauſæ dimittendi è Societate, quarum aliquæ ad profeſſos etiam petinent, vt monebimus ſtatim, & 9. part. conſtitut. cap. 4. ponuntur illæ, propter quas Generalis non modò exauthorari, ſed etiam eiici è Societate, ſi neceſſe foret, poſſit. Quartò indulſere Pontifices pluribus Ordinibus, vt pro grauiſſimis criminibus etiam ſemel tantùm perpetratis, & vbi iudicarent expedire Religioſos expellerent. Ita Leo X. conceſſit Minoritis, & alij aliis, vti referunt Roderiq. Peirin. locis citatis, & in compendio priuilegiorum habetur. Greg. etiam XIII. noſtræ Societati in Bulla, quæ incipit: Cùm aliàs. Quintò, denique plurima peccata exilio, morte, excommunicatione, & depoſitione puniuntur etiam tantum ſemel admiſſa, vti in toto iure canonico & ciuili patet, quidni & ſimilia poterunt plecti eiectione, quamuis nulla aut correctio, aut monitio præceſſerit.

Obiicit Tamburin. tom.3. de iure Abbat. diſp.8. quæſt.7. num.7. & Bonac. quæſt. 2. de clauſura punct. 12. §.1. num.8. Decretum ſacræ Congregationis Regular. probante Vrbano VIII. quod prohibet quemquam niſi propter incorrigibilitatem à Religione expelli: neque incorrigibilem cenſeri vult, *niſi vnius anni ſpatio in ieiunio, & pœnitentia probetur in carceribus*. Derogat autem omnibus priuilegiis, & priuatis conſtitutionibus. *Sublatis*, inquit, *hac in parte ſtatutis & conſtitutionibus cuiuſque Religionis, & Ordinis à Sede Apoſtolica approbatis & confirmatis*. Non licebit igitur niſi impœnitentem, & obduratum atque formaliter incorrigibilem expellere.

Reſpondeo in primis hæc Decreta Congregationis non habere vim vllam, niſi eodem modo promulgentur, quo ipſæ conſtitutiones pontificiæ: quod fuſiùs in noſtra ſcientia Canonica oſtendimus. Secundò illud decretum non derogare priuilegiis à Pontifice factis, quandoquidem illorum non meminit: & quamuis meminiſſet, cum pleraque & ferè omnia indigeant derogatariorum derogatoriis, & nullam eiuſmodi clauſulam apponat illud decretum, ſanè illis non derogat. Tertiò explicat tantum ea, quæ ad incorrigibilitatem ex iure communi petuntur. Nam ait præter ea, quæ iure communi poſtulantur, ſe addere annuum carcerem. Quare non agit de iis, quæ ex iure naturali, aut priuato conſtituuntur. Quartò, denique cum de illo decreto vix authenticè conſtet, & vſus ipſi non conſentiat, non officit iis quæ nuper ſunt ex variis Pontificum indultis ſtabilita.

Dico quintò, quamuis, vti monebamus ex Suare, vix certò definiri 68.
poſſit, quænam peccata puniri debeant eiectione, maximè vbi incorrigibilitas iuridica non acceſſit, imò neque de facto, ſed ſolùm præſumpta; duo tamen certò ſtabiliri poſſunt, primum eſt, peccata, quæ morte expiari ſolent, aut perpetuo exilio, digna eſſe eiectione. Ita Roderiq. tom.1. qq. regular. q.30. art.18. & 19. Graffis tom.1. conſil. lib.3. de Regularib. conſil.5. num.16. Miranda tom. 1. Manual. quæſt.52. art.2. concl.3. & 4. de Peirin. in ſubdito

dito Religioſo quæſt.1. c.25.concl.4. Sanctarell. tract. de apoſtaſia cap.4. numer.7. Ferdinand. à Caſtro Palao tract.16. diſput.4. puncto 19.num.8. & probatur ex priuilegio, quod Pius V. indulſit Ordini S. Hieronymi in Hiſpania; conceſſit enim vt propter peccata, quæ iure communi damnantur morte, poſſint Religioſi expelli. Ita Capuccin. in compendio priuileg. ver. eiicere, & alij paſſim. Et euidens ratio videtur: quia cum eiuſmodi peccata grauiſſima pœna puniri debeant, neque grauiorem habeat Religio eiectione, illa ſaltem plecti debebunt.

Neque dicas leuiorem eſſe aliquando eam pœnam & minimè condignam peccato, atque ita non ſeruari iuſtitiam commutatiuam. Nam ſeruatur æqualitas pœnæ & delicti, quantum à Religione ſeruari poteſt, ſicut licet Eccleſia nunquam Clericos capite minuat, cenſetur tamen ſatisfeciſſe iuſtitiæ vindici, vbi grauiſſima delicta depoſitione puniuit; tunc enim triremibus, aut etiam morte à iudice laico puniri poterunt: quod idem dicimus de eiecto Religioſo, qui ſi nec dum ſufficienter punitus fuit, vlterius degradatione; aliiſque pœnis caſtigari, quod etiam monebamus initio.

Certum ſecundò eſt vbi regula approbata & confirmata ſingulare aliquod delictum expulſione puniri mandat, ſeruandam eſſe tum in externo, tum in interno foro, cum certiorem definitionem habere non poſſimus, & quod in foro externo licitum eſt, in foro quoque interno per ſe loquendo licitum eſt, niſi forum externum vtatur præſumptione, cuius veritas appoſita certa ſit: illam enim ſequi debet forum internum, vbi illam nouit, quamuis propter falſam præſumptionem forum externum contrarium edicat: quod principium fusè ſtabiliuimus in noſtra ſcientia canonica. Et quod attinet ad rem, de qua agimus, ſeruari tuto in conſcientiæ foro Regulam præſcribentem expulſionem alicui delicto, euincit ratio nuper allata §. 8. qua oſtendebamus in eiuſmodi expulſione neque iuſtitiam, neque charitatem lædi, neque vllam virtutem violari.

69. Dico ſextò hinc ſequi delicta quædam in quibuſdam Religionibus puniri eiectione, quæ in aliis non erunt ſufficientia ad tantam pœnam; & ideò iniuſtè illis infligeretur. Cum enim quædam Religiones ſuis ſtatutis huic delicto imponi velint eiectionem, non aliæ propter grauiſſimas cauſas, & circunſtantias, ex quibus fit, vt in vna Religione vnum peccatum magis nociuum & ſcandaloſum, quàm in alia cenſeatur, ſanè iniuſtè punietur in ea Religione tale delictum per expulſionem; in alia verò iuſtè. Vnde fit, vt in Societate Ieſu, quamuis grauiſſima cauſa requiratur ad expellendum profeſſum; minor tamen, quàm in aliis Religionibus ſufficiat; neque expectanda ſit incorrigibilitas: quod vltimum etiam in aliis aliquando licere diximus concluſione 4. Hanc aſſertionem oſtendunt Suar. tract.10. de Religione lib. 11. cap. 1. & Ferdinand. à Caſtro Palao tract. 16. diſput. 4. punct. 2. Primò ex conſtit. 2. part. cap. 2. vbi præcipuæ cauſæ dimiſſionis à Societate enumerantur, neque requiritur incorrigibilitas, neque ea dimiſſio ad ſolos non profeſſos, & votis duntaxat ſimplicibus obligatos arctanda eſt. Nam in ſuperiori capite 1. §. 1. apertè dicitur de omnibus agi: *Quamuis*, inquit,

cauſas

cauſas ad dimiſſionem dignas eo graniores eſſe oportet, quo quis arctius Societatis corpori coniunctus eſt, quantumlibet tamen quiſque ſit coniunctus in quibuſdam caſibus ſeparari ab ea poſſet, ac deberet, vt ſequenti capite videbitur. Ergo cauſæ, quas ſequenti cap.2. enumerat, ſuo modo accommodari ad dimiſſionem ipſorum profeſſorum debebunt. Vnde in declarationibus illius capitis 1. litera O. dicitur: *In quibuſdam caſibus etiam profeſſi, cuiuſcumque gradus & dignitatis in Societate ſint, dimitti poſſent, ſi retineri ſine detrimento illius, ac diuini obſequij nō poſſe iudicaretur.* Vbi vides nullam aliam cauſam peculiarem aſſignari, aut grauitatem & genus delicti, aut incorrigibilitatem; ſed ſolum bonum commune Societatis & diuinum obſequium, quod retento eiuſmodi profeſſo periclitatur: & ſanè in hunc vnum finem fuiſſe expulſionem inductam in antiquos Religioſorum mores ſæpiùs monuimus, maximè §.1. & 8. Eadem fuit Gregorij XIII. mens in ſua Extrauaganti, *cum alias*, ann.1582. 22. Septembr. Cum enim Paulus III. & Pius IV. prohibuiſſet ne quis Religioſus Societatis ad alium ordinem, quàm ad Carthuſienſem quocumque quæſito prætextu etiam ſtrictioris obſeruantiæ tranſire poſſet abſque Præpoſiti Generalis licentia: *Dubitare contingit*, inquit Gregor. *an Præpoſitus pro tempore exiſtens valeat etiam profeſſos ex cauſis id exigentibus ab ipſa Societate emittere*, &c. Cui dubitationi ſic reſpondet Pontifex: *Nos re perpenſa, atque diligenter examinata Societatis ipſius puritati atque incremento, emiſſorumque pro tempore ſaluti conſulere volentes, ſtatuimus, vt deinceps in perpetuum liceat dicto Præpoſito, quos iudicauerit ab ipſa Societate emittere*, &c. Obſeruat verò Suar.cap.1.cit.num.7. Gregorium neque nouam, neque ampliorem facultatem Generali & Societati facere, ſed confirmare duntaxat eam, quam Pius IV. conceſſerat, & certiorem ſublatis dubiis circa illam excitatis. Vides igitur Gregorium non aliam huius dimiſſionis profeſſorum cauſam requirere, quàm illam, quam ſufficientem & idoneam iudicauerit Præpoſitus Generalis ad Societatis bonum, & diuinum obſequium ſcilicet: quod volunt Paulus & Pius, dum iuſtas cauſas huius expulſionis exigunt. Hæc omnia confirmantur ex 9. part. conſtitut.cap.4. §.7. Vbi enumerantur caſus, in quibus poſſet, ac deberet Societas, vbi de illis *ſufficientiſſimè conſtaret*, Generalem officio priuare, & ſi opus eſſet, à Societate remouere. In omnibus præ oculis habendo quod ad maiorem Dei gloriam, & vniuerſale bonum Societatis fore iudicabitur. Enumerantur verò iſta peccata ibid. peccata mortalia in actum externum prodeuntia, ac nominatim copula carnalis, vulnerare quemquam, ex redditibus collegiorum aliquid ad proprios ſumptus adſumere, vel cuiuis extra Societatem donare, vel aliqua ſtabilia bona domorum, aut collegiorum alienare, vel prauam doctrinam habere. In quibus neque poſtulatur incorrigibilitas, neque omnium maximè enormia delicta recenſentur; immò aliqua, quæ non vſque adeò grauia videri poſſent, & quæ in aliis ordinibus ſine dubio non plecterentur expulſione; & tamen ſufficiunt in Societate ad ipſum Generalem non exauthorandum modò, ſed eiiciendum ex ipſa Societate. Neque aliud obſeruatur in declarationibus, quàm vt eiuſmodi defectum

probationes efficaciſſimæ ſint morali modo loquendo, ne quis locus ſit calumniæ, cui magis obnoxij ſunt, qui aliis præſunt. Vnum itaque bonum commune Societatis ſpectatur in puniendis delictis per eiectionem è Societate,& non tantùm ipſa enormitas, & atrocitas criminum attenditur. Ratio eſt, quia cum Societas tota in proximorum ſalutem incumbat, maximè indiget bono nomine, ac famæ exiſtimatione, atque probis operariis, quibus tam periculoſa miniſteria credere poſſit. At verò ea exiſtimatio facilè læditur etiam culpis non atrocibus, ſed quæ in operariis euangelicis fœdos næuos inurunt: & qui in illas labuntur, aut lapſi iam ſunt, vix ſecuritatem illam, quam poſtulare debet Societas, præſtare poſſunt. Verendúmque perpetuò erit, ne & ſibi ipſis, & cæteris obſint.Et denique hoc metu eiectionis cohibentur ipſi ſocij, ne quid minus honeſtum committant: & perſuaſio illa communis Societatem prauos miniſtros non pati plurímum ad retinendam, tum integritatem, tum eius famam conducit. Ad extremum obſeruo cum Suare cap. illo 1. num. 4. debere hoc peccatum commiſſum fuiſſe poſt profeſſionem, aut ſaltem continuatum. Nam ſi ante illam contrahatur, ſupponitur extinctum & emendatum fuiſſe per ipſam profeſſionem, quæ alioquin illi permiſſa non fuiſſet: quare niſi ſit morale aliquod periculum reincidendi in illud, quod auferri intra Societatem nequeat,non erit ſufficiens cauſa eiectionis regulariter loquendo:nam ſi profeſſione emiſſa,publicè detegeretur,& infamiam, ac ſcandalũ crearet, quod dilui non poſſet, niſi eiectione,reuera illa vſurpanda eſſet,ſed id raro euenturum exiſtimat Suarez.

§. XIV.

Conſectaria ex doctrina tradita.

Ex his, quæ de natura, effectibus, & cauſis eiectionis à Religione fuſiùs diſputauimus, plures difficultates explicare licebit.

Consectarivm I.

An Moniales poſſint eÿci è monaſterio & Religione.

Difficultatem facit, quòd eæ rationes, quæ, viros à Societate Religioſa expellendos eſſe perſuadent, vbi ſuo exemplo aliis nocent, & obdurati in ſuis ſceleribus perſiſtunt, æquè valeant in Sanctimonialibus. Et S. Auguſtin. in ſua Regula cap.23. idem ſtatuit circa Sanctimoniales,quod de Religioſis hac in parte edixerat.Nihilominus tamen hanc pœnam eiectionis vix vnquam legimus in fœminis vſurpatam; immò eius contrarium ex pluribus antiquis monumentis licet colligere. Nam cum fornicatio, & ſacrilegæ nuptiæ in Sanctimonialibus maximum crimen, & grauiſſimè puniendum ſemper viſum fuerit; nunquam tamen eiectione è monaſterio punitum fuit, ſed aliis pœnis. Baſil. quidem can.18. ad Amphiloch. teſtatur illas olim inſtar Digamorum punitas fuiſſe, & poſt annum ad communionem admiſſas, nimirum ex præſcripto Synodi Ancyranæ can.19.Ipſe tamen Baſil. tum eo loco, tum can.60. tanquam adulteras puniri mandat. Aliquando emẽdari prouidentia Epiſcopi iubentur:ſic Synodus Romana ſub Eugenio II. & Leone IV. c.29. 70.

& ſub Innocentio II. cap. 5. frequentior verò huius criminis pœna erat priuatio communionis vſque ad vitæ exitum Triburienſe cap. 23. & 26. Eliberitan. cap. 13. ſi toto vitæ tempore pœnituerint; alioquin nec in fine dandam illis eſſe communionem negat. Aliæ tamen Synodi illud pœnitentiæ & communionis tempus, vel contraxerunt, vel arbitrio Epiſcopi reliquerunt. lib. 7. capitular. c. 257. ſuſpenduntur à communione, donec quod deliquerint, emendauerint. Aurelian. 5. cap. 19. *Si culpam ſequeſtratione ſanauerint* (rumpendo ſcilicet infanda coniugia) *ad communionis gratiam reuocentur.* Arelatenſe 2. can. 52. Toletan. 1. cap. 16. decem annorum pœnitentiam præſcripſerat antequam ad communionem admitteretur deuota lapſa; ſi verò maritum duxerit, non admittitur ad communionem, niſi marito defuncto egerit pœnitentiam; ſi autem viuente eo pœnituerit, nullo modo niſi in vltimo accipiet communionem. Carthaginenſ. 4. can. vlt. tempus priuationis huius communionis viduis & Sanctimonialibus præuaricantibus non definiuit, ſicut neque Foroiulienſe cap. 11. ſed vbi digna fuerit earum pœnitentia, quibus paſſim ſimilia decreta reperias; nullibi autem eiectionem à Religione, immò ne è monaſteriorum quidem cœtu & Eccleſiarum conuentibus eliminandas, ſed in ergaſtula retrudendas eſſe, vt ibi purificatorio pœnitudinis igne decoquantur ſtatuit Triburienſ. cap. 23. & 26. lib. 2. capitular. cap. 2. referuntur acta Synodi habita à Bonifacio Mogunt. Apoſtolico legato & Francorum Epiſcopis ſub Carolo Martello. ann. 742. vbi ſtatuit, vt ancillæ Dei in crimen fornicationis lapſæ in carcere pœnitentiam faciant in pane & aqua per annum, & omnes capilli earum radantur, in ignominiam ſcilicet. Nam non fuiſſe attonſas olim ſacras Virgines, & Nonas velatas fuiſſe alibi oſtendimus. Quod ſi ad ſæculum redirent, & ad nuptias, ad monaſteria denuò reuocabantur. Nam Concil. Meldenſe cap. 67. de eiuſmodi Sanctimonialibus lapſis ſic ſtatuit: *Ipſa verò locis congruis pœnitentiæ retrudantur, & ad habitum Religionis redire cogantur.* Et cap. 70. *Si detegi potuerint Epiſcopali authoritate, & regia poteſtate in talibus locis reſidere ſub teſtimonio religioſo cogantur, vbi pœnitentiam fecerint dignam aſſequantur etiam fructuoſam.* Et ne quis hac in re dubio locus eſſe poſſit, Sanctimoniales, quæ propter ſua facinora è monaſterio fuerant eiectæ, ad illud reuocari iubet Synodus Metenſis ſub Arnulpho Rege cap. 6. iuxta antiquos Canones. *Duæ Sanctimoniales propter ſuum facinus de monaſterio ſine velamine erant eiectæ; ſed iuxta ſacros Canones ſancta conſtituit Synodus, vt velamina illis redderentur, & intra monaſterium in ergaſtulo ponerentur, paruo pane, & aqua breui, cum abundantia diuini verbi vſque ad ſatisfactionem fruerentur.* Et Concil. VVormat. cap. 6. *Fœminæ, quæ ſacro velamine ſunt conſecratæ ſi fuerint, quod nolumus, fornicatæ, velamen deponere non præſumant, ſed pœnitentiæ iugo ſubmiſſæ ſummopere decertare feſtinent, vt ad indulgentiæ & remiſſionis valeant gratiam peruenire.* Ex quibus vides antiquos Eccleſiæ mores & ſenſum, & nunquam eiectas è monaſteriis fuiſſe Sanctimoniales in ſuorum ſcelerum pœnam.

Reſpon

71. Reſpondeo in primis pleroſque ex his canonibus agere de Sanctimonialibus, quæ domi ſuæ manebant, quas vbi venere illicita peccarint, iubent Synodi in ergaſtula, atque etiam in monaſteriorum carceres ad pœnitentiam retrudi; aliàs verò condigna ſatisfactione & pœnitentia ſcelus eluere, intereáque Euchariſtica communione abſtinere: vnde nihil licet colligere ad eiectionem, de qua agimus, impugnandam.

Secundò dico eas, quæ in monaſteriis degebant, fuiſſe aliquando & ſegregatas, & è monaſteriorum cœtu, atque Eccleſiarum conuentibus eliminatas, vt loquũtur Foroiulienſis & Tribarienſis Synodi, quibus verbis exprimunt eiectionem, de qua agimus. Huic tamen pœnæ fuiſſe additum carcerem, & ergaſtulum, vt aiunt, quod etiam vult Metenſe Concilium; VVormatienſe autem loquitur de ipſis, quæ ſponte velum deponebant, vbi lapſæ fuerant: quas velum iterum ſumere cogit, ne ſe liberas omni lege fingant, atque impunè peccare audeant. Tertiò cum in omnibus Canonibus agatur duntaxat de lapſu carnis, ſapienter ſtatüerunt Patres ad caſtigandam frænandámque ſacrilegam illam venerem, vt eiuſmodi Sanctimoniales non haberent vagandi licentiam; ſic enim faciliùs peccarent, & maiori cum ſcandalo, atque infamia Religionis: quare neque bonum commune Religionis, neque emendatio Sanctimonialis obtineretur, quod tamen quærit per eiectionem Religio. Cum igitur ratio illa boni communis, quæ perſuadet eiectionem Religioſorum à Religione non modò ceſſet in Sanctimonialibus, ſed omninò contrarium poſtulet, vt nimirum non eiiciantur, ſed potius perpetuo carcere teneantur, aliiſque pœnis caſtigentur: exiſtimo non eſſe licitam illarum eiectionem contra Sanch. lib.6. cap.9. n. 6. Qui quamuis nolit inconſulto Pontifice hanc pœnam aduerſus Moniales vſurpari; in rigore tamen iuris illam licitam eſſe exiſtimat; ſed malè omninò, cum ea pugnet cum bono communi Religionis, cui infamiam creat, & cæteris offenſionem, & foueat potiùs crimina Monialium, quàm corrigat. Vnde Eccleſia nunquam illa vſa fuit.

Consectarium II.

An liceat expellere à Religione eum, qui tacuit impedimentum, propter quod non fuiſſet admiſſus ad profeſſionem.

NOn ago de impedimento eſſentiali, ſiue ſubſtantiali ſecundum diuerſa Religionum ſtatuta: cum enim profeſſio cum illo facta irrita omninò ſit, non tenetur Religio, vbi illud impedimentum & nullitatem profeſſionis agnouerit, illam denuò acceptare, ſed poteſt expellere non Religioſum; immò & fortaſſis neque cum eo diſpenſare, ſi tale impedimẽtum perſeueret. Quæſtio igitur eſt de impedimento aliquo ſecundario, aut accidentali, cuiuſmodi eſt æs alienum, morbus aliquis infamis, obſcuri, aut damnati natales, vt Iudæorum, aut Maurorum. Fraudem igitur & dolum à tacente hoc impedimentum iuſtam cauſam dari expulſioni, quamuis profeſſio ſit valida, exiſtimauit Nauarr. de Regularib. conſil.26. Sà ver. Religio numer. 34. Roderiq. tom. 2. ſumm. cap.6. numer.3. Vega tom.2. 72.

ſumm. cap. 50. caſu 4. Sanch. lib.7. de matrim. d.37. num. 53. Layman. lib.4. tract.5. cap. 13. num.1. Placet tamen non eſſe hoc loco ſufficientem cauſam expulſionis, cum aliis pœnis plecti queat ea fraus, & culpa quodam zelo, ſed temerario Religionis admiſſa, & cum nulla infamia Religioni inde creetur, neque bonum commune periclitetur. Ita cenſet Ferdinand. à Caſtro tract.16. diſp.4. punct. 19. num.9. Bonac. q.2. de clauſura punct.12. §.1. num.7. Et qui ſuam ſententiam retractarunt, Roderiq.tom.3.qq.regular.quæſt.17. art.9. & Sanchez lib.5. in Decalog. cap.4. num.58.

Consectarium III.

An qui ineptus eſt ad obſeruationem regulæ, & omnia Religionis officia, poſſit expelli.

73. Ratio dubitandi eſt: quia vidimus quoſdam Religioſos, qui ob morbos, & valetudinem inepti erant ſeruandæ Regulæ; cum tamen non decumberent, permiſſos eſſe à ſuis ſuperioribus, dimiſſo habitu regulari in ſæculo ſub obedientia Ordinariorum viuere, datis in eam rem literis, ordinis ſigillo munitis, & manu tum ſecretarij Ordinis, tum ipſiuſmet Generalis ſubſcriptis.

Reſpondeo in hoc caſu non eſſe veram expulſionem & eiectionem à Religione, quæ in grauis delicti pœnam, & ad Ordinis integritatem ſeruandam vſurpatur, ſed eſſe permiſſionem, aut diſpenſationem commorandi extra clauſtrum, dimiſſo habitu, de qua diſputauimus cap.2. §.3. Conſectar. 1. quámque ex graui neceſſitate & vtilitate, vel monaſterij, vel ipſius Religioſi, vel proximorum metiendam eſſe monebamus. De hoc caſu ſingulari nihil comperi: non damnarem tamen eiuſmodi Religionum praxim, atque eos Religioſos tutos eſſe in conſcientia cenſerem: quod facilè colligitur ex iis, quæ loco citato diximus. Et ſanè poſſe Religioſum ex conſilio Medici, & de ſuperioris licentia extra conuentum etiam dimiſſo habitu degere ad curandam ſanitatem docent Roderiq. tom. 3. qq. Regular. q. 53. art.5. Nauarr. conſil.70. de Regularib. de Peirin. de ſubdito Religioſo quæſt. 1. cap. 23. Qui etiam dicunt poſſe Generalem permittere Religioſo ad triremes damnato, & poſtea reſtituto, vt ſeruiat alicui hoſpitali, aut Eccleſiæ ſub obedientia ordinarij, aut vt vitam eremiticam ducat; volunt tamen habitum retineri. Vide Nauarr. conſil. 74. de Regularib. negat tamen idem Roderiq. q. citata art.6. Generales Ordinum poſſe iuſtis ex cauſis concedere Monachis, vt maneant extra clauſtra in habitu Clericali decenti ſub obedientia ordinarij; verùm dicti ſui nullam rationem affert. Et ſapienter aduertit Nauarr. conſil. 70. de Regularib. num. 8. *Iure non eſſe determinatum quæ cauſa ſit iuſta ad exeundum, & manendum extra monaſterium, vel relinquendum habitum: & ita relinqui arbitrio boni viri determinandum.* Ex iure igitur communi poterit Superior hæc omnia permittere in caſu, de quo agimus, ſi omnibus momentis expenſis, ita expedire Religioni, ipſíque Religioſo videatur. Aliorum tamen ſenſum hac in quæſtione lubens conſulerem.

Consec

Consectarium IV.

Religioſus eiectus tenetur ad Religionem redire, & ad id cogi poteſt à Religione.

74. NOn agimus de inualidè eiectis; cum enim hi non ſint abſoluti ab obligatione religiosè viuendi, debent, quantum in ipſis fuerit, eiuſmodi obligationem implere. Neque etiam ſermo eſt de illo, qui ad tempus duntaxat eiectus fuerit, eo enim tranſacto debere ad Religionem redire, niſi fugitiuus haberi velit, certiſſimum eſt. Quæſtio itaque eſt de illo, qui validè in perpetuum per ſententiam definitiuam pro vario procedendi diuerſarum Religionum modo, fuit expulſus.

Aio itaque primò Religioſum expulſum teneri mores deprauatos corrigere, atque ita dignum ſe exhibere, qui priſtino ſtatui reſtituatur. Sic Sotus lib. 7. de iuſtit. quæſt. 2. art. 5. in ſolut. ad 3. ſub fin. Graffis 1. part. deciſion. lib. 3. cap. 5. num. 147. Angles in florib. 2. part. de voto art. 2. difficult. 8. Aragon. 2. 2. quæſt. 88. art. 3. ad 2. §. dico 2. Sayr. in claui lib. 6. cap. 9. num. 25. Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 9. numer. 25. Nald. in ſumm. ver. Religio. Molin. tract. 2. de iuſtit. diſput. 140. Frideric. de Sen. conſil. 134. Mirand. tom. 1. manual. quæſt. 52. art. 3. & alij inferiùs adducendi cum Suar. tract. 8. de Relig. lib. 3. cap. 5. num. 4. Corduba in regul. S. Franciſ. q. 21. Cùm enim vi ſuæ profeſſionis, quæ, vt dicam inferiùs, non diſſoluitur per hanc eiectionem, teneatur ad viuendum ſecundum illum ſtatum, obligatur non modò quantum poterit, illum non impedire, ſed etiam procurare; alioquin ſi ſecundum illum non viuat, vti obligatur, non excuſabitur, quandoquidem ſua culpa ſe extra illum conſtituit, & non tollit impedimenta ſeruandæ illius obligationis, ſed lubens ea ponit, aut ponere pergit: quod ſapienter confirmat Suarez ex illo, qui voto ingrediendi Religionem ligatur: ſimul enim tenetur tum ad non ponendum impedimentum ſuæ in Religionem admiſſionis, tum ad illam procurandam, quantum licuerit moraliter loquendo; alioquin reuera non implet obligationem ſui voti. Religioſus verò profeſſus, quamuis eiectus potiori multò ratione tenebitur obligationem religiosè viuendi, & intra ipſam Religionem implere: quandoquidem, vti monui, eiectio obligationem non abſtulit, maximè cùm culpa ipſius eiecti contigerit; alioquin ſua iniquitas illi patrocinaretur.

Aio ſecundò hunc eiectum teneri omni ope ſuam in Religionem admiſſionem petere & procurare: 75.
quod tradunt Doctores allati, & ratio Superioris aſſertionis euidenter oſtendit. Nam qui obligatur in aliquo ſtatu viuere, ſibi illum procurare omnino debet, & illum acceptare, quoties in eum admittetur, vt oſtendebamus in habente votum ſimplex ingrediendi Religionem. Adde hunc Religioſum, quem nemo negabit ad emendationem obligari, nunquam cenſeri emendatum, donec ſubmiſsè flagitet iterum in ordinem ſuum admitti, vt Religioni, quam ſuis prauis moribus violauit, faciat ſatis. Quare exiſtimauit Tabiena ver. Religio num. 25. illum varia monaſteria adire oportere, neque vna repulſa contentum eſſe, quamdiu pro-

babilis aliqua ſpes admiſſionis afful-gebit.

76. Aio tertiò, Religionem poſſe Religioſum à ſe expulſum reuocare, dum libuerit, illúmque teneri parere. Ita Suar. lib. 3. tract.8. de Relig. cap. 5. à num.6. & tom.5. in 3. part. diſput.27.num.20. Syluest. ver. apoſtaſia, quæſt.6. num.10. & verb. Religio 6. quæſt.12. num.12. S. Bonau. in Regul.S.Franc. quæſt.14.Cordub. in eamd. Regul. quæſt. 21. punct.3. Humbert. in regul. S.Auguſt.cap.99. Paſſarell. in priuileg. Minimor.c.16. de Peirin. in ſubdito Religioſo q. 1. cap.25. concl.7. Vaſq.1. 2. diſp. 165. cap.8. n.87. Molin. tract.2. diſp.140. §. quoad votum. Leſſ. lib.2. cap.41. dub.15.num.111. Layman. lib.4. tractat.5. cap.13. quæſt.3.num.6.Sanch. lib.6.in Decalog. cap.9. num.30.Ferdinand.à Caſtr.Palao tract.16.diſp.4. punct.21. num.5. Bonac. & alij concluſ. 1. relati: qui & alios dabunt. Contra Nauarr. comm.2.de Regularib. num. 33. vbi dicit; ſic eiectum deſinere eſſe regularem, & membrum obedientiarium illius: & n.36. hanc ipſam quæſtionem pluribus tractat, probátque ſententiam negantem ex Gloſſa Bernardi in cap. vlt. de Regularib.dum ait fugitiuos compelli poſſe ad redeundum, & de eiectis tacet, quaſi alia ipſorum ſit conditio hac in parte. Quo eodem modo loquitur ibid. Abbas in vltimo notabili, & Cardinalis notab.3. q.7. quibus etiam adde Anton.3. p.tit.16. cap.5. in princip. Qui omnes aliter de fugitiuis, quàm de eiectis loqui videntur quoad iſtam compulſionem. Eamdem ſententiam docuit idem Nauarr. conſil. 77. de Regularib. vbi eiuſmodi eiectum non ampliùs ſubdi Prælato regulari contendit. Idem habet conſil. 78. & conſil. 79. Indéque tandem concludit conſil.80. non poſſe cogi, vt ad Religionem redeat. Eius tamen ſententiam qui notas appoſuit in conſil.77. confutat ex Frederico de Senis Bonauent. & aliis, Nauarro ſubſcripſit Azor. tom.1. lib.12. cap.16. quæſt.6. & cap. 17. quæſt. 1. Sà ver. Religio, n.40.in antiquis editionibus: exoluit enim illum omni obedientiæ voto. Roderiq.tom.2. ſumm. cap.95. n.11. & tom.1.qq. Regular. q. 30. art. 20. Tolet. lib.4.c.18.n.1.Sayr.lib.6.Theſauri cap.9. num.26.

Probatur verò ſententia noſtri Conſectarij ex dictis §. 1. Religioſus eiectus manet verè Religioſus,neque per eiectionem ſoluitur eius profeſſio, ergo obligatur ad omnia ipſi eſſentialia, cuiuſmodi eſt obedientiæ votum. Quam conſequentiam, quamuis perſpicua ſit, iterum inferiùs confirmabo:ergo tenebitur obedire, quoties illi imperabitur aliquid ad Religionem,& ad profeſſionis obligationem pertinens, cuiuſmodi eſt manere intra Religionem, à qua obligatione per eiectionem excuſabatur tãtum per impoſſibilitatem: non enim erat in ipſius poteſtate manere in Religione, à qua expellebatur. Cum igitur à Religione reuocetur, & poſſit implere id, ad quod obligabatur, omnino implere debet. Et ſanè ſi eiectio liberaret eiectum omni eiuſmodi obligatione, commodum ex ſua iniquitate reportaret, & maiorem libertatem, quàm antea haberet, aſſequeretur, atque omnia importuna onera à ſe excuteret: quare pœna non eſſet eiectio: priuare igitur debet eiectum Religionis commodis, & non abſoluere ab obligatione, quam ſua profeſſione contraxerat, niſi in iis, in quibus illius impletio actualis cum ipſa eiectione

ctione pugnat, cuiuſmodi eſt actuale, vt ita dicam regimen Superiorum; non verò poteſtas iterum regendi, dum lubebit. Cum itaque poſſit ad priſtinum ſuum ſtatum redire eiectus, dum à Religione reuocatur, & obligationem, qua ſemper tenebatur, ſoluere, non poteſt ab illa ampliùs ſe eximere, ſed omninò illam implere cogitur. Neque obſtat, quod Nauarr. & Sot. lib. 7. de iuſtitia quæſt. 2. art. 1. ad 3. dicunt Religionem, dum noluit petentem admittere, ceſſiſſe iuri illum repetendi, ac proinde ſi repetat, abſque iure repetere: ideóque illum non teneri reuocantem audire. Nam non magis ceſſit ſuo iuri Religio non admittendo poſtulantem admitti, quàm peccantem eiiciendo: nam æquè propter ſua demerita non admiſit, atque expulit; eo quod nondum aut condigna pœna emendaſſet delictum, aut in illo pergeret, aut ſpem melioris frugis non ſatis firmam daret, aut bonum Religionis æquè poſceret illam non admiſſionem, atque primam eiectionem: quare quod ſemel, aut iterum, aut ſæpius repulſam fuerit paſſus, non acquirit ius aliquod aduerſus Religionem ad eius mandata detrectanda, aut immunitatem ab obligatione redeundi, vbi poterit & reuocabitur, ſicut tenebatur, vbi primum fuit eiectus, & nondum admitti petierat. Adde neque Religionem poſſe omninò & abſolutè, ſiue irreuocabiliter cedere iuri ſuo. Cum enim illud ius ortum ex profeſſione primò & per ſe Deum reſpiciat: illud laxare ſine iuſta cauſa nequit Religio: atqui licet dari poſſit iuſta aliqua cauſa ad eiiciendum Religioſum, ac proinde ad cedendum vſui iuris, quod habet Religio in illum; nulla tamen poteſt eſſe ad abdicandam omnem poteſtatem, qua pollet in ipſum & eximendum Religioſum omni obligatione; ita vt nó teneatur redire ad Religionem, quantum ex ſe eſt, niſi ſoluatur vinculum profeſſionis, vt patet, & ex Monacho, aut Religioſo fiat non Monachus nó Religioſus: quod neque facit eiectio, neque facere poteſt Religio. An verò & quomodo id valeat efficere Pontifex, alius eſt diſputandi locus in noſtra ſcientia canonica. Et quia obligatio eſt reciproca inter Religioſum & Religionem, nequit Religioſus eiectus liberare Religionem obligatione illum iterum admittendi, vbi cauſa eiectionis fuerit omnimodè ſublata: quia & delictum punitum eſt, & ceſſat omne periculum futuri alicuius incommodi, & infamiam Religionis, ac bonum commune integra manent, atque cætera eiuſmodi, quæ iuſtam reddebant eiectionem prorſus deſinunt. Quia cum contractus profeſſionis obligationem reciprocam eſſentialiter inuoluat, vti iam monui, quamdiu non reſcinditur ille contractus per ſolutionem profeſſionis, maneat neceſſe eſt obligatio illius.

Secundò nunquam innocens priuatur iure ſuo propter peccatum alterius: quare quando innocenti conceditur facultas alium à ſe abiiciendi; non idcirco priuatur iure ipſum aut retinendi, aut expulſum reuocandi; alioquin quod datur illi in fauorem, cederet in ipſius detrimentum, contra communem regulam l. Quod fauore. C. de legibus, & Regul. 61. de Regul. iuris in 6. Vnde fit, vt licet coniux innocens poſſit adulterum repudiare; illum tamen, ſi velit, retinere poteſt: & nocens diuertere nequit, tenetúrque 77.

ad

ad debitum coniugale, atque vitam maritalem. Immò facto diuortio poterit innocens nocentem reuocare condonando illi iniuriam; atque adulter tenebitur in conſortium maritale redire, quamuis aliàs redire voluerit, neque ſit permiſſus. Quod enim coniux innocens voluerit vti iure ſuo & fauore ſibi conceſſo, non liberat nocentem & adulterum onere cohabitandi & reddendi debitum, vbi placuerit innocenti non ampliùs vti iure ſuo, & mutarit priorem voluntatem. Quæ omnia ex cõmuni Doctorum tradit Sanch. lib.10. de matrimon. diſput. 10. q.1. Cùm igitur in hoc diuortio ſpirituali Religionis & Religioſi eiecti Religio ſit innocens, atque ex ſibi conceſſo iure eiectum propter ſua crimina repudiarit, non priuauit ſe iure illum reuocandi, vbi expediens eſſe iudicauerit, manétque eiectus obligatus redire & reconciliari Religioni, vbi illa voluerit. His omnibus accedit cap. vlt. de Regularib. quod iubet annuatim ſollicitè inquiri fugitiuos & eiectos à Superioribus: & ſi redire noluerint, ad id cenſuris compelli. Tenentur igitur redire: & niſi faciant, peccant: neque caput illud agit de eiectis duntaxat iniuſtè, vt exiſtimat Nauarr. ſed de omnibus, vt patet ex ipſo textu. Quod verò aliqui Canoniſtæ, quos adduxit Nauarr. dum compulſionem iſtam explicant, de ſolis fugitiuis loquantur, & de eiectis ſileant, non facit ius: neque propterea negant eiectos cogi non poſſe; ſed ex eo textu colligitur potiùs, vti aliàs monui, eiectos, vbi contumaces ſunt, & nolunt redire vocati, iam inter fugitiuos cenſeri, atque adeò illorum pœnis damnandos eſſe. Quæ verò in contrarium adducit Nauarr. parum firma ſunt, nimirum, quòd res iudicata per definitiuam ſententiam ſeruanda ſit. l. res iudicata. ff. de Regul. iuris. Adde quòd exceptio rei iudicatæ impedit litis ingreſſum Clem.1. de except. Per ſententiam præterea definitiuam extinguitur obligatio, quæ ampliùs reuiuiſcere nequit, vbi in perpetuum ſublata fuit l. qui res, §. vlt. ff. de ſolut. Et ſicut Clericus degradatus cogi nequit, vt ad ſuum gradum redeat; ita neque Monachus eiectus, vt repetat ordinem ſuum; in eóque ſuſtineat infamiam, & opprobria ſuæ eiectionis, atque ita puniatur propter peccata, quæ iam adeò ſeuerè per eiectionem punita ſunt. Hæc, inquam, omnia nihil efficiunt: nam in hoc caſu non mutatur res iudicata, ſed finitur eius effectus tempore ab ipſa virtualiter præſcripto: eius enim ſenſus eſt, vt Religioſus eiectus tamdiu maneat extra monaſterium & actuale regimen Superioris, quamdiu videbitur Religioni: ſicut ſententia definitiua diuortij non mutatur, quando innocens cogit nocentem ad ſe redire: quia illa conditio continebatur in ea ſententia. Non fuit etiam ſublatum vinculum profeſſionis, neque obedientiæ votum, aut illius obligatio; ſed ſolùm eius vſus actualis, & exercitium per materiæ ſubtractionem impeditum. Degradatus quoque tenetur ad omnia, quæ ſunt oneris clericalis; non ad ea, quæ ſunt honoris & vtilitatis, quibus priuatus eſt. Obligatio autem redeundi ad Religionem, & obediendi eſt onus vinculi profeſſionis religioſæ, & voti obedientiæ, quo proinde non abſoluitur eiectus, quamuis aliis religioſis commodis priuetur, & degradatus à Pontifice, à quo ſolo gradui reſtitui valet, compelli poſſet ad reaſſumendum

dum gradum ſuum. Et denique non reperitur ſpeciale votum obedientiæ ad exercenda munera eccleſiaſtica, ſicut in Religioſo etiam eiecto ad viuendum in Religione, quando in eius fuerit poteſtate. Fruſtrà verò timet aut infamiam, aut exprobrationem peccati admiſſi, tum quia Superiorum fuerit illam impedire: tum quia ſi ea ſequatur, non eſt noua pœna, aut punitio, ſed aliquid cum antiqua obligatione connexum, & cui ipſe ſuo peccato cauſam dedit, & quidpiam omnino extrinſecum, & per accidens ex eiectione iuſta conſequens.

CONSECTARIVM V.

An Religio cogatur eiectum iam emendatum admittere.

78. HÆc quæſtio naſcitur ex ſuperiori: cum enim oſtenderimus Religionem poſſe reuocare eiectum, illúmque ad redeundum cogere; videtur quoque Religioſum, vbi fuerit emendatus, poſſe compellere Religionem ad ſe admittendum, cùm, vti ſæpius monuimus in profeſſione fiat reciprocus contractus, atque ita cenſent Cordub. in Regulam S. Franciſ. cap. 2. q.21. punct.2. Leſſius lib.2. cap. 41. dub.15. n.112. Molin. tract. 2. de Iuſtit. diſput.140. §. quoad votum. Turrecrem. in Regul. S.Benedict.tract.88. Sylueſt.ver. apoſtaſia quæſt.5. numer.10.ſequuti Nauarr. conſil.78. de Regularib.n.3. Peïrynis in ſubdito Religioſo q. 1. cap.25.con.5. Qui etiam refert apud Minimos ſuos ita ſtatutum fuiſſe in Capitulo Barchinon.

Plerique tamen ex his Doctoribus limitant ſuam ſententiam, niſi Religio iuſtas habeat cauſas non admittendi eiuſmodi eiectum: quia vel inde naſceretur ſcandalum, vel id confert ad aliorum terrorem, aut quia inhabiles ad Ordinis officia, aut morbo aliquo contagioſo affecti redibunt.

Exiſtimarim ego cum Sanch.lib.6. in Decalog. cap.9. num.32. & Suar. tract.8. lib.3. cap.5. numer.13. Religionem non teneri ad recipiẽdos hos eiectos, quos per ſententiam iuſtam in perpetuum à ſe ablegauit. Neque enim eiectio in emendationem tantum rei, ſicut excommunicatio infligitur: vnde fit, vt poſita emendatione, & ſublata contumacia, tollenda ſit excommunicatio; ſed in punitionem & bonum Communitatis. Quare cum perpetua eiectio iudicata fuerit iuſta pœna delicti, quamuis illud emendetur, non tenetur Religio pœnam illam mutare, ſicut etiam contingit in degradatione Clerici: neque enim, vbi fuerit correctus, cogitur illum Eccleſia ſuæ dignitati reſtituere. Idem videmus in omnibus aliis delictis, in quibus ex antiqua diſciplina in extremo tantùm vitæ reſtituitur communio: & qui damnantur aut exilio perpetuo, aut triremibus, aut bonorum mulctatione, quamuis deinde emendentur, & ſatisfacere velint, non abſoluuntur ſuis illis pœnis, atque vt aliquid magis accommodatum afferamus, quamuis coniux nocens debeat parere innocenti illum ad maritalem vitam reuocanti; nequit tamen cogere innocentem, vt ſibi reconcilietur, quamuis iam emendato, vt ex communi Doctorum ſenſu conſtat. Cum itaque in hoc diuortio ſpirituali Religio expellens & diuertens ſit innocens, non poterit ab expulſo nocente ad reconciliationem cogi.

Consectarivm VI.

An Religioſi eiecti poſſint, ſi libeat, aliam Religionem ingredi, an ad illum ingreſſum teneantur, aut ſaltem cogi à ſuo Superiore valeant.

79. OMnes iſtæ quæſtiones inuicem implicatæ ſunt: quare ſimul ex hactenus diſputatis facilè diſſoluētur.

Primò igitur poteſt eiectus ſua authoritate abſque vlla noua licentia aut Pontificis, aut proprij Prælati quamcumque aliam Religionem ingredi etiam laxiorem, vbi ſpes redeundi ad ſuam omnino excidit: quia cum admitti iterum petierit, repulſam tulit. Ita paſſim Doctores cum Nauarr.conſil.78.de Regularib. Sà ver. Religio, num. 40. Armilla verb. Religio, num.15. Paſſarell. de priuilegiis Minimor. cap.39. Roderiq. tom.1. qq. Regular. q.30.art.22. & tom.2. ſumm.cap.6. num.11. Sanctarell. tract. de apoſtaſ.cap.5. dub.1. num. 15. Sorbus in compend. priuil. mendic. ver. eiicere ſub fin. Antonin.3. part. tit. 16. cap.4. fin. Bonac. quæſt. 2. de clauſura, punct.12. §.4. num. 1. Sanchez lib. 6. in Decalog. cap.9. num. 36. Ferdinand. à Caſtro tract.16.diſp.4.punct.22.Suar.tract.8. de Religione, lib.3. cap. 5. num. 18. licet videatur contrarium docuiſſe tom. 5. in 3. part. diſput. 22. ſect.5. num.30. & requirere licentiam Pontificis: quod etiam voluit Cordub. in Regul.S.Franciſci cap.2.quæſt.21. punct.3. Tabiena ver. Religio, q.25. & Angel. eod. verbo num. 42. Prælati licentiam exigunt, eo quod non maiorem habeant licentiam eiecti, quàm alij Religioſi non eiecti, quandoquidem manent Religioſi illius Ordinis, illique ſubiecti, ad quem dum reuocabuntur, redire tenentur, vti diximus conſectario proximo.

Noſtra tamen, eáque communis ſententia oſtenditur vulgò, ex eo quod poſſit hic eiectus in ſæculo manere, quidni & Religionem ingredi poterit? Dici tamen poſſet, dum manet in ſæculo, manere ſemper membrum ſuæ Religionis, & illi ſubditum, qua ſubiectione omnino ſe eximit, dum aliam ingreditur Religionem: vbi enim fuerit in illa profeſſus, non poterit à priori reuocari,cui proinde facit aliquam iniuriam, dum eius iuri ipſemet ſe ſubducit. Verùm ius Religionis in Religioſum non eiuſmodi profectò eſt, vt dum illum à ſe ablegauit,poſſit illum ita ligatum retinere, vt neque illi reconciliari velit, neque permittere, vt ſibi de ſtatu perfectionis prouideat. Cum enim obligetur ex voto ſecundum ſtatum Religionis viuere, neque id poſſit in eo, quem aſſumpſit: ſanè impediri nequit, ne in alio ſimili ſtatu viuat: quod oſtenditur ex diuortio coniugum,cuius exemplo ſæpiùs iam vſi ſumus: vbi enim innocens noluerit nocenti reconciliari, poterit nocens & adulter Religionem ingredi etiam inuito nocente, cuius voluntas cenſetur tunc omnino irrationabilis, vti probat Sanchez lib. 10. de matrim. diſput.10.num.16. Quare inuitis quoque Superioribus, vbi recuſarunt admittere eiectum, poterit ille aliam Religionem adire.

Maior tamen difficultas eſſe videtur, an eiectus poſſit ſtatim, & antequam petierit denuò in ſuam Religionē recipi, & ſi repulſam tulerit, aliam Religionem intrare: quia plurimi Doctores nuper adducti agunt tantùm de caſu, in quo deſperatur admiſſio 80.

admiſſio in Religionem, à qua fuit eiectus: alij ſilent, vt Antoninus. Exiſtimarim tamẽ cum Suar. c.5.cit. poſſe eiuſmodi eiectum, vbi primum eiicitur ingredi aliam Religionem æqualem, aut ſtrictiorem, non tamen laxiorem: quia in primo caſu nullam facit iniuriam Religioni ſuæ, quæ illum expulit, & in ſæculo quoque permanere permiſit: neque etiam ſtatui Religioſo aut perfectionis, cum æqualem accipiat. Neque dicas cum Ferdinand. illum teneri ad ſe corrigendum, vt Religio poſſit vti iure ſuo, & illum reuocare, ſi lubeat. Nam expulſus non poteſt meliori ratione ſe corrigere, quàm ſi æqualem, aut etiam obſeruantiorem Religionem adeat: Quòd verò tunc pereat ius priori Religioni illum reuocandi propter mutationem materiæ, id per accidens eſt, ſicut cum coniux adulter Religionis ſtatum poſt diuortium ingreſſus eſt, neque ante profeſſionem reuocatus eſt, perit innocenti ius illum reuocandi; nulla tamen ipſi iniuria facta fuit à nocente & adultero. De laxiori verò Religione ſubeunda idem dici nequit: quia tenetur ex vi ſuæ profeſſionis manere, quantum poterit, in ſtatu perfectionis, quem tunc aſſumpſit, atque adeò tollere impedimenta omnia, & mores corrigere, vti diximus, vt in illum iterum admitti poſſit. Si verò emendatus admitti denuò nequeat, ſicuti in ſæculo manere poſſet; ita & in aliam Religionem laxiorem licet intrare: irrationabiliter enim, vti iam dixi, Religio ipſum & à ſe repelleret, & ſibi de ſtatu perfectiori, quàm ſit ſæcularis & eiecti, prouidere prohiberet.

Obiiciuntur duo quædam priuilegia Pontificia, quæ aut inutilia ſunt, aut ſupponunt non poſſe abſque Pontificis licentia hos eiectos alias ingredi Religiones. Primum eſt Innocentij IV. Minoribus concedentis, vt illius Ordinis eiecti poſſint quamcumque aliam, exceptis militaribus ingredi, modò literas teſtimoniales Generalis, aut Prouincialis ſui deferant. Alterum eſt Societati Ieſu factum à Greg. XIII. in Extrauagante. *Cum alias*, vt de licentia Præpoſiti Generalis Profeſſi ab illa eiecti valeant tranſire ad aliam Religionem: quod priuilegium aliis communicari prohibuit.

Reſpondeo primò priuilegium Innocentij intelligendum eſſe de quacumque Religione etiam laxiori, exceptis militaribus. Prohibuit itaque Pontifex, ne eiecti Ordinis Minorum admitti poſſent abſque literis ſuorum Superiorum, aut de Sedis Apoſtolicæ licentia. Cum illis autem literis, quæ ſine dubio licentiam quandam continent, admitti permiſit in quacumque Religione, etiam laxiori, exceptis militaribus, quoad illos, qui in ipſis arma geſtant: nam poſſet eiuſmodi eiectus admitti inter Clericos, aut Monachos, qui in illis Ordinibus militaribus profitentur. Ex hoc porrò priuilegio nihil contra noſtram ſententiam conficitur. An verò requirantur in hoc caſu literæ Superiorum ad validitatem nouæ profeſſionis, lis eſt. Requiri voluit Suar. num. 19. & Roderiq. tom.1. qq. Regular. q.3. art.21. negat Sanch. cap.9. cit. n.39. & alij: cum nullum in eo indulto ſit verbum irritans illam profeſſionem. Hoc verò priuilegium commune eſt cum aliis Religionibus, quæ priuilegiis communicant.

Secundò priuilegium conceſſum Societati Ieſu, duo continet: Pri-

mum vt Generalis poſſit quibuſcumque eiectis ad aliam Religionem tranſeundi facultatem facere. Secundum, vt id poſſit permittere ſolus Generalis: cum in aliis Religionibus id nequeat ſolus Generalis ſine conuentus, aut conſenſu, aut conſilio.

81. Aio ſecundò Religioſum expulſum non teneri ingredi aliam Religionem, ſed in ſæculo permanere poſſe. Nauarr. comm. 2. de Regul. num.36. Azor. lib.12. iuſtit. cap. 16. quæſt. 7. & 13. & cap. 17. quæſt. 2. Molin. tractat.2. diſput.140.§.quoad votum, Leſſ.lib.2.c.41.dub.15.n.111. Roderiq.tom.1.quæſt.Regular.q.30. artic.20.Soto lib.7.de Iuſtit.q.7.art.1. ad 3.Philiarch.de offic.Sacerd.tom.1. part.2. lib.3. cap. 71. fin. Sanctarell. de apoſtaſ. cap.5. numer.12. Barboſa in Collectan. ad cap. ne Religioſi num.9.de Regularib.Bonac.quæſt.2. de clauſur.punct.12. §.4. num.2.Ferdinand. à Caſtro Palao tractat. 16. diſput. 4. punct. 22. Sanch. lib.6. in Decalog. cap.9. num.34. Suar. lib.3. cit. cap.5. numer. 20. Layman lib.4. tract.5. cap.13. quæſt.5.&alij contra Syluest. ver. Religio 6. quæſt.12.Armil. eodem ver. numer. 15. & Tabien. num.26. Angel. numer.41. Bonauent. in Regul. S. Franc. q. 14. & Cordub. ibid. c.2. quæſt.21.punct.3. & Federic. de Senis conſil.38. Altiſſiodorenſ. lib.3. ſumm. tractat.22. q. penult. Ratio aperta eſt: quia non ſe obligauit hic profeſſus alteri Religioni: quare tenetur quidem in ea, cui ſe obligauit, viuere, atque omne impedimentum tollere, vt votum impleat; non verò in alia Religione vitam ducere, cum ad id non ſe obligauerit. Quare ſi à ſua Religione repellatur, aliam quærere non tenetur: ſicut qui determinatæ Religionis ingreſſum vouit, vbi ab ea repulſus fuit, non obligatur alterius ingreſſum tentare. Quod verò dicunt aduerſarij Religioſum manere obligatum Religioni in vniuerſum, ſui dominium tranſtuliſſe in Deum: vnde colligebat Altiſſiodorenſ.etiam Religioſum, cuius Religio omninò destructa eſt, teneri aliam ſibi quærere, falſum eſt: quia neque Religioni in vniuerſum, ſed huic particulari obligat profeſſio, neque dominium profeſſi transfert in Deum, niſi in hac Religione. Immò addit ſapienter Suar. quamuis Religioſus ante ſuam profeſſionem vouiſſet Religionem in vniuerſum, iam amplius illo ſuo voto non teneri: quia illi ſatisfecit ingrediendo Religionem: & prius votum ſimplex per profeſſionem fuit extinctum. cap. qui votum de Regularib. in 6. quod communior ſententia docet. Quare neque qui vouiſſet determinatam Religionē, & ingrediendo aliam laxiorem peccaſſet contra ſuum votum: ſi deinde ab ea eiectus foret, teneretur eam, quam quondam vouerat, ingredi: quia prius illud votum ſimplex, profeſſione fuit extinctum.

Aio tertiò, Religionem non poſſe 82.
Religioſo expulſo directè & abſolutè imperare ingreſſum in aliam Religionem, ſed ſolùm conditionatè & diſiunctiuè: qua ratione concilio diſſidentes ſententias. Negat enim Nauarr. Leſſius, Roderiq. Vega, Graffis, Suar. Sanch. & alij communiter, affirmant verò Bonac. Paſſarell. Sorb. Peïrynis, aliique.

Sanè ſi agamus de coactione, ſiue imperio directè & abſolutè, cum profeſſio debeat eſſe voluntaria, ſicut & matrimonium non magis ad profeſſionem, quàm ad matrimonium quis cogi poteſt, niſi volens

omninò

omninò ad illam ſe obliget. Quarè ne quidem Pontifex abſolutè profeſſionem religioſam imperare poteſt.

Sub conditione autem imperari poterit à Superiore hic tranſitus ad aliam Religionem, vel quia eiicitur ſub ea conditione, alioquin non eiiciendus, ſed puniendus intra Religionem. Si huic igitur conditioni conſentiat, debebit intra tempus præfinitum aliam ingredi, aut ad ſuam redire: vel quia datur optio illius tranſitus, aut alterius pœnæ, triremium, v. g. ad quas alioquin damnabitur, aut perpetui carceris: quia tunc datur optio libera tibi, vt vel iuſtam pœnam ſubeas, vel Religionem eligas, quæ tunc non proponitur vt onus, ſed vt beneficium; atque hæc praxis ſolemnis eſt in Societate Ieſu, tum erga profeſſos, tum aduerſus non profeſſos, qui à Societate dimitti poſtulant; niſi enim validas cauſas allegent, non permittit Societas à ſe diſcedere, niſi aliam Religionem ſubeant ex Decreto 18. §.3. Congregat. 7. Quæ optio alterius Religionis, vt tibi liceat tuam deſerere, compulſio ſanè non eſt, ſed oblata optio, vt vides.

Consectarium VII

A quo recipi denuò poſſit eiectus & quomodo.

83. QVoad recipientem Religioſum eiectum conſulenda erunt varia Religionum inſtituta: qui habent poteſtatem expellendi, habent quoque iterum recipiendi, iure communi. Verùm quia ea expellendi poteſtas in variis reſidet, & diuerſo modo exercetur, ſicut etiam poteſtas primò admittendi, tum ad nouitiatum, tum ad Religionem ſecundum diuerſas conſtitutiones, mores, ac priuilegia Religioſorum Ordinum, eadem prorſus ratione iuriſdictio, & poteſtas denuò recipiendi diuerſa erit: quare in ea immorandum non eſt.

Quoad modum verò huius receptionis duo quæri ſolent: primum an iterare debeat profeſſionem; ſecundum an retinere eundem gradum & ordinem, quem ante eiectionem habuerat.

Quoad primum iam conſtat ex ſæpiùs dictis, non eſſe iterandam profeſſionem, cum prior integra perſeueret, & non fuerit per eiectionem diſſoluta, ipſéque ſemper perſtiterit Religioſus huius Religionis. Quare ſi tranſiret ad aliam Religionem, reuera in illa profiteri deberet: quia per priorem ſe illi non obligauit: immò Suar. cap.5. lib.3. num. 16. tract.8. de Religione, aduertit in Religionibus monachalibus, in quibus quiſque in ſua domo ſpeciali profitetur, & ſic ius filiationis in illa acquirit, opus fore noua profeſſione, ſi eiectus in nouam domum tranſiret, etiamſi immediatè ab vna domo in aliam migraret: quia per primam profeſſionem non acquiſiuit filiationem in iſta domo: quare ad illam opus erit profeſſione in iſta; ſicut ſi ad nouam Religionem tranſiret, cui obligatus nullo modo dici poteſt per primam profeſſionem, per quam alteri fuit obligatus. Confirmantur hæc omnia exemplo reconciliationis coniugum poſt diuortium: neque enim matrimonij contractus, aut vinculum renouandum eſt, cum nunquam fuerit diſſolutum per illam thori, & habitationis ſeparationem, ſiue per diuortium. Itaque mutuo duntaxat 84.

conſenſu redditur vſus matrimonij, ſiue vitæ maritalis.

85. Quoad reſtitutionem prioris gradus, & prærogatiuas quaſdam, quas tum profeſſio, tum eius antiquitas affert, nihil neque ex natura rei, neque ex iure communi definire poſſumus: quia poſtulat ſæpiùs grauitas delicti, vt puniatur ea priuatione, atque per receptionem minuatur tantum pœna, & non tota condonetur: Aliàs verò tanta fuit emendatio, eáque perſonæ dignitas, vt reſtituendus videatur illi eſſe antiquus gradus & ſtatus. Quare ex prudentis arbitrio, & variis circunſtantiis hæc quæſtio definienda erit, cùm ius commune nihil planè definiat. Ita Suarez tract.8. lib.3. cap.5. num. 17. Ferdinand. tract.18. diſp.4.punct.21. num.7. contra Sanchez lib.6. cap.9. num.33.qui vult omnino reſtitui ſuæ dignitati, eo quod illa ſit acceſſoria profeſſioni;quæ per eiectionem non eſt extincta, ſed ſuſpenſa: quare ceſſante eiectione iam redit profeſſio, cum ſuis omnibus appendicibus. Verùm antiquiores mores ferebant, vt eiuſmodi eiecti, aut excommunicati non reciperentur in eodem gradu, & ordine apud Monachos, vti docuimus §. 10. Adde in recipiendis Clericis pœnitentibus fuiſſe diuerſis ætatibus varias leges circa antiquæ dignitatis reſtitutionem: de qua re fuſiùs alibi in noſtra ſcientia Canonica.

CONSECTARIVM VIII.

An eiecti teneantur votis Religionis.

86. TRia genera votorum diſtinguere debemus hoc loco;alia enim ſunt vota ſubſtantialia religioſæ profeſſioni;alia verò illi profeſſioni annexa, ſiue ea ſolemnia ſint, vt apud Patres Minimos votum quadrageſimalis vitæ, apud Societatem Ieſu, votum obedientiæ Pontifici circa miſſiones: ſiue ſimplicia, vti ea,quæ à Profeſſis Societatis Ieſu, emittuntur ex 10.part.conſtitut.de nunquam laxanda, ſed aſtringenda potiùs paupertate, ſi in ea aliquid mutandum videretur: de non ambiendis dignitatibus intra, aut extra Societatem: de non acceptandis dignitatibus extra Societatem, niſi præcepto Superioris ſiue Pontificis cogente: de audiendo conſilio Generalis, ſi in Prælatos eligantur: & denique de manifeſtandis illis,quos dignitatem aliquam ambire reſciuerint. Alia denique vota ſunt, quæ fiunt in Religione ex peculiari cuiuſque deuotione & voluntate.

Et primò, quidem quod attinet ad tria vota ſubſtantialia profeſſioni Religioſæ, vnanimis eſt Doctorum ſenſus eiectum illis ligatum manere: & quod de voto paupertatis dixit Nauarr. comm.2. de Regularib.n.34. eſſe characterem quemdam hærentem animis vix delebilem etiam per Papam, de reliquis eodem iure dici poterit ex eod.Nauarro ibid.num.35. 36.& comm.3. de Regular. num.46. Conſentiunt Cordub. in Regul. S. Franc. cap.2.q.21. punct.3. Ledeſma de ſtatu Religioſo in communi c.8. concl.7. Azor. tom.1. lib.12. cap.16. quæſt.4. Vaſq.1.2. diſp.165. num.87. Leſſ. lib.2. cap.41. dub.15.num.112. Molin. tract.2.diſp.140. Ribadeneira de inſtituto Societatis Ieſu cap. 14. Roderiq. tom.1. qq. Regular. q. 30. art. 19. Sayr. in claui lib. 10. cap.9. num. 28. Miranda tom. 1. Manual. quæſt.52. art.5.Reginald. lib.18.praxis num.418. quæſt.20. Sanch. lib.6. in

in Decalog. cap.9. n.27. Suar.tom.5. in 3.part. diſput.21. ſect. 1. num. 20. & tract.8. de Religione lib.3. cap.5. & 6. Layman lib.4.tractat.5. cap.13. quæſt. 1. De Peïrynis in ſubdito Religioſo quæſt.1. cap. 25. §.1. conc.4. & alij paſſim. Et qui in contrarium afferuntur, non aliud volunt, quàm quoad vſum, exercitium, & materiam huius obligationis factam eſſe aliquam mutationem, ratione ſtatus, in quo nunc ſunt: vnde fit, vt aliqui dicant hos eiectos Religioſos quidem eſſe, ſed nullius Ordinis ac Religionis; alij non teneri voto obedientiæ erga Superiorem Religionis, quæ eorum gubernationem à ſe abiicit; ſed teneri eo voto aduerſus Epiſcopum. Atque etiam in voto paupertatis factam eſſe aliquam mutationem, cùm aliquid ſibi neceſſariò acquirere debeant: neque licentiam illud expendendi à Superiore, qui eorum nullam amplius curam gerit, quærere debeant. Quæ & alia ſimilia in proximis conſectariis explicabuntur. Nam in præſentiarum affirmo duntaxat hos eiectos teneri vinculis votorum ſubſtãtialium Religionis, quamuis actualis, vt ita dicam, obligatio, ſiue vſus & exercitium illius ſint accommodata nouo ſtatui, in quem deiecti ſunt. Neque hoc vllus omninò negat, cum expulſio non ſit votorum diſpenſatio, aut abſolutio, ſed actualis ſeparatio à communi vita & regimine Religionis. Atqui vota Religionis ceſſare nequeunt niſi per diſpenſationem, quæ non niſi grauiſſimis ex cauſis concedi poteſt, & non eſt in poteſtate Religionis ſicut eiectio, quam ex ipſo iure naturali naſci dicebamus. Et ſanè hic eiectus magnũ ex ſua iniquitate commodum reportaret, exemptionem nimirum à voto. Quis dicat hunc eiectum non teneri voto caſtitatis, & ſi nondum initiatus ſacris foret, poſſe vxorem ducere? Cur igitur non æquè tenebitur aliis votis atque caſtitatis?

Maior verò difficultas eſt circa 87.
vota annexa profeſſioni religioſæ, maximè ſi ſint ſolemnia, quale eſſe votum quadrageſimalis vitæ apud Minimos contendit pluribus de Peïrynis in ſubdito Religioſo quæſt. 4. cap. 1. allegans Azor. tom. 1. lib.12. cap.6. quæſt.9. Idem affirmat de voto redimendi captiuos in Religione B.Mariæ de Mercede & voto obediendi Põtifici circa miſſiones, quod emittitur in profeſſione Societatis Ieſu: de quo idem docent Ferdinand. à Caſtro Palao tract.16. diſp.5. punct.3. Suar. tract.10.de Religione lib.6. cap.4. num.38. & 39. affirmátque expreſsè Gregor. XIII. in Extrauagante, quanto fructuoſiùs. *Qui verò quatuor*, inquit, *votorum profeſſi futuri ſunt, ÿ tribus ſolemnibus ſubſtantialibus votis quartum ſimiliter ſolemne addunt ſpeciale obedientiæ ſummo Pontifici circa miſſiones præſtandæ.* Cum igitur votum ſolemne à nullo alio irritari, quàm à ſummo Pontifice valeat, hæc vota ſolemnia non irritabuntur, aut deſinent per eiectionem à Religione, vti ſæpiùs diximus. Deinde hæc vota ſunt eſſentialia & ſubſtantialia profeſſioni, cui ſunt annexa, & Religioni, in qua fiunt, vti de voto Quadrageſimæ ſeruandæ apud Minimos oſtendit de Peïrynis: quæ doctrina conformis eſt Tridentino, quod ſeſſ.25. cap. 1.de Regularib. agnoſcit præter vota ſubſtantialia Religionis, alicuius Regulæ peculiaria vota & præcepta ad eius eſſentiam pertinentia. Sanè quæ pertinent ad diſtinctionem ſpecificam & eſſentialem alicuius Religio

Religionis ab aliis,ipſi quoque eſſentialia ſunt. Quare cùm poſt eiectionem eiectus maneat Religioſus ipſius Religionis, à qua fuit eiectus, donec in alia profiteatur, reuera manebit ligatus votis, quæ illi Religioni eſſentialia ſunt. Quod ampliùs confirmatur ex eo quod Religioſus Epiſcopus factus teneatur votis omnibus ſuæ Religioni ſubſtantialibus; ideóque Minimum eiectum teneri voto Quadrageſimalis vitæ cenſuit de Peirinis in ſubdito Religioſo q.1. cap.25. §.1. concl.4. allegans Ledeſmam, & idem affirmat de Minimo facto Epiſcopo q.4. cap.2.

88. Dicendum nihilominus eſt, hæc vota annexa Religioſæ profeſſioni, quamuis ſolemnia ſuſpendi quoad obligationem, quamdiu quis extra Religionem per eiectionem, aut alio quopiam modo manet. Ita Vega 2. tom. ſumm. cap.86.caſu 16. qui non dormiuit hac in parte,vti ipſi obiicit de Peirinis,Vegam ſequitur Sanchez lib.6. in Decalog. cap.9. n. 56. Suar. circa votum obedientiæ Miſſionum factum Pontifici à Profeſſis Societatis Ieſu. Idem cenſet tract.10. de Religione lib. 11. cap. 3. num. 6. Et in vniuerſum de his votis acceſſoriis. Bonac. quæſt.2. de clauſur. punct.12. §.3. num. 5. plures allegans, qui tamen agunt tantum de obſeruatione Regularum, de qua inferiùs. Quia cum votorum etiam principalium,& ſubſtantialium Religioni obligatio ſuſpendatur ferè quoad vſum actualem, vt dicam inferiùs circa obedientiam & paupertatem,multò magis ſuſpendetur obligatio votorum, quæ ſolum concomitantia, & acceſſoria ſunt. Deinde ceſſat materia horum votorum: illa enim promittuntur ſecundum Regulam, & conſtitutiones Religionis,& ad fœlicem eius ſtatum conſeruandum, vti loquuntur conſtitutiones Societatis Ieſu. Quare qui non tenetur viuere ſecundum illam Regulam, non poterit durante illo ſtatu obligari ad ſeruandum votum, quod fit ſolum ſecundum illam, & ea, quæ ad fœlicem ſtatum illius corporis, à quo fuit abſciſſus,exequi. Adde non fuiſſe illam intentionem vouentium, vt obligarent ſe ad ſuſtinenda peculiaria iſta, eáque grauia onera Religionis, niſi in ipſa Religione, & niſi iuuari poſſent ſpiritu, prouidentia, authoritate & aliis auxiliis ipſius Religionis. Denique quando tam inſignis mutatio fit, vt veroſimile ſit nullo modo promittentem intendiſſe ſe obligare pro illo ſtatu, promiſſio non obligat vti fuſiſſimè docuimus aliàs 2.2. & rurſus in noſtra ſcientia Canonica oſtendimus;adi interim Suarez lib.4. de voto cap.19. Hæc porrò mutatio contingit in noſtro caſu: alia enim eſt ratio & conditio Religioſi vniti ſuæ Religioni, cuius ſpiritum & influxum omnem participat; & ſeparati qui nec eodem ampliùs regitur ſpiritu, neque eodem motu mouetur aut in eumdem finem tendit. Neque inde licebit argumentari ad fugitiuos & apoſtatas, quaſi & ipſi votorum iſtorum obligatione eximantur: nam illi manent actu ligati omnibus votis, & actu ſuæ Religioni ſubiecti, & ad obſeruationem ſuæ Regulæ etiam pro illo tempore tenentur, quantum in ipſis eſt, alioquin ſua ipſis iniquitas patrocinaretur: ideóque potiori iure tenebuntur ad ſpecialia vota, quæ ſecundum Regulam illam fiunt. Eiectus verò cum præciſus ſit ab ipſa Religione, neque actualiter illi ſubiectus maneat, vti ſæpius dixi, & iterum conſtabit inferiùs: reuera neque ad regulæ obſeruationem,

ſeruationem, neque ad vota iſta ſpecialia, quæ vnionem actualem poſtulant, tenebitur. Immò addit Suar. cap. illo 3. lib. 11. ſub fin. illum, qui ex Papæ licentia ſub immediata obedientia extra ſocietatem in Palatio, aut alibi commoratur, adhuc his votis teneri: quia in illo manet integer ſtatus antiquus & profeſſio, ac proinde integra omnis votorum obligatio, quantum licet: non tenebitur quidem ille obedire Generali, cum extra eius obedientiam ſit conſtitutus: tenebitur tamen quarto voto de obediendo Pontifici circa miſſiones: quia illud votum manet integrum, vt vides.

Quæ initio referebamus ex de Peïrynis nihil aliud probant, quàm hæc vota non irritari & extingui prorſus per eiectionem; ſed ſuſpendi duntaxat quoad actualem obligationem, ſiue actualem vſum.

89. Atque hæc omnia, quæ diximus de votis ſolemnibus profeſſioni Religioſæ aliquando annexis potiori ratione valent in votis ſimplicibus, vti ſunt quinque illa vota, quæ à profeſſis Societatis admittuntur, vti diſſerit Suar. cap. 3. cit. Nam in eiectis ceſſat ratio talium votorum in conſtitutionibus expreſſa, vt de non ambienda dignitate extra aut intra Societatem, vt fœlix illius ſtatus conſeruetur, & ne Societas priuetur hominibus ſibi neceſſariis, & quiſque animarum ſaluti iuxta ſuæ profeſſionis humilitatem & ſubmiſſionem inſeruire queat. Nihil porrò ad ſtatum fœlicem Societatis refert, vt eiectus ambiat, aut non ambiat, acceptet, aut non acceptet prælaturam, neque etiá priuatur idcirco Societas hominibus ſibi neceſſariis: nam iam iſto eiecto lubens ſe ipſa priuauit: neque iſte eiectus tenetur ampliùs incumbere in finem Societatis. Votum verò de non laxanda paupertate, illum ampliùs non tangit: neque enim, ſi facienda foret aliqua mutatio ea in re, rogabitur eius ſententia, & ſi ad prælaturam promoueatur, non obligabitur audire conſilia Generalis, qui eius à ſe curam omnem per eiectionem abiecit. Quare vides omnium iſtorum votorum, tum rationem, tum materiam ceſſare in eiecto, ac proinde illa non obligare, niſi redeat in Societatem: quo caſu vti non erit iteranda profeſſio ex conſectario 7. ita neque dennò emittenda erunt iſta vota ſecundaria ſiue ſolemnia, ſiue ſimplicia ſint.

Reſtant vota, quæ aliquis facit in Religione, vt recitandi quotidie roſarium, aliáque eiuſmodi; videtur enim mens vouentis fuiſſe non ſe obligare, niſi quamdiu manebit in Religione. Verius tamen videtur hæc vota obligare eiectum, tum quia ſunt independentia à profeſſione Religioſa; tum quia ſeruari poſſunt extra vitam Regularem, neque vllam cum ipſa habent connexionem. Seruari igitur poſſunt in illo ſtatu, neque ipſorum, aut materia, aut ratio ceſſat. 90.

Consectarium IX.

Quomodo eiectus à Religione teneatur obedientiæ voto.

Conſtat ex Superiori conſectario Religioſum eiectum teneri votis ſubſtantialibus Religionis: Et quidem nemo caſtitatis votum ſeruandum eſſe dubitat: circa obedientiam verò non apparet cuinam Prælato Religioſus eiectus parere teneatur. Nam Regularis eius curam abiecit & dominium: neque videtur 91.

Religioſus vouiſſe obedientiam, niſi ea conditione, vt à Religione aleretur, & gubernaretur in communi vita; Epiſcopo verò nullam promiſit obedientiam, ſiue quia Religio ab illius iuriſdictione exempta eſt: ſiue quia ſi illi ſubdita ſit, non aliam illi promiſit, quam Prælatis Regularibus, nempe in ſtatu vitæ communis Religioſæ, & non extra illam. Igitur ex voto obedientiæ Religioſæ, non tenebitur eiectus Epiſcopo parere; ac proinde omni obedientiæ voto liber eſt, cum illud eſſentialiter reſpiciat Superiorem, cui parere neceſſe ſit.

Dicendum nihilominus eſt, Religioſum eiectum manere obligatum ſubſtantiali voto obedientiæ aduerſus Prælatum Regularem, quamuis magna ex parte ceſſet executio, ſiue vſus illius voti propter defectum materiæ: quia de facto non habet Superiorem, à quo reipſa dirigatur: illa enim directio actualis ſupponit vnionem in vita communi cum aliis Religioſis, quæ per eiectionem diſrupta fuit, & dominium ac curam Prælati: quam tamen ipſe depoſuit, cum Religioſum eiectum ſibi ipſi reliquit, non ſoluendo vinculum voti, aut illud irritando, diſpenſando, aut commutando; ſed eius, vt dixi ſæpiùs prouidentiam, & regimen deſerendo in pœnam criminum, quibus ſe indignum præbuit peculiari illo & regulari regimine; manet nihilominus ſubſtantialiter, vt ita dicam, & virtualiter voto ſuo obligatus: paratus enim eſſe debet obedire, quoties in ordinem reſtituetur, in cumque ſtatum, in quo Prælati ipſius curam gerere velint & poſſint. Qua ratione S. Thomas 2. 2. q.185. art.8. ad 3. explicat quomodo Religioſi facti Epiſcopi teneantur voto obedientiæ, cum reuera deſierint eſſe ſubditi ſuorum Prælatorum Regularium: id enim ait eſſe per accidens: *Manet tamen*, inquit, *adhuc obligatio voti virtualiter, ita ſcilicet, quòd ſi eis aliquis legitimè præficeretur, obedire tenerentur.* Quod aliqui dicunt habitu, & potentia eſſe ſubiectum, non actu: quod clarius apparet in Religioſo ad ſummum Pontificatum euecto: ille enim neque Religioſus eſſe deſinit, neque tribus votis ſubſtantialibus Religionis ſolutus; & tamen Superiorem non habet, cui ex voto obedientiæ parere obligetur. Quia tamen illa carentia Superioris ex accidenti contigit, non pugnat cum voto iam facto quoad vinculum, ſed ſolùm quoad vſum. Quidni igitur idem dicemus de eiecto, quamdiu caret Superiore, à quo actu dirigatur, quamuis ſua culpa careat, maximè cùm à Superiore ſuo regulari poſſit in ordinem reuocari, & actuali dominio Religionis iterum ſubiici, teneatúrque eiectus Prælatum ſe ad Religionem reuocantem audire, vti fuſiùs oſtenſum fuit conſectar. 4. atque ita docent in primis, qui dicunt hunc eiectum omni obedientiæ voto liberum eſſe, vt Soto lib.7. de iuſtit. quæſt.1. art.1. ſub fin. Arragon.2. 2. quæſt.88. art.3. §. huc vſque, & alij quidam. Eorum enim mens eſt non eſſe actu, ſed tantum habitu & potentia ſubiectum, & deficere materiam huius voti, quæ eſt Regula & vita communis, extra quam eiecti ſunt; ac proinde eius obligationem ſuſpendi: quod idem affirmant qui negant hunc eiectum teneri vi voti obedire Epiſcopo, aut aliter illi ſubiici, quàm cæteri Clerici ſubiiciantur, ſi eiectus Clericus eſt; aut quàm laici, ſi laicus ſit: quod volunt Molin. tract. 2. de iuſtit. diſput.140.

ſput.140.§. quoad votum. Azor.to.1. lib.12. cap.16. q.11. Roderiq.tom.1. qq. Regular. quæſt.30. art.26. & 29. Leſſ. lib.2. cap.41. dub.15. num.114. Sanch. lib.6. in Decalog. cap.9. n.29. & 31. Bonacin. quæſt. 2. de clauſura punct.12. §.5. Sanctarell. de apoſtaſ. cap.6. dub.1. num. 3. Layman. lib.4. tract.5. cap.13.¡Tamburin. tom.3. de iure Abbat. diſp.8. quæſit. 8. num.9. de Peirinis in ſubdito Religioſo q.1. cap. 25. §.1. concl.2. contra Nauarr. comm.2. de Regularib. n. 34. & 35. & comm.3. num.46. & conſil.77.78. & 79. de Regularib. cui adhæſit Sà ver.Religio,num.40. Zerola in praxi ver. Regulares. Sorbus in compend. priuileg. mendicant. ver. eiicere in annotat. in fine. Suar. tract.8.de Relig. lib. 3. cap.6. num.4. vbi pro ſententia Nauarri allegat. Panormit.Innocent. Archidiacon. Speculator.Federicum de Senis, in quorum ſingulorum mente inueſtiganda immorari non placet. Sequitur denique Ferdinand. à Caſtro Palao tract.16. diſp.4. punct.23. num. 5. Qui omnes etiam volunt eiectum ſeſe præſentare Epiſcopo, vt ab illo accommodatè ad ſuum ſtatum regi poſſit.

92. Verùm noſtram ſententiam non modò conſtans Eccleſiæ vſus & praxis, de qua teſtantur Molina & Leſſius, cum nunquam auditum fuerit, vt Epiſcopi aliquid peculiaris iuris in illos eiectos vſurparint, validè confirmat, ſed demonſtrat etiam ratio initio allata: non enim promiſit eiectus obedientiam Epiſcopo, ſed ſuo Prælato regulari: quare vbi illum Prælatus regularis à ſuo regimine eiecerit, non eſt, cur vi voti obedientiæ obligetur Epiſcopo, cui ne per ſomnium quidem obedire vnquam promiſit. Neque ſatisfacit quod ait Suar. illum promiſiſſe obedientiam Prælato ſuo, quicumque ille ſit; eſt autem poſt eiectionem Epiſcopus. Non ſatisfacit, inquam, quia reuera votum fuit de obedientia præſtanda Prælato ſuo Regulari, & ſecundum ſuam Regulam; & falſum eſt poſt eiectionem Epiſcopum eſſe Prælatum illius regularem: id enim quærimus. Quòd ſi dicas per eiectionem tolli exemptionem à iuriſdictione Epiſcopi, qua gaudebat ille Religioſus; ac proinde eius iuriſdictioni ſubiici, ſicuti olim omnes Religioſi, & maximè ſolitariam vitam agentes ſubiiciebantur, quibus ſimilis modi exiſtit iſte Religioſus, qui extra communitatem religioſam viuit. Fateor quidem eiectum iſtum ſubiici Epiſcopis inſtar cæterorum Clericorum ſuæ diœceſis, ſi ipſe Clericus ſit, & non ampliùs gaudere priuilegio exemptionis, ſicut neque aliis ſuæ Religionis prærogatiuis:non video tamen quomodo inde ſequatur vi voti obedientiæ religioſæ obligari Epiſcopo, cui nunquam illam promiſit, niſi velis fuiſſe votum illud conditionatum, aut diſiunctim promiſerit videlicet obedientiam Prælato regulari, quamdiu in Religione maneret;aut Epiſcopo,vbi ab illa expelleretur. Quis verò vnquam hoc intendit? Quod verò olim Epiſcopi Monachis, ipſorúmque Præfectis imperarent, nihil facit poſt indultam exemptionem, vt dicatur Religioſum eiectum illi promiſiſſe obedientiam, quam vouit conformiter ſuæ regulæ & ſuæ Religionis inſtituto. Immò ne quidem Religioſi non exempti, vbi eiiciuntur, tenentur aliter obedire Epiſcopo, quàm ſuo Prælato regulari, cui non ſubiiciuntur actu & de facto, quandiu extra communitatem expelluntur,

vti diximus : quia vt concedamus Suari, quod tamen non vſque adeò certum mihi eſt, votum fieri de obedientia præſtanda Prælatis Religionis tum intrinſecis, tum extrinſecis; non magis tamen obligat aduerſus Prælatos extrinſecos, quàm aduerſus intrinſecos,neque extrinſeci poſſunt profectò aliud imperare, quàm intrinſeci;vbi igitur ſubiectio actualis reſpectu Prælatorum intrinſecorum deſierit propter defectum materiæ, & ratione noui ſtatus ac mutationis factæ, vti ſuperiùs explicuimus, ceſſabit quoque reſpectu Prælatorum extrinſecorum, ſiue extra Religionem exiſtentium : quia non poſſunt illi in alia materia imperare, quam ipſi Prælati Regulares. Vnde ſumitur altera ratio, eáque efficax noſtræ ſententiæ : non apparet enim, quidnam poſſit vi illius voti Epiſcopus eiuſmodi eiecto imperare, vt conſtabit ex iis, quæ ſingillatim expendit Suarez, cap.illo 6. à num.10. ad 19. Nam cùm Religioſus non teneatur obedire, niſi in iis, quæ imperantur ſecundum regulam, & in ſtatu eiectionis, vti fatetur ipſe Suar. & nos conſectario 11. oſtendemus, non obligetur ad ſeruandam regulam, non apparet, quid illi imperari poſſit ab Epiſcopo, & in quibus illi actu ſubiicietur : quod clariùs ex illo conſectario 11. conſtabit inferiùs: ideóque tandem fatetur Suarez n.18. non poſſe regi ab Epiſcopo, neque illi obedire, niſi in iis, quæ ad ſeruandum caſtitatis, & paupertatis votum in eo ſtatu neceſſaria ſunt,atque ad decentiam illius ſtatus pertinent. Verùm vel ea neceſſaria ſunt ex natura illorum votorum, & ad illa tenetur vi profeſſionis religioſæ, vel ex præſcripto regulæ, & ad illam non obligatur, ſicut neque ad ipſam Regulam, vel non præſcribuntur à regula, licet ſint accommodata faciliori obſeruationi votorum, & cùm ſint extra regulam, neque à Prælato regulari, neque ab Epiſcopo, ſiue Prælato externo poterunt imperari, vti concedit ipſe Suar. qui ſapienter dixerat num. 4. Nauarri ſententiam *in vſu adeo limitandam eſſe, vt non relinquatur magna diuerſitas*, inter illam ſcilicet, & communem, quam ſequimur.

Tertiò,quæ afferuntur ab aduerſa- 93.
riis, inefficacia ſunt : Concedo enim Epiſcopum poſſe, immò & debere omnes ſuæ diœceſis gubernare ſecundum ſuum ſtatum, ac proinde hos quoque Religioſos eiectos, qui iam illi inſtar aliorum ſubiiciuntur: nego tamen hanc ſubiectionem oriri ex vi voti obedientiæ in profeſſione religioſa emiſſi; ſed vi iuriſdictionis, quam habet in totam ſuam diœceſim, & omnes illius perſonas non exemptas. Quare cum eiectus permittatur ſub illius iuriſdictione viuere, ſublato, ſi quod habuit, immunitatis priuilegio, manebit iuriſdictioni Epiſcopali cæterorum inſtar ſubiectus.

Non vrget etiam quod dicunt Religioſum obligari per obedientiæ votum Pontifici ſummo, neque ea obligatione eximi per eiectionem. Pontificem autem ſuas vices mandare Epiſcopis, quibus proinde eiectus vi voti debebit obedire. Dico enim ne ipſum quidem Pontificem vi voti iſtius aliud imperare poſſe, quàm quod eſt ſecundum regulam : quare eadem erit de illo, quæ de Epiſcopis difficultas ſuperius indicata propter defectum materiæ imperandæ in illo ſtatu eiectionis. Deinde ne in his ampliùs immoremur, nego Pontifices ſuam poteſtatem Epiſcopis hac

hac in parte commiſiſſe. Hoc enim neque habetur ex natura rei, vt patet, neque ex vllo iure poſitiuo, lege, conſtitutione, declaratione quæ tamen in tam nobili, támque frequenti quæſtione, & tanti momenti ad ſalutem animarum aliqua ſine dubio fuiſſet: neque ex conſuetudine, aut praxi quotidiana, quæ omnino contraria eſt, vti referebamus ex Molina & Leſſio. Cur igitur vicariam hanc poteſtatem Epiſcopis aſſeremus, & nouam obligationem his eiectis imponemus, cuius nullum ſatis firmum argumentum apparet? Itaque neque ſe debent hi eiecti Epiſcopis præſentare, vt ab illis viuendi modum accipiant, quam etiam prout diuerſos Epiſcopos mutarent, mutare cogerentur, niſi illos Epiſcopos originis deuinctos velis cum Nauarro: quod non placet Suari: vnde etiam confirmare liceret noſtram ſententiam, cum non ſatis conueniat inter aduerſarios, cuinam Epiſcopo obliget obedientiæ votum, an Epiſcopo originis, an domicilij, an beneficij. Vide Suarez cap.6. & Rodriq. q.30. art.25. citatis.

Consectarium X.

Quomodo Religioſus eiectus votum paupertatis ſeruare teneatur.

94. Certum primò eſt, Religioſum iuſtè eiectum non debere ali ſumptibus monaſterij, aut Religionis: quod fuſiùs tradit Surd. de alimentis tit.1. quæſt.35.num.1. Sanch. lib.6. in Decalog. cap.9. n.20. Cum enim illum iuſtè à ſe præſciderit, obligatione & onere eum alendi ſe liberauit, éſtque illa pœna eiectionis, quam ſuæ culpæ tribuere debent eiecti. Vnde etiam fit, vt ſi deinde eiectus reuocetur à Religione, quod fieri poſſe diximus conſectario 4. non teneretur Religio ſoluere expenſas, quas vel in propria alimenta, vel aliam rem extra Religionem fecerit: neque pecuniam mutuò acceptam reſtituere.

Certum eſt ſecundò, iniuſtè expulſos alendos eſſe monaſterij ſumptibus, vti docent Molin. tractat.2. diſp.140. §.quando Religioſus. Surd. de alimentis tit.6. quæſt. 35. num.6. Nauarr. comm.2.de Regularib. n.65. & Innocent.aliique Doctores, in cap. cum dilecta, de reſcript. Quia cum iniuſta fuerit expulſio, non potuit liberare Religionem onere alendi ſuum Monachum: itaque ſi quid mutuò accepit ad hæc alimenta, tenetur monaſterium illud reddere, atque alimenta in futurum præſtare, non ſoluere præterita, & quæ in illa expendit, niſi mutuò acceperit: ſecùs verò ſi vel ſua induſtria & opera, vel donatione illa comparit: quia, vt ait Nauarr.comm.2.de Regularib. num. 65. pecuniam & bona, quibus ſe aluit, tenebatur donare monaſterio, cui requiſita erant; ideóque reuera ſe aluit ſumptibus monaſterij. Quod idem de filio ſe alente cum eadem diſtinctione tradit Barthol. l. libertis 2. §.1. num.3.ff. de alimentis & cibar. legat. Inde quoque fit, vt Monacho de iniuſta ſua expulſione litiganti debeat intereà monaſterium alimenta, immò & expenſas ad litem neceſſarias. Ita Menoch.lib.1.de præſumpt. quæſt. 38. num. 21. Surd. de aliment. tit.1. quæſt.128.num.10. Sanchez lib.6.in Decalog. cap.9.n.8. Immò & quando de Monachatu litigat, vti docent iidem Doctores. Ideò qui Monachum pendente hac lite aluit, poteſt à monaſterio, cuius 95.

vtiliter negotium feciſſe dicitur, illa repetere.

96. Certum tertiò eſt, Religioſum eiectum habere adminiſtrationem, vſum, ac commoditatem bonorum & rerum quas ſibi interea comparabit, perinde ac ſi Religioſus non eſſet, atque dominium illorum bonorum haberet, & ſui iuris omnino eſſet. Molin. tract.2. diſp.276.§.quod ad cæteros,& priori diſp.140.Nauar. comm.2. de Regul. num.35. Azor.1. part. lib.12. cap.16.q.4. Sayr.in claui lib.6.c.9. Roderiq. tom.1. qq.Regul. q.30. art. 26. Layman. lib.4. tract.5. cap. 13. quæſt.1. & alij omnes: quia cùm poſitus fuerit à Religione in eo ſtatu, in quo nullum habet, cui actu pareat, & à quo regatur in vſu, & diſpoſitione bonorum: non enim ſubiicitur ex voto obedientiæ Epiſcopo, debuit illi eſſe permiſſa commoditas, & vſus bonorum illorum, non per ſolutionem, aut diſpenſationem voti paupertatis, ſed per ſubtractionem materiæ, & mutationem ſtatus, in quo nequit exerceri illa dependentia à Superiore in vſu rerum: qui proinde tali eiecto per ipſammet eiectionem permittitur: vſus, inquam, nudus, qui eſt res facti, non iuris: qui vſus rei, ſiue commoditas ſimpliciter neceſſaria ad vitam non pugnat cum voto ſolemni paupertatis.

Tota igitur difficultas eſt, circa dominium illorum bonorum: Cum enim iſte eiectus reddatur incapax omnis eiuſmodi dominij per profeſſionem religioſam, non apparet cuinam acquiratur dominium bonorum, quæ poſt eiectionem illi obtingunt. Atque vt diſſidentes hac in re ſententias aliqua ratione componam, & variis difficultatibus lucem aliquam afferam.

Dico primò, iniuſtè eiectos acquirere monaſterio à quo fuerunt iniuſtè expulſi, aut non admiſſi, eo caſu, quo tenebatur Religio illos admittere, de quo diximus conſectario 5. tunc enim iniuſtè non admittuntur, ſiue iniuſtè eiecti manent, quamuis fortaſſis initio iuſtè fuerint expulſi. Et quidem quando ea eiectio iniuſtè facta fuit à ſolo Prælato, aut non niſi cum minore parte conuentus, cum delictum illud Prælati non poſſit nocere monaſterio, non poteſt illud priuare iure, quod ipſi competit in bona Religioſi, quem à ſe non abiecit validè, & cum monaſterium cogi poſſit ad hunc eiectum admittendum, alendúmve, non debet priuari iure ad bona ſui profeſſi: atque ita ſentiunt Speculator. Archidiacon. Anchar. Abbas, Inno. Cardinal. aliique relati à Sanch. lib. 7. in Decalog. cap.33. num.22. Angel. ver. monaſterium, num.6. Sylueſt. ver. apoſtaſ.quæſt.9. num.12. Tabiena verb.Religio,q.27. num. 28. Armill. eod. ver. num. 17. Surd. de aliment.tit.7. quæſt.35. n.9. Molin. tract.2. diſput. 140. §. quoad votum. Leſſius lib.2. cap.14. dub.15. num.112. 97.

Quando verò eiectio iſta iniuſtè facta fuit ab ipſomet conuentu, quo nomine intelligitur maior ipſius pars, vti vulgò tradunt Doctores: etiam tunc eiectus acquirit monaſterio, contra quam velit plerique Canoniſtæ mox allati, & alij recenſiti à Sanch. illo cap.33. num. 23. quem nos ſequimur num. 24. ſicut & Molin. Leſſ. locis citatis. Suar. tract.8.de Relig. lib.3. cap.6. n. 19. Ferdinand. à Caſtro tract.16. diſput.3. punct.19. num.6. Sanctarell. de apoſtaſia cap.6. dub. 2. num. 8. & alios recentiores. Cum enim expulſio iniuſta fuerit,

non exemit ſe Religio obligatione alendi ſic eiectum: ergo neque iure in illius bona ſuccedendi, maximè cum & ſic eiectus teneatur ad Religionem redire, & Religio ipſum reuocare, atque redeuntem admittere: Et quamuis propter eiuſmodi commiſſam iniuſtitiam mereatur Religio priuari illis bonis; tamen ante ſententiam reipſa non priuatur, cum etiam priuatio bonorum vix ante ſententiam infligi ſoleat.

Neque dicas hunc eiectum haberi à monaſterio pro derelicto, ac proinde eius operis vti non poſſe, ſicut neque Dominus ſibi in ſeruũ, quem pro derelicto habuit, vindicare. l. quod ſeruus 36. ff. de ſtipulat. ſeruor. *Quod ſeruus ſtipulatus eſt, quem Dominus pro derelicto habuit, nullius eſt momenti.* Nam longè alia ratio eſt: quia per illam manumiſſionem ſeruus omninò efficitur liber & ſui iuris: quare neque à Domino repeti poteſt, & iterum in ſeruitutem aſſeri; at verò iniuſtè eiectus non fit liber, ſed manet ſuis votis obſtrictus, vti ſæpiùs monuimus, neque ſui iuris efficitur, neque monaſterium liberatur onere illum alendi, neque etiam iure in illius bona.

98. Dicendum ſecundò eſt Religioſum iuſtè expulſum à Religione, ſi aut ad alteram Religionem tranſierit, aut certè Eccleſiæ fuerit per beneficium applicatus, illi Religioni, aut Eccleſiæ acquirere. Ita Angel. ver. monaſterium. num. 6. Azor. 1. part. lib. 12. cap. 16. quæſt. 9. Sanch. lib. 7. in Decalog. cap. 33. numer. 29. Leſſ. Suar. Ferdinand. à Caſtro locis citatis: quia iam fit reuera membrum obedientiale, vt loquitur Nauarr. illius Religionis & Eccleſiæ, & vnà cum Religioſo illius quoque bona ſimul tranſeunt. cap. ſi quis tranſlatus. 21. quæſt. 2. eſtque ea ſententia communis, quam Suar. extendit ad voluntariam tráſlationem per quam aliquis ſe per ſpeciale votum obedientiæ Epiſcopo factum, illi peculiariter addicit: quia licet illud votum neque antiquam profeſſionem extinguat, neque vouentem Religioſum conſtituat; videtur tamen illum planè à Religione eximere, Epiſcopo tradere, & conſequenter ſub illius omnimoda diſpoſitione omnia ab eiuſmodi eiecto acquiſita conſtituere. Hanc tamen Suaris doctrinam & extenſionem communis ſententiæ probabilem quidem, ſed non firmam, & nullo iure fundatam dixit Ferdinand. num. 10. quia iura ſuperiùs allata loquuntur vel de tráſlatione ad Epiſcopatum, vel ab vna Eccleſia ad aliam, & nullibi de hac tranſlatione per votum ſimplex, & non conſtituens Religioſum ſermo fit: quare neque nos eiuſmodi tranſlationi hos effectus tribuere poſſumus.

Dicendum tertiò eſt Religioſum eiectum acquirere ſuo monaſterio, non ſibi, aut Epiſcopo aut Pontifici, aut Deo tantùm: quod intelligendum nihilominus eſt pro capacitate monaſterij: nam ſi ſit incapax dominij, acquiritur illi commoditas & vſus; dominium verò vel penes Deum, vel penes Pontificem, aut ipſos benefactores manet: qua de re alibi fuſius egimus: contendo tantùm iſtum eiectum eodem prorſus modo acquirere. Hæc aſſertio eſt contra Innoc. in cap. cum olim 2. num. 3. de priuilegiis. Hoſtienſ. ibid. num. 12. Ioan. Andr. num. 5. Cardinal. num. 4. Henric. num. 5. Bellamer. in cap. Abbates 18. quæſt. 2. Roſell. ver. Religio, num. 1. Qui volunt hæc bona nulli acquiri, quod falſum eſt; 99.

alioquin

alioquin eſſent primò occupantis illa. Itaque fere addunt hi Doctores Epiſcopo acquiri, qui in ea ſuccedet: quia eiectus poſt expulſionem incidit in obedientiam Epiſcopi. Ita Nauarr.quoque comm.2. de Regularib. num. 33. qđod ſuperiùs falſum eſſe oſtendimus : idcirco Azor. tom. 1. lib.12.cap.16.quæſt.9. Sanch.cap.33. cit.num.28.Sayr.in claui lib.6. cap.9. num. 28. dicunt eſſe inſtar bonorum vacantium, quæ pertinent ad Principem, vel Rempublicam. Quare hæc bona quoad dominium, vel ius omne ſpectant ad Pontificem vel Eccleſiam ; ſed nullo planè fundamento, cùm fas ſit aſſignare dominum horum bonorum, nimirum Religionem, ac proinde vacantia non ſint. Itáque ſentiunt Molin. tractat.2. diſput.140. Leſſ. cap.41. cit. num.112. Suarez cap. illo 6. ſuperiùs adducto num.22.Ferdinand.à Caſtr.punct.19. diſp.3. tract.16. & alij. Quia quamuis Religio abiecerit à ſe hunc Religioſum tanquam ſibi non modò inutilem, ſed etiam nociuum ; non tamen abiecit ius aut in illius perſonam, quam reuocare poterit, ſi lubeat, aut in illius bona ; quod ius illi commodum exiſtit ; & quamuis ſic eiecto vſum facti eorum, quæ acquiret, permiſerit ; non tamen iure & dominio in illa ſe abdicauit,ſed ſola commoditate & vſu facti : quia nihil aliud neceſſarium eſt ad expulſionem, quæ tota fieri potuit à Religione, retento ſibi illo iure & dominio : neque cogebatur cedere iuri, quod illi leges eccleſiaſticæ in bona Religioſorum concedunt : vnde enim hoc habetur ? Denique expulſio perſonæ, & abdicatio iſta bonorum non ſunt eſſentialiter connexæ, & vna non infert aliam.

Neque dicas hunc Religioſum nullam ampliùs habere communionem cum ſuo monaſterio, à quo fuit expulſus : nam licet non habeat communionem actualem ; habet tamen poſſibilem, cum poſſit reuocari à Religione : & nego aliam actualem communicationem requiri ad retinendum ius iſtud in bona Religioſi expulſi. Itaque reſpondent aduerſarij, quod eſt in quæſtione,quod dicunt ſeruum dimiſſum à Domino, & infantem à patre expoſitum neque Domino, neque parenti acquirere, cap. vnico, de infantibus & languid.. non vrget, tum quia illud ſtatuitur in pœnam crudelitatis dominorum & parentum : & pœna vltra ſuum caſum extendi non debet: tum quia ſeruus & infans expoſitus eximitur illo caſu & Domini, & patris poteſtate ; non verò eiectus à poteſtate Religionis, ſicut fuit expoſitum.

Dicendum eſt quartò, ex iure nouo & conſtitutione Gregor.XIII. *Officij noſtri* cameram Apoſtolicam ſuccedere in omnia bona Religioſi fugitiui, Apoſtatæ & eiecti, quomodocumque illa ſibi comparauit: de quo Decreto conſule Doctores: nam vbique receptum non eſt.

CONSECTARIVM XI.

Caſus ſingulares ex ſuperiori Conſectario.

EX Superiori doctrina de modo, 100.
quo paupertatis votum obligat Religioſum eiectum, ſequitur illum non teneri licentiam accipere ab Epiſcopo, vt conuertat in proprios vſus bona, quæ ſibi comparat, contra quam voluerit Nauarr. comm.2. de Regularib. num.35. Nam falſum eſſe oſtendimus Epiſcopum eſſe aliter

ter eius Superiorem quàm aliorum Clericorum, aut etiam laicorum, ſi hic eiectus laicus ſit. Oſtendimus præterea dominium eorum, quæ acquirit ſua induſtria, non ad Deum, aut Eccleſiam pertinere, ſed ad Religionem, à qua fuit eiectus; quorum propterea adminiſtrationem, aut diſpoſitionem ſibi nequit vindicare Epiſcopus modo nuper explicato.

101. Sequitur ſecundò non peccare contra votum paupertatis hunc eiectum, ſi licitis viis ſibi diuitias accumulet, modò earum ſibi dominium & proprietatem non vindicet; ſed ſolum vſum & commoditatem, atque adminiſtrationem illarum ſibi tacitè à Religione per eiectionem conceſſum: quia diuitiarum eiuſmodi accumulatio nullo modo cum voto paupertatis pugnat, quod excludit dominium, atque etiam vſum, ſiue vſumfructum, qui in iure conſiſtit; non autem nudum vſum, qui eſt quid facti. Quare malè in ea diuitiarum accumulatione violari paupertatis votum ab eiecto dixit Sayr. in claui lib.6. cap.9. n.18.

102. Tertiò poterit eiectûs validè ex illis bonis ſuis tum donationes, tum eleemoſynas facere, tum alios quoque contractus celebrare. Ita Molin. tractat.2. diſput.140. Sanch. lib.6. in Decalog. cap. 9. num.48. Sanctarell. de apoſtaſia cap.6. dub.2. num.13. & alij: quia habet in eo ſtatu plenam bonorum illorum adminiſtrationem & vſum. Accedit praxis quotidiana; nemo enim eiuſmodi donationes aut contractus, alioquin licitos, inualidos hactenus dixit, aut aliquid vi illorum ab eiecto accipientes ad reſtitutionem obligauit. Et ſanè non poſſet hic eiectus vti ſuis illis bonis, eorúmque commoditate, niſi de illis validè diſponeret, & per contractus validos. Et quod attinet ad eleemoſynas confirmatur ex communi ſententia dicentium Religioſos extra monaſteria de licentia Superiorum, ſiue ſtudiorum, ſiue aliorum negotiorum cauſa commorantes poſſe eleemoſynas facere. Sylueſter ver. eleemoſyna quæſt. 5. num. 7. & ver. Donatio 1. q.1. Angel. ver. eleemoſyna n.6. & v. Donatio 1. num.9. Aragon. 2.2. quæſt. 32. artic. 8. Nauarr. comm.2. de Regularib. n.8. Azor.1. part. lib.12. c.10. quæſt.3. Valent.2.2. diſput.10. quæſt.4. punct.3. Coroll.5. Abulenſ. in cap. 6. Matth. quæſt. 62. Roderiq. tom.2. qq. Regular. q. 17. art.2.

103. Quartò ſi quid ſuperfluè & illicitè expendit Religioſus eiectus, vt in turpia quædam, validè expendit: neque illa accipientes tenētur ad reſtitutioné. Ita Molin. tract.2. de iuſtit. diſp.276. de hoc eiecto meretricibus donante. Et diſp.250. de ludente ludo prohibito. Molinæ adhæſit Leſſius de lib.2. iuſtitia c.41. dub.15. n. 113. Sanch. lib.6. in Decalog. cap.9. n.47. Sanctarell. de apoſtaſia cap.6. dub.2. num. 11. contra Ferdinand. à Caſtro tractat.16. diſp.3. punct.19. n.9.

Ratio eſt, quia eiectus habet plenam adminiſtrationem bonorum eodem modo, ac ſi illorum dominium haberet, ac ſui omninò iuris eſſet: quia nullum actu habet tunc Superiorem, cui in ea adminiſtratione pareat: cuiúſque nutum ſequi teneatur, cum per abſciſſionem à Religione actualis depédentia ab illius Prælatis interrupta quoque ſit. Et ſanè quoad hāc bonorum diſpoſitionem, de qua agimus, nullam illius prorſus curam monaſterium aut Religio ſuſcipiat: neque quid illis faciat eiectus, quamdiu viuit, inquirat, vti ex ipſa praxi quotidiana docet Leſ-

 ſius:

ſius: quod fortaſſis voluerunt qui, vti nuper monebamus, exiſtimarunt eiectum voto paupertatis non ligari: quia reuera non ligatur, niſi quodammodo ſecundum quid ratione ſtatus, in quo exiſtit, & ſolum quoad dominium & proprietatem, quod ſæpiùs explicauimus.

104. Dices Religioſus, non eiectus nequit validè bona ſibi à Religione conceſſa in illicitos, & ſuperfluos vſus expendere, eáque accipientes reſtituere tenentur: quia non acquirunt ipſorum dominium: ergo neque Religioſus eiectus bona, quorum commoditatem habet, poterit in ſimiles vſus illicitos validè inſumere. Antecedens traditur ab ipſo Molin. diſputationib. nimirum 250. & 276. tractat.2. de iuſtitia. Nauarr. comm.2.de Regular.num.21.& conſil.3. de ſtatu Monach. n.33. Azor.1. part. lib.12. cap. 12. q.5. Antonin.3. part. tit.16. cap.2. §. in notab.4. Syl-ueſt. ver. Religio 6. quæſt.7. Petrus Nauarr. lib.3. de reſtit. cap.1. part.3. dub.1. num. 183. 168. 169. Abulenſ. in cap.6. Matth. quæſt.37. Leſſ.lib.2. cap. 18. dub. 11. num. 83. & cap.41. dub.8. n.73. Roderiq. tom.2. ſumm. cap.40. num.4. & tom.2.qq. regular. quæſt. 125. art. 2. & qui alios dabit, Sanch lib.7.in Decalog. cap.19.n.21. Ferdinand. à Caſtro Palao tract. 16. diſput.3. punct.23. num.4. & 5. Qui omnes dicunt illum Religioſum non modò peccare, ſed etiam eſſe proprietarium: quia licentia illi fieri nequit ad vſus turpes & illicitos; ac proinde cum Religioſus ex licentia nulla, expendat, reuera ſine licentia id facit. Prælatus autem Dominus non eſt, ſed adminiſtrator; ideóque neque ipſe in alios vſus, quàm ſibi conceſſos inſumere poteſt illa bona, neque aliis licentiam inſumendi facere, immò neque ipſum monaſterium, quod dominium eiuſmodi bonorum habet, eam licentiam validè faciet, cùm illud dominium ſit reſtrictum per votum paupertatis, & conſtitutiones Eccleſiæ: quare & iſta accipientes teneri ad reſtitutionem fusè oſtendit Sanch. loco cit. ca.30. & ſequentibus, contra Bann. 2. 2. quæſt. 62. art.5. dub.5. & Rebell. de obligat. iuſtit. part.2.lib.12. quæſt.4. ſect.2. num.6.

Idem verò affirmandum eſſe de Religioſo eiecto in turpia expendente patet: quia licet liberam bonorum adminiſtrationem habeat pro illo ſtatu; ea tamen adminiſtratio ad vſus illicitos permitti illi non potuit à Religione, vti diximus.

Reſpondeo tamen diſparitatem eſſe, eo quod eiecti habeant vſum, & commoditatem bonorum independenter ab actuali Prælato Religionis ratione ſui ſtatus; itaque non datur illis licentia à Religionis Prælato ad vſus illicitos: quæ licentia nulla foret; ſed cum expulſione conſtituantur extra omnem curam, & actualem dependétiam Prælatorum, atque idcirco relinquatur illis vſus plenus bonorum, quæ acquirunt: quando illa impendunt, id non faciunt ex actuali licentia ſibi facta; ſed ex libertate, quam ratione ſtatus naneiſcuntur; confirmantur hæc omnia ex Religioſo Epiſcopo quidpiam in prophanos, & turpes vſus expendente: validè enim expendit: qua de re vide Sanchez lib. 6. in Decalog. cap.6. num.13.

Quintò eiectus in turpia, & illicita expendens peccat quidem, non tamen contra votum paupertatis: tum quia liberam habet adminiſtrationem, ſicut ſæcularis quilibet: tum quia ſic expenſa non ſunt obnoxia reſtitu 105.

reſtitutioni, vti modò diximus. Sanch. cap. 9. numer. 48. lib. 6. in Decalog.

106. Sextò poſſunt hi eiecti ſibi ad victum neceſſaria, induſtria, vel labore acquirere, vel eleemoſynas emendicare. Ita Nauarr. comm. 2. de Regularib. num. 37. Azor. 1. part. lib. 12. c. 16. q. vlt. Quia licet quoque ſæculari omnia ſua pauperibus erogare, ſi velit, & deinde mendicatò viuere.

107. Septimò Religioſus eiectus teſtari nequit. Molin. tractat. 2. de iuſtit. diſput. 277. Leſſius lib. 2. c. 41. dub. 15. numer. 113. Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 9. num. 46. Sayr. in claui lib. 6. cap. 9. num. 28. Ferdinand. à Caſtro Palao tract. 16. diſputát. 3. punct. 19. num. 8. Quia teſtamenti factio pugnat cum voto paupertatis ſaltem ex iure Canonico: quod fuſiùs diſputant Sanch. lib. 7. in Decalog. cap. 8. & alij. Itaque exigitur licentia Pontificis, vt irreuocabiliter detur illa facultas.

108. Octauò cum Religioſi capaces ſint ſucceſſionis & legati in fauorem monaſterij, exceptis Capuccinis, & Profeſſis Societatis Ieſu, vti latè oſtendit Sanch. lib. 7. in Decalog. cap. 24. & 25. eiectus eodem modo erit capax aut incapax: quandoquidem adhuc Religioſus eſt ſui Ordinis, vti diximus.

Consectarium XII.

An Religioſus eiectus teneatur ad Regulæ & conſtitutionum regularium obſeruationem.

109. Dicendum eſt hunc eiectum ad nullam obſeruantiam regularem, præterquam ad tria ſubſtantialia vota modo ſuperiùs explicato, obligari. Ita Nauarr. comm. 3. de Regul. numer. 46. & conſil. 78. de Regularib. Sotus lib. 7. de Iuſtit. q. 2. art. 1. ad 3. Aragon. 2. 2. quæſt. 55. a. 3. Philiarch. de Offic. Sacerd. tom. 1. part. 2. lib. 3. cap. 21. Sà ver. Religio num. 40. Leſſius lib. 2. cap. 41. dub. 15. ſub fin. Sanctarell. de apoſtaſia cap. 6. dub. 3. num. 15. Sanch. lib. 6. in Decalog. cap. 9. numer. 52. Tamburin. tom. 3. de iure Abbat. diſput. 8. quæſ. 8. num. 15. Layman lib. 4. tract. 5. c. 13. quæſt. 2. Suar. tractat. 8. de Relig. lib. 3. cap. 6. numer. 11. Ferdinand. à Caſtro tract. 16. diſput. 4. punct. 23. num. 10. de Peïrynis in ſubdito Religioſo quæſt. 1. cap. 25. §. 1. concl. 6. Contra Antonin. 3. part. tit. 16. cap. 5. §. 3. ſub. fin. Syluest. ver. Religio 6. quæſt. 17. Angel. eod. ver. numer. 42. Armill. num. 15. Cordub. in Regul. S. Franc. cap. 2. quæſt. 21. punct. 3. Paſſarell. in priuileg. Minim. cap. 59. fin. Qui omnes dicunt hunc eiectum teneri regulariter viuere.

Probatur verò hoc conſectarium: quia Religioſus non obligatur ad regulam vi profeſſionis, niſi ſubintellecta conditione vitæ communis & vnionis cum Religione, exemplo ciuis, qui non obligatur legibus ciuitatis, niſi quamdiu in illa exiſtit; non verò ſi extra illam eiiciatur. Neque ſanè fuit illa mens Religioſi, vt ſe obligaret ad regulam, quam in ſæculo difficillimè ſeruare poteſt; in Religione autem facilè niſi ea conditione & pacto, vt in Religione retineretur, vbi illi ſuppeditarentur auxilia ad obſeruandum quæ regula præcipit: & denique cum hic eiectus priuetur omnibus priuilegiis Religionis, neque eius ſumptibus alatur, habeátque grauem illam ſollicitudi

licitudinem quærendi ſibi neceſſaria ad vitam ſuſtentandam, non æquum profectò eſt illum obſeruantiis eiuſmodi regularibus, quæ actualem vnionem cum Religione poſtulant, vel ſupponunt onerari. His omnibus adde regulam non fuiſſe inſtitutam, niſi ad regendos Religioſos in Religione viuentes, non autem extra illam degentes, ſiue eiecti ſint ex illa ſua culpa, ſiue ſuo merito ad dignitatem, v. g. Epiſcopalem, aut Cardinalitiam aſſumpti, vti cum communi ſententia alibi docebimus.

Neque dicas iniquum, videri hos eiectos ex ſua iniquitate commodum reportare contra cap. 1. de poſtulat. Prælat. & cap. Sedes Apoſtolica de reſcriptis, nempe exemptionem ab obſeruatione regulæ. Reſpondeo enim quoties aliqua obligatio annexa eſt alicui principali ſtatui, qui tollitur, per accidens quoque tolli eam obligationem: & quamuis ipſius fundamentum amittatur, aut tollatur per peccatum & culpam; non tamen quis dicitur ex ſua iniquitate commodum referre, eo quòd liberetur ea obligatione: quia illa liberatio, aut exemptio ſupponit aliud maius quoddam incommodum. Sic irregularis non tenetur facere ſacrum, ad quod obligabatur: neque ſuſpenſus ab officio, diuina officia celebrare, immò neque poteſt; non proficit tamen ex ſua iniquitate. Cum igitur obligatio ſeruandi regulam ſit coniuncta cum actuali perſeuerantia in Religione, vbi quis ab illa propter ſuam culpam reiicietur, conſequenter ab ea obligatione quidem liberabitur, neque ex ſua culpa proficere propterea dicetur.

CONSECTARIVM XIII.

Caſus ſingulares ex ſuperiori Conſectario.

EX vniuerſaliori illa doctrina ſequitur Religioſum eiectum, ſi non ſit initiatus ſacris non teneri ad horas Canonicas recitandas. Ita Soto nuper allatus, Suar. Ferdinand. à Caſtro Palao locis citatis, contra Nauarr. de orat. cap. 7. num. 10. & Roderiq. tom. 1. qq. Regular. q. 30. art. 20. Quia non tenetur ex voto, vt conſtat, neque vi regulæ, ad cuius obſeruationem modò oſtendebamus illum non obligari; neque ex præcepto eccleſiaſtico, quod nullum extat; neque vi profeſſionis: quia laici profeſſi non obligantur: & poſſet quis in pœnam ab gradu deputatorum ad chorum ad gradum fratrum laicorum deiici; non tamen obligaretur ad recitationem officij canonici: quare reſtabit ſola conſuetudo, quæ de eiectis afferri nequit: & conſuetudo eorum, quæ obſeruantur ab iis, qui intra Religionem viuunt, non affert obligationem extra Religionem degentibus: quia illa conſuetudo reſpicit illum ſpecialem viuendi modum in Cõmunitate, & ad alium extendi nequit. Deinde ſi regula non obligat, non obligabit etiam conſuetudo, quæ non maiorem habet vim, quàm regula. Cum itaque illa conſuetudo ſit tantùm de Profeſſis ad chorum deputatis, & ſuum ſtatum retinentibus, ad eiectos extendi non poteſt. Denique fundamentum illius obligationis eſt deputatio ad chorum vi regulæ, & ſuſtentatio ex bonis eccleſiaſticis: quod vtrumque fundamentum deficit in eiectis, vt vides. 110.

Secundò

111. Secũdò nõ tenetur eiectus ad ieiunia & auſteritates regulæ, orationes, & alia exercitia ſiue mentis,ſiue corporis imperata à regula.Contra Roderiq.l.cap. vbi fratres minores non vult excuſare à ieiuniis ſub mortali præceptis à regula. Sequimur tamen Suarez Sanch. & alios ſuperiori conſectario laudatos : quia non obligatur vi regulæ , vti iam oſtendimus : neque vi voti obedientiæ ; illud enim non obligat ad iſta opera , niſi quatenus in regula continentur, aut ſecundum regulam imperantur. Neque dicas poſſe illa imperari ab Epiſcopo , tum quia docuimus illum non ſubeſſe Epiſcopo vi voti obedientiæ : tum quia licet ſubeſſet , non poſſet illi Epiſcopus quidpiam imperare , niſi ſecundum regulam , quæ tunc deſinit obligare eiectum ratione ſui ſtatus ex ſuperiori conſectario ; non diſplicet tamen quod addit Suar. c.6. cit.n.17. Quia votum caſtitatis integrum manet , & in tota ſua vi , quoties ad ipſius obſeruationem aliqua opera à regula imperata neceſſaria erunt, ea ſeruanda eſſe , neque expectandum videri aut certum periculum, aut extremam neceſſitatem. Verùm ea obligatio non erit tunc vi regulæ, ſed vi caſtitatis. Et licet de talibus operibus regula ſileret ; vſurpanda tamen forent ratione caſtitatis voto promiſſæ.

112. Tertiò , non obligatur eiectus in vno tantùm loco habitare , ſiue ſolitariam vitat agat , ſiue non ; ſed poterit inſtar aliorum Clericorum ſi Clericus ſit,vbilibet pro arbitrio habitare & ſub quo libuerit Epiſcopo. Ita Suar. cap.6. cit. n.15. contra Frideric. de Senis conſil. 28. qui exiſtimat talem eiectum obligari poſſe ab Epiſcopo, vt viuat in loco ſolitario , vbi tria Religionis ſubſtantialia vota ſeruet.Quod Nauarr. conſil.79. de Regularib.aliique paſſim reiiciũt: quia ille neque vouit vitam ſolitariam , neque illa eſt ſecundum regulam , quam promiſit : nihil verò aliud illi imperari poteſt,quam quod vouit , aut promiſit. Vult tamen Nauarr.comm.2. de Regul.n.34.non poſſe hunc eiectum mutare domicilium ſine licentia Epiſcopi , cui ſe ſubdidit,& qui illud ipſi præſcripſit: quod meritò negat Suar. quia ille non vouit clauſuram , niſi Cœnobiticam & conuentualem , quæ reuera ab eiecto ſeruari nequit , vt vides.

Quartò , nequit eiectus deferre habitum Religionis , quo fuit priuatus.Nauarr.comm.2.de Regularib. num. 36. & conſil.78. de Regularib. Azor.1.part. lib.12. cap.18. quæſt.3. Leſſ. lib.2. de iuſtit. cap. 41. dub.15. num. 112. Sayr. lib. 6. in claui regia cap.9. num.28. Roderiq. tom.1. qq. regular. q. 30. art.26. Layman lib.4. tract.5. cap.13. q.2. Sanch. lib.6. c.9. num.55. Ferdinand. à Caſtro Palao, & Suar. locis citatis : quia cum ille à Monachatu fuerit depoſitus , eius ſignum & nota permitti illi non debet ; cederet enim in magnam infamiam Religionis. Nam habitus ſignificat ex communi omnium ſenſu actualem quandam vnionem cum illa Religione:illum igitur habitum ferre poterit , qui ſuo ſtatui conueniens erit , clericalem nimirum , ſi ipſe Clericus ſit ; laicalem verò , ſi non fuerit Clericus, ſed laicus : cur enim ad clericalẽ obligabitur. 113.

Consectarivm XIV.

An Religioſus eiectus ad ordines promoueri poſsit, & ad beneficia eccleſiaſtica.

114. Dicendum eſt primò, ſi delictum, propter quod fuit eiectus, habebat annexam irregularitatem infamiæ, aut aliam quampiam, & non fuerit ab ea diſpenſatus ante eiectionem, ſi potuit à Religione diſpenſari, non poſſe promoueri ad ordines, cùm habeat impedimentum Canonicum, vt patet.

Secundò, ſi nullam ratione delicti irregularitatem contraxit habeátque ſufficiens beneficium, quò ſuſtentetur, poterit promoueri ad ordines ab Epiſcopo ſeruatis omnibus ſeruandis. Ita Nauarr. conſil. 84. de Regularib. & Sanch. lib. 6. cap. 9. n. 39. Nihil enim eſt, vnde ex iure communi impediatur ab hac promotione, ſi alioquin ea videatur dignus Epiſcopo ſuo.

115. Tertiò, iure tamen nouo eiecti extra Religionem degentes ſunt perpetuò ſuſpenſi ab exercitio Ordinum, ſublata ordinariis locorum facultate dictam ſuſpenſionem relaxandi aut moderandi. Ita definiuit ſacra Congregatio Cardinalium probante; & confirmante Vrbano VIII. 21. Septembr. 1624. vti referunt Tamburin. tom. 3. de iure Abbatiſſ. diſput. 8. quæſ. 8. num. 11. Bonacin. de clauſura quæſt. 2. punct. 12. §. 6. qui bene aduertit id neque valere in nouitiis, neque in eiectis, qui ad aliam Religionem tranſierunt: non enim tunc degunt extra Religionem. Non placet tamen quod nomine Ordinum, à quorum exercitio ſuſpenduntur eiecti, intelligit omnes ordines etiam minores: ego enim ad maiores reſtringerem ex ii, quæ dixi tract. de cenſur.

Quartò, hinc ſequitur eiectum à Religione non poſſe promoueri ad ſuperiores ordines, quos non habet: quia cum ex Decreto illo Vrbani, functio ordinum illi ſit prohibita: erit quoque ſusceptio ipſorum vetita. Ex communi doctrina, quam in noſtra ſcientia Canonica diſputantes de cenſuris confirmauimus. 116.

Quintò, nequit etiam eiectus promoueri ad beneficium, cui eſt aliquis ordo annexus, ſiue illius functio; quia cum beneficium detur propter officium, ſi quis ſit incapax exercendi officij, eſt etiam incapax ſuſcipiendi beneficij ad illud officium collati: quod eodem loco docuimus. 117.

Sextò, expulſis à Religione prohibetur confeſſiones audire, prædicare, aut docere ſine licentia Sedis Apoſtolicæ. Ita Roderiq. tom. 1. qq. Regular. quæſt. 30. art. 21. Mirand. tom. 1. Manual. quæſt. 52. art. 5. Spatharius de modo corrigendi Regulares tract. 10. part. 3. cap. 20. num. 9. de Peirinis in ſubdito Religioſo q. 1. cap. 25. §. 1. concluſ. 7. Ita enim conceſſit Innocent. IV. Minoribus. Clemens IV. & Iulius II. Minimis, quæ referuntur in mari magno, à Cherubin. in Bullario, & à ſuperioribus Doctoribus, quibus priuilegiis participant omnes alij Religioſi, qui communicationem priuilegiorum habent. Vnde 118.

Septimò inferunt Roderiq. & Mirand. hos eiectos eſſe infames, cum illis hæc ſacra miniſteria prohibeantur: & adducunt Lapum in conſil. 38. Frideric. Senis, fuſiúſque hanc infamiam oſtendit loco allato de Peirinis, vbi tamen de infamia facti, 119.

quandiu

quandiu in ſæculo incorrecti permanſerint, interpretatur.

CAPVT V.

De ingreſſu fœminarum in monaſteria virorum.

1. HÆc vna ſupereſt nobis explicanda difficultas circa clauſuram regularem virorum: nam de ipſorum è monaſteriis & clauſtris egreſſu ſatis ſupérque diſputauimus hactenus; de ingreſſu itaque externorum in ipſa dicendum modò eſt: & quidem certiſſimum eſt non fuiſſe prohibitum illum ingreſſum viris communi iure, ſed ex ſola naturali obligatione, quam decentia religioſa, cura ſalutis, & vitandi ſcandalum indicit & poſtulat, ne paſſim & ſine delectu ſæculares in interiora monaſteria admittantur cum perturbatione quietis & aliis incommodis: ideóque peculiari lege aliqui voluerunt omnem aditum externis eſſe prohibitum, vti de Magno Iſidoro diximus alibi, qui nullum in ſuum monaſterium ſubire ſinebat, niſi ea lege, vt ex illo nunquam deinceps pedem efferret: & ſemper ad fores monaſterij ianitores excubuere, ne paſſim omnes, & ſine delectu ingredi permitterentur: atque quamuis magna fuerit perpetuò habita cura hoſpitum; non tamen omnes in interiores exedras recipiebantur. Neque cum omnibus paſſim agere & colloqui ſinebantur, vti fuſiùs explicatum fuit diſquiſ. 1. cap. 2. §. 9. Quam antiquorum ſollicitudinem imitati deinde ſunt varij regularium Ordinum Conditores in ſuis conſtitutionibus, quæ ferè aliquid ſtatuunt circa ſæculariũ & Religioſorum conſortiũ, etiam intra monaſteria, in quorum penitiores ædes paſſim non ſubeunt, neque in veſtibula ipſa, niſi à ianitore, qui vbíque præficitur oſtio aperiendo, & claudendo admittuntur. Hæ igitur priuatæ conſtitutiones ſeruandæ & expendendæ ſunt ſingillatim, tota verò quæſtio eſt circa ingreſſum fœminarum.

§. I.

Antiqui mores circa ingreſſum mulierum in monaſteria virorum.

ET quidem ſi antiquos mores ipſarum etiam Synodorum ſanctiſſimis decretis probatos ſpectemus, à monaſteriorum ingreſſu repulſas fuiſſe mulieres certiſſimè conſtabit. Nam Synodus Nicæna 2. c. 18. neque in Epiſcopiis, neque in monaſteriis eas verſari voluit, etiam miniſterij cauſa, immò nequidem in ſub vrbanis domibus & villis, vbi aut Epiſcopus, aut monaſterij Præſes adeſſent. *Mulieres in Epiſcopiis, vel monaſteriis verſari eſt omnis offenſionis cauſa. Si quis ergo ancillam vel liberam in Epiſcopio poſſidere deprehenſus fuerit, vel in monaſterio ad miniſterium aliquod obeundum, puniatur; ſi autem perſeuerct, deponatur. Si verò etiam in ſuburbanis mulieres eſſe contigerit, & voluerit Epiſcopus, vel monaſterij Præfectus illic iter facere, præſente Epiſcopo, vel monaſterij Præfecto, mulier eo tempore nullo modo miniſterium obeat, ſed alio in loco deorſum degat, donec receſſerit Epiſcopus, vt omnis reprehenſionis occaſio vitetur.* Immò ne ipſis quidem Regibus, dum in itinere ad Epiſcopia ex recepto 2.

more

more diuerterent, illuc fœminas inducere fas fuit. Ita enim Synodus Meldenſ. an. 845. 15. Kalend. Iul. Indictione 8. cap. 26. definiuit: *Suggerendum eſt etiam, & ex diuino mandato intimandum regiæ dignitati, vt Epiſcopium, quod domus Epiſcopi appellatur, qualiſcumque ſit in oculis Domini Epiſcopus; ipſe tamen à Rege Regum vt conſtitutus pro ſanctitate Ordinis Epiſcopalis, ſicut S. Gregorius ad Fortunatum docet, Epiſcopium venerabiliter, ac reuerenter introeat, & ſecundum ſanctam Prædeceſſorum conſuetudinem, quando orationis, & debitæ ſuſceptionis gratia in tranſitu conuenienti ciuitatem ingreſſus fuerit, habitaculis Epiſcopalibus reuerenter inhabitet, & non diuerſoria fœminarum magnificentia ſua, & Religio Venerabilis ibidē fieri permittat: Quia ſi ſecundum leges Canonicas in manſiones Clericorum introitus fœminarum prohibetur, quātò magis domus Epiſcopi ab huiuſmodi inhabitatione, & conuerſatione etiam, & à legitimo connubio coniugatorum debet immunis eſſe & aliena?* Qui verò fieri non poterat, vt ſi diutiùs in Epiſcopiis commorarentur Principes, hæc fœminarum conuerſatio prohiberetur: Idcirco ait Synodus conceſſam olim fuiſſe ab ipſiſmet Regibus immunitatem longioris eiuſmodi hoſpitij, ac commorationis in Epiſcopiis, quam obſeruari poſtulat à Rege: Erat is Carolus Caluus: *Sed & immunitates præcedentium Imperatorum ac Regum ab eiuſmodi longiori, & diuturniori conuerſatione, & commoratione Regum & quorumcumque potentium, ac ſæcularium perſonarum in Epiſcopio prohibent.* &c. Ex quibus plurima licet colligere, atque in primis legibus canonicis prohiberi fœminis in Clericorum habitationes introire. Deinde receptum in more fuiſſe, vt Reges in domos Epiſcoporum diuerterent. Tertiò, in ea Epiſcopia reuerenter ſubeundum eſſe ipſi Regi, pro ſanctitate ordinis Epiſcopalis. Quartò eam reuerentiam, quam à Rege domui Epiſcopali præſtari poſtulabant Patres, maximè fuiſſe in non inducendis ſecum fœminis, ita vt ne ipſas quidem Reginas excipiant; immò illarum maximè cauſa, cum Reges maritos comitarentur, videtur edita fuiſſe hæc conſtitutio. Fuítque etiam ea apud gentes perſuaſio ſacra à prophanis mulieribus impiari: nam & Herculis Gaditani fanum illis adire non licuit, & Marnæ celeberrimi templi apud Gazenſes à S. Porphyrio, diſiecti marmora pedibus mulierum proculcanda data ſunt, vti in eius S. Martyris rebus geſtis obſeruatur. Quintò, dicit Synodus hæc omnia ſuggerenda eſſe, & ex diuino mandato intimanda regiæ dignitati. Quod diuinum mandatum non ego quidem interpretor proximè, & directè de prohibendis fœminis ab Epiſcopio inhabitando, aut ſubeundo, ſed de reuerentia præſtanda huic loco in honorem ordinis Epiſcopalis: Vnde aliter deceat Regem in eo, quàm in ſuo palatio inhabitare: quando vel orationis gratia, vel ſuſceptionis, & hoſpitij in tranſitu ad ipſum diuerterit: eam verò reuerentiam, quam Patres exhiberi volunt, ex diuino mandato, ſiue inſtitutione, Epiſcopio, conſtituunt in non inducendis fœminis etiam coniugatis, in ſanctiſſimas eiuſmodi domos. An igitur tuliſſet illa Synodus mulieres Cœnobitarum limina proteruè terere.

Atque ne dicas hac lege prohiberi duntaxat habitationem fœminarum 3.

narum in Epiſcopiis; non verò ſimplicè ad illa acceſſum, aut ingreſſum: audi quid de hoc ingreſſu ante Meldenſ. Synodum ſtatuerit Matiſconenſ. 1. an. 576. cap. 3. *Vt nulla mulier in cubiculo Epiſcopi abſque duobus Presbyteris, aut certè Diaconus ingredi permittatur.* Aquiſgranenſis verò an. 816. Imperante Ludouico Pio cap. 144. *Fœminis namque non ſolùm in manſionibus & clauſtris Canonicorum prandendum, aut requieſcendum non eſt; quin potiùs nec in ea intrandi, excepto in Eccleſiam vltra tribuenda facultas: quia valdè hoc à ſanctis Patribus legitur inhibitum, ſi quid verò charitatis officio illis attribuendum eſt, extra clauſtra conſtituatur locus, in quo id accipiant.* Qui verò ſecùs fecerint, caſtigari ſeueriùs iubentur. Neque hæc lex tunc primùm ſancita fuit: quandoquidem teſtatur Synodus à ſanctis Patribus idem fuiſſe valdè inhibitum. Et ſanè Turonenſis 2. Synodus an. 570. Cheriberti Regis VI. Pontifice ſummo Ioanne III. ſic edixit cap. 17. *Vt mulier intra ſepta monaſterij nullatenus introire permittatur; ſi Abbas in hac parte, aut Præpoſitus negligens apparuerit, qui eam viderit, & ſtatim non eiecerit, excommunicetur.* Quam legem denuò Synodus Antiſſiodorenſ. an. 614. cap. 26. innouauit. *Si quis Abbas mulierem in monaſterio ſuo ingredi permiſerit, aut feſtiuitates ibi aliquas ſpectare præceperit, tribus menſibus in alio monaſterio retrudatur, pane & aqua contentus.* Nicæna 2. Synodus can. 20. etiam colloquium Monachi cum Monacha vetuit, non tantùm in monaſteria ingreſſum, quem etiam prohibitum æquè fuiſſe fœminis in monaſteria virorum, atque viris in ſacra Gynecæa, obſeruauit Balſam. in Can. 47. Trullanum diſquiſitione ſuperiori adductus Greg. lib. 3. epiſt. 40. arguit Valentinum Abbatem, quòd mulieres ad ſuum monaſterium paſſim accedere permitteret: quod deinceps fieri ſeueriſſimè prohibet; alioquin *Seueriſſimæ vltioni ſubdendum monet, vt emendationis qualitate cæteri ſine dubio corrigantur.* Quam Pontificiam conſtitutionem referunt Gratian. 18. quæſt. 2. cap. peruenit. Iuo 3. part. decreti cap. 18. & Anſelm. lib. 7. cap. 183. vt mirari liceat Suar. tract. 8. de Relig. lib. 1. cap. 7. numer. 1. alióſque recentiores affirmare in corpore iuris & lege canonica generali nihil quoad fœminarum in virorum monaſteria ingreſſum ſtatutum eſſe, cum & in ipſo decreto Gratiani, aliiſque Collectoribus, ea conſtitutio Gregorij referatur, vti diximus, & tam multæ Synodi à nobis allatæ, idem omninò præcipiant. Neque excipias eas eſſe prouinciales & nō œcumenicas, neque in corpus iuris congeſtas: nam in primis Nicæna 2. generalis fuit: deinde cæteræ teſtantur quid iuris eſſet in Eccleſia: quandoquidem ſequi ſe affirmant antiqua Patrum edicta. Quòd verò à Canonum Collectoribus omiſſæ, aut adductæ fuerint; nullam eis authoritatem confert, aut detrahit, vti fuſiùs docuimus in noſtra ſcientia canonica. Neque monita duntaxat, aut conſilia in his Synodis contineri, ſed veras leges & præcepta certò conſtat ex pœnis, quibus ſecus facientes puniri ſeueriùs iubentur.

Quòd ſi antiqua Monachorum inſtituta & facta repetamus, eos ſeueriores ſibi multò leges impoſuiſſe, 4.
quàm quæ deinde à Synodis latæ ſunt, comperiemus, cùm ne quidem mulieres ad ſe pietatis cauſa adeũtes

ſpectare ſuſtinerent, etiamſi vel matres, vel ſorores eſſent. Theodorus Monachus matrem ſe cum Epiſcoporum literis adeuntem videre renuit: quod fuſiùs deſcribunt acta S. Pachomij. Idem de Abbatibus Pœmene, & Nupti fratribus teſtatur Ruffin. lib. 3. de vitis Patrum cap. 154. Marcus antiquarius inſignis obedientia vir iuſſus ad matrem exire illi ſe ſpectandum præbuit, clauſis oculis, & eo ſchemate, vt ne quidem agnitus à matre fuerit. Ita habet lib. 5. de vitis Patrum libello 14. n. 6. Qua ratione ſtetit ſe prior Abbas apud Pallad. in Lauſiaca cap. 87. ſorori ſuæ. Pachomius ſororem ad ſe venientem vide recuſauit; illi tamen abrenunciare ſæculo perſuaſit. Neque dubitandum eſt cæteros Monachos erga fœminas ſibi nulla neceſſitudine coniunctas ſimilem diſciplinam ſeruaſſe. Ideóque idem Pachomius roganti cuidam, vt filiam ſuam, quam ad ipſum adduxerat à dæmonio liberaret, per oſtiarium reſpondit: *Non eſt nobis conſuetudo cum mulieribus colloqui*: eam tamen ſuis precibus deinde curauit, oleo à ſe benedicto inunctam. Ioannes Abbas Vrbis Lyco per 40. annos faciem mulieris non viderat: & iam nonagenarius vetuit Tribuno vxorem ſuam, qui illum videre cupiebat ad ſe adducere. Arſenius ſuaderi non potuit à Theophilo Alexandrino, vt virginem Romanam, quæ ea de cauſa in Ægyptum nauigarat, in ſuum conſpectum admitteret. Paulum Abbatem ne quidem veſtes muliebres conſpicere voluiſſe, & ab occurſu mulieris inſtar leonis fugiſſe narrat Caſſian. collat. 7. cap. 26. Stylitæ à ſepto, quod columnam ambiebat prohibebant fœminas, teſtibus Euagrio lib. 1. c. 14. & Nicephoro lib. 14. cap. 51. Itaut ne quidem Simeon intra illud matrem ſuam admiſerit, vt habet Antonius eius diſcipulus in ipſius vita cap. 9. & de Regina Iſmaëlitarum tradit quoque Theodoretus cap. 26. Philo; vt videas Reginas ab hac lege exceptas non fuiſſe, niſi ex quadam aliquando indulgentia, vt de Eudocia, quam ad S. Danielem Stylitam admiſſam fuiſſe innuere videntur illius acta, quæ etiam habent maniacam, quæ propter calumniam S. Danieli ſtructam à dæmone vexabatur, amplexu illius columnæ ſanatam fuiſſe. Atque hanc ſeueriorem licet diſciplinam ſibi gratam fuiſſe Deus miraculis ſæpiùs comprobauit. Nam Gregorius Turonenſ. lib. de gloria Confeſſor. cap. 26. tradit Baſilicam columnæ S. Simeonis nulli mulieri fas fuiſſe accedere. Itaque cum id neſcio quæ induta virili veſte tentaſſet, in ipſo limine mortua concidit. Non diſſimile traditur de S. Carelepho Abbate, qui non modò Vltrogodam Reginam ſuo conſpectu dignatus non eſt: ſed etiam Deum rogauit, ne qua mulier ſuum vnquam monaſterium ingrederetur: quas preces non fuiſſe irritas Geruda experta eſt: illam enim ſub virili ſchemate latitantem, & monaſterium impunè, vt rebatur adeuntem dæmon inuaſit. De monaſterio S. Fiacrij, non impunè à fœminis contra eius prohibitionem adito; plura narrantur in eius actis. Vinnalocus quoque à ſui monaſterij ſeptis fœminas omnes prohibuit. Quod habent etiam ſanctiſſima Carthuſienſium ſtatuta 2. part. cap. 26. Quod idem de quodã monaſterio in Solo-Mulki inſula apud Moſcos refert Roderiq. tom. 1. qq. Regular. q. 45. art. 1. Denique ne plura huc congeram, fuit hic conſtans Patrum ſenſus,

ſus, vnum do Hieronymum Epiſt. ad Ruſticum Monach. Fœminæ, quæ tuum nomen nouerint, vultum neſciant.

§. II.

Quid ſtatuat nouum ius circa ingreſſum fœminarum in monaſteria virorum.

5. VEnio ad nouiſſimas Pontificum conſtitutiones. Pius V. in Extrauagante *Regularium* an. 1566. reuocat omnes licentias quibuſcumque fœminis conceſſas etiam ab apoſtolica Sede ingrediendi quaſcumque domos ac monaſteria virorum, & quæ prætextu illarum facultatum ingreſſæ fuerint, excommunicat, aliaſque pœnas ipſas inducentibus adiicit. Quam conſtitutionem innouauit, confirmauitque poſtea Gregor. XIII. in motu proprio, *Vbi gratiæ* an. 1575.

In his verò conſtitutionibus non prohibetur ſimpliciter ingreſſus fœminarum in monaſteria virorum; ſed duntaxat ille, qui prætextu eiuſmodi facultatum fit: quod obſeruant Nauarr. comm. 4. de Regularib. n. 62. Roderiq. tom. 1. qq. Regular. q. 48. art. 2. Sanch. lib. 6. in Decalog. c. 16. numer. 79. & cap. 17. numer. 8. Suar. tract. 8. de Relig. lib. 1. cap. 7. num. 5. & alij paſſim. Quia ex ipſomet textu conſtat non agi, niſi de abuſu prædictarum facultatum, quas idcirco reuocant Pontifices, & fœminas, quæ illarum, vtpotè nullarum, prætextu abuterentur, ad ingredienda monaſteria eiuſmodi, grauiter punit. Quare fœminæ, quæ aliter, quàm vi eiuſmodi facultatum ingrediuntur, ſiue eas facultates habuerint, ſiue non habuerint, non peccant in eiuſmodi conſtitutiones, neque pœnas in illis inflictas incurrunt; ſecus verò ſi facultates illas ad ingrediendum ſiue verè, ſiue falsò obtendant. Ideóque, vt omne dubium hac in parte tolleretur, declarauit Pius V. ſe omnibus fœminis etiam aliter quàm vi facultatum ingreſſum prohibuiſſe, vti refert Nauarr. loco cit. aitque ita ſeruari in prætorio pœnitentiæ ex ſententia Gregorij XIII. verùm cum de illa declaratione authenticè non conſtet, non eſt extendenda conſtitutio Pontificia pœnalis vltra caſum in illa expreſſum: illius tamen declarationis teſtimonium aliud refert Roderiq. q. citata art. 3. quod ſanè non ſufficit ad faciendam fidem authenticam.

Idcirco Suar. tom. 5. in 3. part. diſput. 22. ſect. 6. Philiarch. de officio Sacerdot. tom. 1. part. 1. lib. 3. cap. 30. Layman lib. 4. tract. 5. c. 12. num. 4. Sanch. lib. 6. cap. 17. num. 9. exiſtimant hunc ingreſſum mulierum neque ex natura rei, neque ex prohibitione Pontificia, ſecluſis circunſtantiis extrinſecis, ſcandali, periculi, & praui finis eſſe mortalem. Quia tamen Pius V. in poſteriori quadam conſtitutione, quæ incipit *Romanum Pontificem*. an. 1570. quaſcumque fœminas ſiue prætextu facultatum ſibi conceſſarum ſiue alio quopiam monaſteria iſta ingredientes iiſdem pœnis ſubiicit. Vti refert Confectius in priuilegiis ordinum mendicantium. Non ampliùs dubitari poteſt hunc ingreſſum ſimpliciter & ſub iiſdem pœnis fuiſſe fœminis omnibus prohibitum: quod fatetur Suar. lib. 1. cit. cap. 7. num. 9. & Ferdinand. à Caſtro tract. 16. diſput. 4. punct. 8. n. 1.

Exiſtimarim ego quidem nullam in eo ingreſſu eſſe malitiam morta- 6.

 lem

lem ex natura rei: deinde nullum quidem ius eccleſiaſticum illum ſimpliciter prohibere: quæ enim priori §. adducta fuere, iam ſunt antiquata: præterea priores illas conſtitutiones Pij V. & Gregorij XIII. de ingredientibus prætextu facultatum agere duntaxat, & non prohibere ſimpliciter ingreſſum illum oſtenſum fuit. Poſtrema verò conſtitutio Pij V. à Confectio relata, non eſt promulgata, aut paſſim recepta, cùm tamdiu latuerit Doctores, antequam à Confectio referretur.

Nihilominus tamen ex iis omnibus certò colligitur, ex quodam iure non ſcripto, & ex recepto vſu ſemper prohibitum fuiſſe eiuſmodi ingreſſum; quandoquidem ad illum fuerunt obtinendæ licentiæ etiam Sedis Apoſtolicæ: diuerſa tamen fuit ea prohibitio, & alicubi laxior, alibi ſeuerior pro diuerſis moribus ac inſtitutis diuerſarum Religionum, quæ etiam ſuis legibus diuerſa ſanciuerunt hac in parte, & abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ingreſſum illum negari voluerunt: immò nonnulli poſtulant in licentia pontificia fieri expreſſam mentionem Regulæ vetantis illum ingreſſum, cui deroget Pontifex, quod ſapienter ſtatutum eſſe contendit Paſſarell. in compend. priuileg. Minimor. Roderiq. 1. tom. ſumm. cap. 60. num. 6. Sanchez lib. 6. cap. 17. num. 32. non placet tamen Bonac. quæſt. 5. de clauſ. punct. 4. n. 2. qui in quocumque priuilegio mentionem fieri vult Regulæ vetantis ingreſſum, etiam ſi illa non poſtuletur. Inde factum eſt, vt plures fœminæ eas licentias à Sede Apoſtolica ambirent, earúmque prætextu moleſtiam deinde afferrent, tum Carthuſienſibus, tum aliis ſeuerioris diſciplinæ viris: quæ res coëgit Pium V. eiuſmodi licentias primum reuocare, illatúmque vſu grauiſſimis ſancitis pœnis interdicere: deinde abſolutè illum ingreſſum ſub iiſdem pœnis omnibus fœminis prohibere. Itaque conſulenda erunt tum Religionum diuerſa ſtatuta, tum varij mores; & an hæ pontificiæ conſtitutiones promulgatæ, & in vſum vbique inductæ fuerint, & pro grauitate culpæ grauitatem pœnæ metiri.

In his porrò conſtitutionibus neque Reginæ, neque aliæ ex ſtirpe regia, neque etiam fundatrices comprehenduntur, vti diſquiſit. 1. cap. 4. §. 2. conſ. 1. & 2. diximus, itáque cenſet Sanchez cap. 17. cit. num. 6. & 7. aliique; ingrediuntur autem cum ſua comitiua, vti loquuntur, hoc eſt puellis aliiſque illas comitari ſolitis. De reliquis fœminis dicendum eſt idem, quod diximus ſuperiori diſquiſit. de earumdem in monaſteria Monialium ingreſſu. Vide Bonac. q. 5. de clauſ. punct. 2.

Nomine quoque monaſteriorum, ſiue domorum intelligunt Pontifices 7.
propria tantùm, & vera monaſteria, & particulam, *&*, vſurpant expoſitiuè pro, *ſiue*, quod obſeruauit Nauarr. illo num. 62. comm. 4. de Regularib. & conſil. 66. eod. tit. num. 3. & conſil. 5. de verbor. ſignificat. num. 3. Bonac. diſput. de clauſura q. 5. punct. 1. Limites porrò monaſteriorum quoad egreſſum, aut ingreſſum fuſiùs deſcripſimus diſq. 1. cap. 2. Vnde fit, vt in prædia & hortos monaſteriorum, qui ſunt extra clauſuram, & ad quos non patet Religioſis aditus per clauſtrum, ingredi fas ſit fœminis, ſicut & Eccleſiam omnibus patentem, chorum Religioſorum in ea, immò & in ſacriſtiam, niſi aliud ferat vſus: quia ea cenſetur pars Eccleſiæ, quando

do ad illam patet ingreſſus ex Eccleſia. Vide Bonac. num.cit. Conſulendum tamen erit offenſioni ſæcularium. Atrium verò ſcholarum Societatis Ieſu ſub clauſura non continetur; domus priuatæ, in quibus Religioſi reſident in miſſionibus, ſiue propria Eccleſia habente Euchariſtiam & clauſtra non cenſentur monaſteria, neque ab illis prohibentur mulieres, ſecluſis ſcandalo, prauo fine, aliiſve eiuſmodi maleficis circunſtantiis, neque à domo & aula Abbatis, aut Præpoſiti Regularis, eiúſque officialium vſui & habitationi deputata, & à clauſtro ſeiuncta, aut ad monaſterij ianuam collocata. Quod idem dè domo regularis Canonici non habitantis intra clauſtrum, licet monaſterio contigua ſit illa domus, cenſent Nauarr. comm.4. de Regularib. num.65. Roderiq. quæſt. 48. art.4. & alij. Vide Capellam Tholoſanam deciſ.449. & Aufrerium in illa, vbi circa Canonicos D. Auguſtini ea quæſtio agitatur. De his omnibus vide Sanch. cap.17. cit. Ferdinand. à Caſtro Palao, Layman & alios ſupra adductos. Addo duntaxat cum Bonacin. q.5. punct.2. hunc ingreſſum prohibitum eſſe, etiam ſi monaſterium vacuum ſit, abſentibus omnibus Religioſis.

§. III.

Quænam cauſa ſufficiat ad permittendum ingreſſum mulieribus in monaſteria virorum.

GEminam cauſam ſapienter aſſignat Ferdinand. à Caſtro Palao diſput.4. cit.punct.8. num.8. neceſſitatem nimirum & pietatem. Et ſanè eadem neceſſitas, quæ permittit viris ingreſſum in monaſteria fœminarum; permittit quoque fœminis in monaſteria virorum. v. g. ſi extinguendum foret magnum incendium, neque viri ad conuehendam aquam, aliáſque operas ſufficerent. Si plures ægrotent Religioſi, quibus nec mederi, nec miniſtrare velint viri, aut poſſint, honeſtis fœminis id officij præſtare licebit: ſicut etiam ſi brachium, aut membrum aliud confractum ſola mulier componere poſſit in eo loco, neque Religioſus infirmus ſine periculo exire valeat, nihil omninò prohiberet eiuſmodi fœminam cum decenti comitatu ingredi. Ita Roderiq. in expoſitione conſtitutionis Pij V. quam hoc loco verſamus num.13. & tom.1. qq.regular. quæſt. 46. art. 7. Sorbus in priuileg. mendicant. ver. ingreſſus monaſteriorum. num.6. Ferdinand. punct.cit. num.8. Sanch. lib.6. in Decalog. c.17. num.30. qui extendit ad caſum, in quo, ex decreto Medicorum æger fuerit à fœmina lactandus, ita vt alio lacte curari non poſſit, neque extra monaſterium egredi: tunc enim licere ingreſſum fœminæ opinatur, cui adhæſit Bonacin. punct.4. n.4.

9. Altera cauſa permittendi fœminis ingreſſum in monaſteria virorum eſt pietas ad Miſſas & alia diuina officia audienda, quando in clauſtris celebrantur: tunc enim ad illa loca cum aliis perſonis catholicis liberè & licitè accedere poſſe indulſit fœminis Pius V. in quodam viuæ vocis oraculo in gratiam Fratrum Minorum, vti referunt Quaranta ver. monaſteria, & Roderiq. tom. 1. qq. regular. quæſt.48. art. 3. vbi & pluribus aliis teſtibus id priuilegium confirmat. Cui ſine dubio communicant alij ordines, qui priuilegiorum ipſius

participationem habent : neque dicas viuæ vocis oracula fuiſſe per Gregor.XIII. ſublata, quam conſtitutionem extendit ad eiuſmodi oracula etiam manu Cardinalium ſuſcripta Vrbani VIII.Nam cum hæc conceſſio iam à pluribus ſæculis inducta fuerit in vſum,iam ipſo vſu, & conſuetudine vim ſuam obtinuit , & non ſolum ex pontificia conceſſione. Deinde quia non fuit ſolum viuæ vocis oraculum hoc priuilegium : conſtat enim ex Roderiq. fuiſſe ſimpliciter conceſſum , aut confirmatum.

Ex his plurima colligunt Sanchez cap.17. quæſt.3. Bonacin.quæſt.5. de clauſ. punct. 4. Ferdinand. à Caſtro tract. 16. diſput. 4. punct. 8. & aliis paſſim.

10. Primum poſſunt fœminæ Miſſam audire in clauſtro , dum in illo celebratur , etiam ſi illa celebratio fiat ob alicuius honoratæ perſonæ priuatam deuotionem , vt obſeruat Sanchez & Roderiq. quia ſimpliciter concedit Pius fœminis audire Miſſam in clauſtris. Quacumque igitur occaſione celebretur,id licebit.

11. Secundò , licitè ingrediuntur monaſterium , vt adſint horis canonicis , Officio B. Virginis , aut defunctorum , ſolemni benedictioni candelarum , aut oliuarum , adorationi Crucis, dum inibi ex Eccleſiæ more iſta fiunt : ſicut etiam ſi ibi ſolemniter canitur epiſtola, aut euangelium: quia hæc omnia ſignificantur nomine diuinorum officiorum , quorum tempore licitus eſt hic ingreſſus fœminis. Nam ſi aliqui duntaxat Religioſi priuatim ibi horas recitarent, aut Miſſam facerent,reuera non eſſet locus huic licentiæ.

12. Tertiò dum fit lotio pedum , & mandatum in die cœnæ Domini ritu eccleſiaſtico : quare inutiliter addit Bonac. modò in ea lotione Euangelium , aut alia oratio ſolemniter recitetur : nam non eſſet alioquin lotio ſacra , ſed priuata & domeſtica, aut regularis tantum , vt cum hoſpitibus ex antiquo vſu lauantur pedes.

Quartò , dum fit ſolemnis profeſſio in clauſtro quod Roderiq. quæſt. 48. cit. art.3. Sanchez cap.17. num.25.ad ſuſceptionem habitus extendunt , malè repugnante Bonacin. quia vtrobique ſunt ſolemnes , & ſtatæ cærimoniæ cum orationibus ſacris. 13.

Quintò , dum habetur concio,ſepelitur cadauer , & funus fit , atque anniuerſaria , ſiue ſuffragia pro mortuis : hæc enim omnia diſtinctè in conceſſione Pij exprimuntur. 14.

Sextò , dum inſtituitur ſolemnis proceſſio , ſiue in ea feratur SS. Sacramentum , ſiue non : proceſſionis enim meminit Pius V. Addit Bonac. id verum eſſe, quando publicè & ſolemniter ad infirmum defertur SS. Sacramentum. 15.

Septimò , ſi tanta ſit multitudo, vt commodè nequeant fœminæ per primariam Eccleſiæ portam egredi, aut ingredi , poſſunt per clauſtra , & alia loca interiora tranſire : id enim concedit Pius. Sed tunc debent fœminæ ad Eccleſiam rectà ſe conferre, & aliò non diuertere, vt laudati Doctores obſeruant , & Barboſa 3. part. de poteſtat. Epiſcop. allegat. 102. num.86. 16.

Octauò, non licebit tamen ingredi , vt interſint theſibus Theologicis , etiam vulgari idiomate diſputatis , aut comediis etiam piis : quia reuera eæ actiones diuina officia nominari nequeunt : ſecus verò ſentio de ſcholis , & aula ſcholarum Societatis Ieſu : cum enim neque atrium 17.

ſcholarum

ſcholarum limitibus clauſuræ contineatur, neque ipſæ ſcholæ, aut aula, ad quas aditus tantum eſt ex atrio, & non ex interiori domo ſunt intra ſepta clauſuræ, & reuera omnibus pateant: eas quoque adire fas fuerit fœminis. Quamuis, vt de ipſo atrio monuit Sanch. & Ferdinand. non deceat in illas aulas paſſim, & ſine cauſa, ac non niſi prudenter fœminas inducere.

18. Nonò non niſi tempore diuinorum officiorum licitus eſt hic ingreſſus: quare toto die non debebit ille patere. Quod tamen ita accipias velim, vt dum populus conuenit ad diuina officia, antequam inchoentur, dum etiam illis peractis, illic aliquandiu ſubſiſtit, orationis gratia, aut dum expectat, donec effluat multitudo liceat ingredi: dum etiam toto die exponitur SS. Sacramentum in aliqua capella clauſtri, aut illa ad indulgentias viſitatur, aut dum ob feſti celebritatem conferta eſt Eccleſia, neque egreſſus & ingreſſus niſi per portas clauſtri commodus eſſe poteſt: licitus omnino erit ingreſſus fœminarum.

19. Decimò ſi diutiùs poſt diuina officia ſubſiſtunt in his locis fœminæ, aut fortaſſis à Religioſis colloquij cauſa detineantur, non peccabunt contra clauſuram, neque pœnas illam violantibus impoſitas incurrent. Ita Sanch. cap.17. cit. numer. 29. & Bonacin. punct. 4. etiam cit. contra Roderiq.tom.1.qq.regularium q.48. art.2. ſub fin. Quia pœnæ ſunt impoſitæ ingredientibus ſine licentia, & admittentibus; non autem immorantibus, vel detinentibus ingreſſas. Vide quæ diximus diſquiſit. 1. cap.5. conſect.14. & 15.

20. Vndecimò hæc eadem ratio & ſtricta interpretatio legum pœnalium perſuaſit Bonacinæ ſub finem punct.4. citati eas fœminas licitè ſemel ingreſſas, ſi deinde interiores officinas, & loca regularia luſtrent, non affici excommunicatione inflicta ingredientibus ſine licentia: neque Religioſos eas deducentes pœnis contra admittentes latis affici: quia licet fateatur hos omnes violare clauſuram, quod etiam tradunt Sanch. num.25. Ferdinand. à Caſtro punct.8. num.2. & alij; non tamen præſumunt ingredi ſine licentia; ac proinde non debent puniri pœna, quæ in ingredi præſumentes fertur. Exiſtimo cum hac violatione coniunctam eſſe excommunicationem contra ingredientes, vti dixi cap. 8. §.1. ſuperioris diſquiſit. Neque enim ingreſſus phyſicus tantùm, ſed moralis eſt capiendus.

Duodecimò concedo tamen fœminas, quæ tempore diuinorum officiorum modo explicato ingrediuntur, ſi non pietatis cauſa, vt diuinis aſſiſtant officiis; ſed ex prauo quodam fine, ſiue curioſitatis, ſiue alio quopiam, etiam turpi, ingrediantur: neque contra clauſuram peccare, neque pœnas vllas incurrere. Ita Roderiq. Sanch. Sorbus, Ferdinand. Bonacin. & alij; quia tunc ingreſſus non eſt interdictus. Neque exiſtimo, quod tamen vult Sanch.num.28. debere habere finem diuinis officiis aſſiſtendi, quamuis ſimul aliud quidpiam agere velint. Nam ſufficit, ſi ingrediantur eo tempore, quo licitus eſt ingreſſus. 21.

Decimotertiò exiſtimant Roderiq. quæſt. 48. cit. artic. 3. Sanch. cap. 17. artic. 3. Sorbus in compend. priuileg. mendicant. ver. ingreſſus monaſteriorum, Ferdinand.punct.4. Prælatos, qui extraordinarias proceſſiones indicerent ea tantùm de cauſa, 22.

cauſa, vt fœminæ clauſtra ingrediendi licentiam haberent, incidere in pœnas à Pio V. latas: quia concedit ille tantùm ingreſſum pietati, & orationi conſentaneum; non relaxat autem clauſuræ rigorem. Placet tamen quod ait Bonac. Prælatum quidem ſua poteſtate tunc abuti; non tamen in legem clauſuræ peccare: quia facit aliquid, ex quo redditur licitus ingreſſus mulieribus, eſto non debeat aliquid præſtare ea tantùm de cauſa, vt fœminæ licitè valeant ingredi: ſi tamen id faciat, non apparet profectò, quod in clauſuram ipſe, aut illæ fœminæ peccent.

§. IV.

Pœna in fœminas ingredientes monaſteria virorum, & in viros illas admittentes, aut inducentes.

23. IN veteri iure nullam legimus inflictam fuiſſe pœnam fœminis illicitè ingredientibus hæc monaſteria, ſed Prælatis illas admittentibus, vti conſtat ex §.1. Nam Gregor. lib.3. Epiſt. 40. ſeueriorem pœnam Abbati Valentino, eam ob cauſam comminatur. Et Concil. Aquiſgran. cap. 144. Turonenſ. verò 2. c. 17. excommunicationem imponit. Altiſſiodorenſ. cap. 26. tribus menſibus retrudi in alio monaſterio iubet Abbatem, qui fœminas induxerit in monaſteria, & aqua ac pane interea contentum eſſe.

24 Iure nouo Pij V. & Gregorij XIII. ipſæ fœminæ ſine licentia ingredientes, ſiue prætextu facultatum reuocatarum, excommunicantur ipſo facto, neque ab alio, quàm ſummo Pontifice, niſi vrgente morte poſſunt abſolui.

Religioſis verò, ſiue Prælati ſint, ſiue non, qui fœminas introducere, admitteréve præſumunt, ſuſpenſio à diuinis, priuatio officiorum, & inhabilitas ad illa imponitur. Gregor. XIII. addit priuationem beneficiorum, & inhabilitatem ad illa, & excõmunicationem reſeruatam Pontifici, neque petit in admittentibus præſumptionem. Verùm conſtitutio Gregorij attingit eos duntaxat, qui ingredi faciunt has fœminas prætextu facultatum iam reuocatarum. Pij verò ſanctio ad quemcunque ingreſſum ſine licentia debita extenditur per Extrauagantem *Romanum Pontificem*, vti diximus.

De his porrò pœnis idipſum dicendum eſt, quod diximus cap. 8. ſuperioris diſquiſitionis de pœnis contra violantes Monialium clauſuram.

Nam cùm præſumptionem requirat Pontifex, excuſabit non modò obliuio, incogitantia, & ignorantia probabilis, ſed etiam culpabilis & craſſa, modò non ſit ingens temeritas, vti explicabamus eo loco, vbi etiam quid nomine officiorum, quibus priuantur hi peccantes intelligatur, expoſuimus, & ad has pœnas incurrendas ſententiam ſaltem declaratoriam criminis requirebamus, non autem ad ſuſpenſionem à diuinis, quæ ipſo facto, & ſine vlla alia declaratione incurrenda dicitur expreſſiſſimè à Pio V.

Denique quis poſſit, tum ab excommunicatione illa, & à cenſura ſuſpenſionis abſoluere, tum ab iſtis aliis inhabilitatibus diſpenſare ibid. quæſiuimus, & pendet ex variis priuilegiis ac facultatibus, quæ alibi expendenda erunt.

DISQVI

DISQVISITIO III.

De Aſcetis incluſis, tum viris, tum fœminis.

DVABVS ſuperioribus diſquiſitionibus tertiam iſtam ſubiicere placuit, vt quæ præceptis docueram, illuſtrioribus confirmarem exemplis: & omnia, quæ ad aſceticam clauſuram pertinent, repræſentarem, ſiue ea ſuis legibus antiqui vitæ Religioſæ moderatores ſanciuerint, ſiue grandiori quodam afflati ſpiritu generoſi quidam Aſcetæ præter omnes canones & ſolemnem morem ſtupente Orbe Chriſtiano, illa ſuſceperint. His enim inſolitis factis & magnis exemplis incitati poſteri, & ſuauiores hodiernæ clauſuræ leges faciliùs ferent, & quàm tenera ac delicata ſit noſtra ætas ad maiorum robuſtam pietatem & conſtantem animi celſitudinem comparata, non ſine aliquo rubore æſtimabunt; ſuam damnabunt ignauiam, inertiam caſtigabunt, & quæ ad tam ardua & difficilia præſtanda homines ex eodem nobiſcum luto fictos concitauit, diuinam virtutem præconiis efferent. Vt enim eruditè diſſerit Theodoretus in ſuo Philotheo de Magno Simeone, qui primus in columnam aſcendit diſputans, τὸ καινὸν τοῦ θεάματος ἐνέχυρον ἀξιόχρεων γίνεται τοῦ διδάγματος. Nouitas ſpectaculi idoneum eſt pignus doctrinæ, quæ nimirum factis ipſis repræſentantur, fidem vi quadam extorquent, quam doctrina & diſciplina, non niſi ægrè perſuadebat: & qui inquit ad inſoliti tantum ſpectaculi contemplationem venerat, εἰς θεωρίαν ἀφικνούμενος, diuinioribus quibuſdam informatus, τὰ θεῖα παιδευθεὶς, diſcedit, atque vti Principes ſolent interdum nummorum imagines mutare, & illis modò leonum, modò ſtellarum, modò Angelorum figuras inſculpere, vt peregrino charactere aurum pretioſius faciant τῷ ξένῳ, χαρακτῆρι τιμιώτερον χρυσὸν. Sic Deus vniuerſorum princeps, ὁ τῶν ὅλων παμβασιλεύς, nouas quaſdam & inſolitas vitæ rationes, καινὰς καὶ παντοδαπὰς πολιτείας, tanquam characteres pietati adiicit, vt illam & pretioſiorem, auguſtiorémque reddat; & ad eius admirationem atque præconia, ipſorum quoque infidelium, atque impiorum mentes ac linguas incitet, quod reuera in Magno Simeone contingit. Ex ſua enim illa columna Iſmaëlitas, Iberos, Perſas, Armenos & remotiſſimas quaſque gentes ſtupore quodam perculit, atque à ſuis erroribus ad veram pietatem traduxit: tantum ſiquidem ſplendorem extraordinariis factis inſolita virtus eiaculatur, vt denſiſſimas caligines diſpellat & immanitate efferatas mentes illuſtret.

Cap. Primvm.

De varijs Aſcetarum inſtitutis & incluſorum generibus.

1. SApienter omnino Theodoretus Baradati, incluſi vitam à communi vſu plurimum abhorrentem ſcripturus obſeruauit, pietatis alumnos varias eius ſectandæ vias, quas diuerſas in cælum ſcalas ipſe appellat εἰς οὐρανὸν διαφόρους κλίμακας excogitaſſe: Cum enim callidus hominum hoſtis innumeras quotidie ex fœcunda illa malorum mente extundat artes, quibus impietatem diſſeminet, & naturam humanam corrumpat, non debuit profectò minus ingenioſa videri pietas ad hominum animos ad Dei cultum, & amorem permouendos. Alij itaque turmatim decertantes κατὰ συμμορίαν ἀγωνιζόμενοι lauream referunt; alij ſolitariam amplexi vitam humano omni abiecto ſolatio eamdem victoriam obtinent, alij in tuguriis; alij in tabernaculis; alij in antris, & ſpeluncis cum dæmone luctantur; alij ſub dio poſiti vniuerſas aëris, & temporum iniurias perferunt. Qui etiam omnes diuerſas viuendi rationes ſectantur: alij ſiquidem perpetuò ſtant; alij ſtatione & ſeſſione diem partiuntur. Quidam muris & ſeptis ſeſe includunt, & omnium conſpectum atque congreſſum fugiunt. Alij ſeſe omnibus commodant, & nullo aut tecto, aut domo, aut maceria ſepti in omnium propatulo, & publica luce atque oculis viuunt. Quæ omnia minutiùs concidere, & accuratiùs percenſere longioris, & faſtidioſæ foret operæ. Quare placet hæc varia inſtituta ad ſumma quædam capita, & veluti genera ex communi, & antiqua Patrum ſententia reuocare.

§. I.

Diuerſa genera Aſcetarum.

DIuus Hieronym. Epiſtol. 22. ad Euſtoch. tria dicit eſſe genera Monachorum in Ægypto. *Primum Cœnobitæ, quod illi Sauſes gentili lingua vocant: nos in communi viuentes poſſumus appellare: Secundum Anachoritæ, qui ſoli habitant per deſerta, & ab eo, quod procul ab hominibus receſſerint, nuncupantur. Tertium genus eſt, quod Remohot, dicunt deterrimum, atque neglectum.* Similia diſſerit Piammon apud Caſſian. collat. 18. cap. 4. ſed tertium illud, quod Hieronym. nominat Remohot, ipſe Sarabaitarum appellat, & tepidum, reprehenſibile atque omnibus modis euitandum dicit, & c. 7. deterrimum & infidele Monachorum genus, cap. 8. Quartum genus Monachorum addit nuper inuentum, qui falsò Anachoretas æmulati, excuſſo obedientiæ iugo, vt liberiùs viuant, ſolitariam vitam amplectuntur. S. Benedict. cap. 1. Regulæ quatuor quoque Monachorum facit genera; Cœnobitas, Anachoretas, Sarabaitas & Gyrouagos. Iſidor. verò lib. 2. de diuinis officiis cap. 15. duo alia adiicit, & ſex numerat Cœnobitas, Anachoretas, & eos, qui prætextu vitæ ſolitariæ liberiùs viuunt, quos etiam quarto loco numerabat Piammon Circelliones, & denique Sarabaitas. Vides tamen parum accuratas eſſe iſtas diuiſiones, cum aliqua membra mutuò ſeſe includant, & non inter ſe opponantur. Nam Remothitæ, & Sarabaitæ Cænobitæ 2.

nobitæ ſunt, ſed improbi. Anachoretæ vel non ab eremitis differunt, vel non ſufficienter ad nouum genus conſtituendum. Quod idem dico de quarto genere à Piammone & Iſidoro allato, quod Anachoretas quidem ſed falſos, atque improbos continet. Circelliones, ſiue Gyrouagi Cœnobitæ ſunt, ſed deterrimi, eóſque aliqui confundunt cum Sarabaitis.

§. II.

Aſcetarum in Anachoretas, & Cœnobitas adæquata diuiſio.

3. Aſcetarum itaque ſiue Monachorum duo tantum genera, ſapienter conſtituit Auguſtinus lib. 1. de morib. Eccleſ. cap. 31, eos nimirum, qui ſecretiſſimi penitùs ab omni hominum conſpectu deſertiſſimas terras incolunt; & eos, qui contemptis atque deſertis mundi huius illecebris, in communem vitam caſtiſſimam, ſanctiſſimámque congregati, ſimul ætatem agunt. Quibus verbis manifeſtè cœnobitas, anachoretáſque deſcribit. Et ſanè hæc duo vitæ genera communis nimirum, & ſolitariæ totam viuẽdi rationem adæquatè partiuntur, cùm ſeſe inuicem & immediatè includant, neque medium inter illa extrema dari poſſit. Nam vita ſolitaria, qua quis ſolus, & ab aliorum omnium conſortio ſeparatus viuit, negat vitam communem, qua aliquis ſimul cum alio quopiam viuit. Quòd enim ſint plures, aut pauciores qui in communem vitam congregentur, non facit diuerſitatem niſi admodum materialem. Sicut etiam quod quis ſolus in loco remotiori, mediis in ſyluis, aut alibi degat. Itaque vita communis & ſolitaria, ſiue cœnobitica, & anachoretica ſunt duo veluti ſumma genera vitæ religioſæ, quæ deinde pro variis inſtitutis, fine proximo ac mediis, diuerſíſque obſeruationibus in ſubiectas ſibi ſpecies commodè diuiduntur: neque enim in his moralibus, tam exacta & logica diuerſitas ad ſpeciem conſtituendam conſideranda eſt, ideóque parum omnino accurati fuerunt antiquiores initio relati in aſſignandis variis Monachorum generibus, cum inter illa laruas quaſdam ac monſtra & corruptiones, ac confuſiones Religionum non Religiones, vti etiam obſeruauit Bellarminus lib. 2. de Monach. cap. 3. & ſtatim conſtabit, numerarint.

Moneo duntaxat in præſentiarum duabus iſtis claſſibus, cœnobitis nimirum & anachoretis Aſcetarum, & Monachorum nomen æquè conuenire ἀσκηταὶ enim, ſiue exercitatores dicuntur à Baſilio maximo, Palladio & aliis, quod nomen à re gymnaſtica ſumptum eſt: ſic enim nominantur athletæ ex Iulio Polluc. lib. 3. onomaſt. cap. 3. apud Platonem, quod curſu, cæſtu, pugnis, aliiſque rationibus ſeſe ad pugnandum exerceant; ſimili ratione, oratione, meditatione, corporis afflictationibus, labore manuum, aliiſque eiuſmodi pietatis officiis ſeſe exercent; ad ſtudium virtutis decurrendum, & dæmonis inſultus frangendos, tum qui in communi vita viuunt, & turmatim, vt dicebat initio Theodoret. ac veluti ſuccenturiatis manipulis pugnant, tum qui ſoli luctantur, inde vita religioſa, & Monachalis à Theodoreto in Philotheo, in Euſebio ἀσκητικὴ πολιτεία, & paſſim à Baſilio, Palladio & Concil. Gangren. can. 12. 13. 17. & 18. ἀσκητὰς 4.

exercitatio dicitur, qua eadem voce vſus fuit Lucian. ad philoſophiæ ſtudium deſignandum & ſimili ſenſu dicit Xenophon ἀσκεῖν τὴν ἀρετὴν virtutem exercere & colere, & Greg. λόγοις ἀσκουμένους literis ſtudentes dixit, ἀσκητήριον quoque vocant ſeceſſum exercitatorium, ſeu locum, in quo habitant & exercentur Aſcetæ, ſic monaſteria & Cœnobia nominat Metaphraſtes in Martiano, atque alij vulgò ſicut & gymnaſia & Palæſtras, cum denique qui religioſæ exercitationi præeſt gymnaſtem & pædotribam frequenter Theodoretus.

Denique eadem de cauſa Sanctimonialem & Religioſam fœminam ἀσκήτριαν dixit Iuſtin. in Nouel. 123. vti refert Balſamon in Canon. 62. Synodi Trullanæ, vbi grauibus pœnis prohibet hiſtrionibus, ne σχήματι μονάχου ἢ ἀσκητρίας, vtantur, aut illum imitentur, quod ab ipſis Clericis aliquando factum ibidem obſeruat Balſamon.

5. Iam verò Monachi nomen non modò ſolitariam vitam μονόδιον βίον, vt loquitur Theodoretus, agentibus, ſed etiam communiter viuentibus conuenire nemo negat, ipſéque vſus pridem obtinuit: licet enim Hieronym. Epiſt. 1. ad Heliod. & Epiſt. 13. ad Paulinum vocem Monachi à ſolitudine deducit, ideóque eos, ad quos ſcribit, à multitudine & turbis ad ſolitudinẽ hortetur, & vetus Etymologicon deriuet παρὰ τὸ μόνον ἄχειν, quòd ſolus fleat, qua ratione ſolis Anachoretis conueniret; à monade tamen & vnitate frequentius deducunt cæteri. Vnitas porrò habetur etiam in vita communi ob eiuſdem vitæ & inſtitutorum vnitatem atque animorum mirabilem conſenſionem, ex qua fit cor vnum & anima vna, propter quam rationem Auguſtin. in Pſalm. 132. Monachos dictos interpretantur, quòd in vnum habitent. *Quare*, inquit, *non appellemus Monachos, cum dicat Pſalmus: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum: μόνος enim vnus dicitur, & non vnus vnus quomodocumque: Nam & in turba eſt vnus; ſed vnà cum multis dici poteſt, μόνος non poteſt, id eſt, ſolus: μόνος enim vnus ſolus eſt. Qui ergo ſic viuunt in vnum vt vnum hominem faciant, & ſit illis verè, ſicut ſcriptum eſt, vna anima, & vnum cor, multa corpora, ſed non multæ animæ; multa corpora, ſed non multa corda rectè dicitur μόνος, id eſt, vnus ſolus.* Verùm non ab ea tantùm vnitate & animorum conſenſione nominantur Monachi, ſed potiùs interprete Dionyſio cap. 6. de Eccleſiaſt. Hierarch. ab indiuidua & ſingulari vita, quæ illos per ſanctas diuiſibilium affectuum in vnum complicationes & collectiones in Deiformem monadem, ſingularémque perfectionem promoueat, ideóque Monachi ſunt, quod abiectis rerum creatarũ diuerſitatibus debeant vnum fieri cum eo, quod vnum eſt, & ad ſacram vnitatem aggregari πρὸς τὸ ἓν ἑνοποιεῖσθαι καὶ πρὸς ἱερὰν μονάδα συνάγεσθαι. Neque à mente Dionyſij diſceſſit Piammon apud Caſſian. collat. 18. cap. 5. Cum ait, *ab eo quod à coniugiis abſtinerent, & à parentum ſe conſortio, mundique iſtius conuerſatione ſecernerent, Monachi, ſiue μονάζοντες ſingularis ac ſolitariæ vitæ diſtrictione nominati ſunt, vt ex communione conſortij Cœnobitæ, cellæque ac diuerſorium cœnobia.*

Quibus adde ſimili ratione eorum diuerſoria nominata fuiſſe monaſteria, quo ipſi ſunt nominati 6.
Monachi: quare & de plurium habitatione,

bitatione, & vnus tantum vſurpatur hæc vox; ita vt ſingulæ cellæ Anachoretarum dici queant monaſteria: ideóque Philo lib. de vita contemplatiua de Eſſenis atque antiquis Therapeutis diſputans, quos Chriſtianos fuiſſe Hieronym. aliique affirmant, ait ſingulis fuiſſe ſuam ſacram domum, quam ſemnium & monaſterium appellant, Ἑκάστῳ δὲ τῶν θεραπευτῶν ἔστιν οἴκημα ἱερὸν ὃ καλεῖται σεμνεῖον καὶ μοναστήριον. Quare Piammon apud Caſſian.collat.18. cap.10. hoc diſcrimen inter monaſterium,& Cœnobium conſtituit, quod monaſterium nihil aliud, quam locum & habitaculum Monachorum ſignificet;Cœnobium verò deſignet etiam profeſſionem, *& monaſterium vnius Monachi habitatio nominari valeat; Cœnobium autem appellari non poteſt, niſi ibi plurimorum cohabitantium degit vnita communio.* Quare etiam ad improborum Monachorum, vt Sarabaitarum collegia ea vox aptatur, ſicut monaſterium dicitur, tum de Cœnobitarum, tum de Anachoretarum, vt dixi, habitaculo, quod etiam Monachium L. generali C. de ſacroſ. Eccleſ. vbi dicitur Sanctimonialem, vel Deo dicatam mulierem relinquere poſſe Eccleſiæ, vel Martyrio, vel Clero, vel Monachio,vel pauperibus iure inſtitutionis, vel legati, vel fidei commiſſi in ſua vltima voluntate ſolemni. Et quamuis aliqui legant, vti etiam habetur in breuiario Alarici, *vel Clero,vel Monacho*; antiqua tamen & communior lectio, *vel Clero,vel Monachio* retinenda eſt cum Azone & Accurſio. Verùm non libet immorari in nominibus, cum rem teneamus.

Habemus enim ex hactenus diſputatis duas claſſes & ſumma genera Monachorum & Aſcetarum,nimirum Cœnobitas, quos etiam monaſteriales nominat Benedictus & Anachoretas.

§. III.

De Cænobitis.

COEnobitarum atque vitæ communis laudes Hieronym. Auguſtin.Baſil.Benedictus, aliique proſecuti ſunt: neque nobis vacat ſingillatim deſcribere diuerſas ipſorum ſpecies, quæ vel à loco Tabennenſium, Nitrienſium, Syrorum, Palæſtinorum; vel à primis inſtitutoribus, ſiue,vt loquitur ſæpiùs Theodoretus Pædotribis & Gymniſtis, Baſilianorum, Antonianorum; vel à variis obſeruationibus, vt Aſcemetarum Conſtantinopoli ab Alexandro inſtitutorum,qui nunquam, aliis ſibi inuicem per dies, noctéſque ſuccedentibus, à diuinis laudibus vacabant, de quibus vide Bollaud.in vita Alexandri 15. Ianuarij; Boſcorum, qui apud Niſibernos pane, vino, & carne abſtinebant & ſub prādij tempus herbas ſibi legebant ex Sozom. lib.6. cap.33.& Euagrio lib.1.cap.21. nominati ſunt. Innumeras alias inſtitutiones deſcribere non fert inſtituti noſtri ratio: illas ex Palladio, Caſſiano, Theodoreto, Sozomeno, Euagrio, & aliis, qui antiquorum Monachorum res geſtas ſtylo proſequuti ſunt facile fuerit obſeruare. Audi vnum Auguſtinum lib. 1. de moribus Eccleſiaſt. cap.31. *Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc inſtitutum, ſi laudare velim, neque dignè valeo, & vereor ne iudicare videar per ſeipſum tantummodò expoſitum placere non poſſe, ſi ſuper narratoris ſimplicitatem cothurnum etiam laudatoris addendum putauero.* 7.

Horum autem vitam vno verbo complectitur Poſtumianus apud Seuerum Sulpit. Dialog. 1. cap. 4. *Hæc illorum prima virtus eſt parere alieno imperio*, & cap.12. *Præcipua ibi virtus & prima eſt obedientia: neque aliter adueniens ad monaſterium Abbatis ſuſcipitur; quàm qui tentatus priùs fuerit & probatus, nullum vnquam recuſaturus quamlibet arduum, ac difficilè, indignúmque toleratu Abbatis imperium.* Cuius rei cap.13. ſequenti illuſtria refert exempla Poſtumianus.

8. Verùm, vt fert rerum humanarum conditio, ſæpiùs optima quæque corrumpuntur: huius quoque ſanctiſſimæ vitæ ſectatores à ſuo inſtituto deficientes maximam labem vitæ Cœnobiticæ intulerunt: eiuſmodi fuerunt Remothitæ, quos deſcribit Hieronym.Epiſt.22. qui bini, vel terni, ac multo plures ſimul habitant ſuo arbitratu ac ditione viuentes, & de eo, quod laborauerint in medium partes conferunt, vt habeant alimenta communia. Habitant autem qeamplurimum in vrbibus & caſtellis, & quaſi ars ſit ſancta, non vita, quidquid vendiderint, maioris eſt pretij; non patiuntur ſe alicui eſſe ſubiectos: inter hos ſæpè ſunt iurgia: reuera ſolent certare ieiuniis, & rem ſecreti victoriam faciunt:apud hos affectata ſunt omnia, laxæ manicæ, caligæ follicantes, veſtis craſſior, crebra ſuſpiria, viſitatio virginum, detractio Clericorum; & ſi quando feſtus venerit, ſaturantur ad vomitum. Ex hac luculenta teterrimorum hominum deſcriptione ſtatim coniicies hos peſſimos Monachos eſſe eoſdem cum Sarabaitis, de quibus fuſiùs diſputat Piammon apud Caſſian. collat. 18. cap. 7. Benedict. cap. 1. Regulæ.Iſidor. lib.2.de diuin.offic.c.15. & alij, qui Benedictum in ſuis regulis imitati ſunt. Et quidem Piammon exiſtimat in illis noxiam illam plantationem rediuiuam concreuiſſe, quæ per Ananiam & Saphiram in exordio Eccleſiæ pullulans Apoſtoli Petri ſeueritate ſucciſa eſt. Quæ eadem habet Iſidor. & Renuitas dictos ait, quod iugum diſciplinæ regularis abnuerent. Quo ſimili ſenſu S.Odo Cluniacenſis laxatam ſui temporis monaſticam diſciplinam deplorans côllat. 3. illos falsò Monachos dici ait, ſed potiùs Sarabaitas, id eſt, Renuitas dicendos eſſe, propter abiectum diſciplinæ Regularis iugum. De iiſdem vide etiam Magiſtrum initio ſuæ Regulæ.Quoſdam adhuc eiuſmodi Sarabaitas Religionem ſimulantes in Ægypto ſaxa inhabitare, & tempore ſcenopegiorum Ieroſolymam petere narrat Cælius Rhodigin. lib.17.antiq. lection. cap.6.

Neque Sarabaitis meliores ſunt, quos gyrouagos dixit Benedict. c. 1. ſuæ regulæ, qui tota vita ſua per diuerſas prouincias ternis aut quaternis diebus per diuerſorum cellas hoſpitantur, ſemper vagi & nunquam ſtabiles, & propriis voluptatibus & gulæ illecebris ſeruientes. 9.
Hos Sarabaitis annumerat Damian. opuſ.27. cap.3. ſiue lib.5. Epiſt.9. in prima editione meminit quoque Odo Cluniac. lib.1. collat. cap.23.& Cæſar. lib.1. cap.10. Iſidor lib. 2. de diuin. Offic. cap.15. Circelliones dixit; quos tamen Auguſtin.in Pſ.132. potiùs Circumcelliones, quòd circumcellas vagentur nominãdos contendit, eorum fraudes & mendacia, vt etiam membra Martyrum fictitia venditent & circumferant, refert ibidem Iſidor. & priùs obſeruarat

Auguſtin. de opere Monachorum, ipſorum mores deſcribens, quod deinde omnium fuſiſſimè fecit Magiſter in ſua regula, illorum gulam, itinera & fraudes proſequitur, hóſque Euſtochium fugiendos eſſe monet Hieronym. Epiſtol. 22. ne falſa ſpecie ſanctitatis & auſterioris cuiuſdam vitæ deciperetur. *Sed ne tantùm videar diſputare de fœminis, viros quoque fuge, quos videris catenatos, quibus fœminei contra Apoſtolum crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudi in patientia frigoris pedes. Hæc omnia argumenta ſunt Diaboli: talem olim Anthymum, talem nuper Sophronium Roma congemuit: qui poſtquam nobilium introierunt domos & deceperunt mulierculas oneratas peccatis, triſtitiam ſimulant, & quaſi longa ieiunia furtiuis noctium cibis protrahunt. Pudet dicere reliqua, ne videar potiùs inuehi, quàm monere.* Hos Errones iam olim & Pótifices ſummi & Concilia caſtigauere. Queritur enim Syric. Epiſtol.3.cap.2. quod aliqui eiuſmodi tranſeuntes, vt loquitur, ſiue ſint, ſiue ſe ſimulent Monachos, Diaconos aut Presbyteros, aut quod grauius eſt Epiſcopos conſtituere non formidarent, nulla alia habita de eorum vita, fide, aut etiam Baptiſmo notitia. Monachos æquè ac Sanctimoniales ſine Abbatis ſui licentia ad aliam habitationem diſcedere prohibuit Nicæn.2. cap.12. Immò eiuſmodi Errones recipi, aut retineri in diœceſi ab Epiſcopo vetuit Vrban. II. in Synod. apud Melf. cap.10. & Gregor. VII. in Synodo Romana cap.21.& iam pridem idem edixerat. Concil. Agathenſ. cap.27. quod etiam cap.38. Vagos iſtos ſine literis commendatitiis & licentia verberibus ſtatuit coërcere; immò neque ad communionem recipi voluit Andegau.cap.9. Et quia eiuſmodi Errones aliquando Comitum & nobilium patrocinio ſeſe tuebantur Concil. Pariſien.lib.1.cap.36. à Celſitudine imperiali humiliter petendum eſſe dicit, vt poteſtate regali id prohibeatur. Et quamuis eo loco Patres Pariſienſes agant de vagis Clericis ſiue formatis Parochiam ſuam deſerentibus; id multò ſeueriùs de Monachis ſtatuiſſent.

§. IV.

De Anachoretis.

Venio ad alterum, illúdque nobiliſſimum Monachorum & Aſcetarum genus, Anachoretas nempe, quorum, vt ait Auguſtin. lib.1. de morib. Eccleſiaſt. cap.31. in tantum proceſſit temperantia & continentia, vt reſtringenda nonnullis & quaſi ad humanos fines reuocanda videatur, vſque adeo ſupra homines illorũ animos euaſiſſe, ab iis etiam, quibus id diſplicet, iudicatur: quia nempe ab omni hominum conſortio receſſerunt in ſolitudines, vt videas quàm impudenter Magdeburgenſ. cent. 10. cap. 4. hos homines, quos tantis laudibus effert Auguſtinus nominent hominum monſtra execranda, & inimicos humanæ Societatis, maluerunt nempe Eunapium quàm Auguſtinum ſequi. Horum dũo genera vulgò faciunt, quidam enim contento curſu in ſolitudinem ſe abdunt, neque prius in vita communi, & vnius Patris diſciplina erudiuntur ad difficile iſtud ſpirituale certamen ſuſcipiendum. Alij verò poſt diuturnam in Cœnobio exercitationem impetrant illum ſeceſſum, & ſecretiorem anachoreſim ſeruant: 10.

&

& hos propriè Anachoretas dici vult Iſidorus lib. 7. Etym. c. 13. & lib.2. de diuin.offic.c.15. Sulpit. Dialog.1. de virtutib. Monach. cap.4. ſcribit in Eremo Nilo contigua multa eſſe monaſteria, habitare vno loco plerumque centenos, quibus ſummum ius eſt ſub Abbatis imperio viuere. Ex his ſi qui maiorem virtutẽ mente conceperint, vt acturi ſolitariam vitam ſe ad eremum conferant, non niſi permittente Abbate diſcedere. Idcirco Piammon apud Caſſian. collat.18.cap.6. ait ex Cœnobitarum perfectorum fœcundiſſima radice Sanctorum Anachoretarum flores, fructúſque prolatos eſſe. Anachoretas verò, id eſt, ſeceſſores meritò nuncupari, eo quod nequaquam contenti hac victoria, qua inter homines occultas inſidias diaboli calcauerunt, aperto certamine, ac manifeſto conflictu Dæmonibus congredi cupientes, vaſtos Eremi receſſus penetrare non timeant. De illis quoque figuraliter dictum à Domino apud Iobum cap. 39. interpretatur: *Quis eſt, qui dimiſit onagrum liberum, & vincula eius reſoluit: poſuit habitaculum eius deſertum, & tabernacula eius ſalſuginem? Irridens multitudinem ciuitatis, & querelam exactoris non audiens, conſiderauit montes paſcua ſua, & poſt omne viride quærit.* Quæ etiam verba S.Gregor. lib.31. Moralium c.22. ſapienter de iis, qui remoti à turbis ſæcularibus conuerſantur, & ædificant ſibi ſolitudines interpretatur. cap. verò 4. ſuperiori dixerat Piammon Anachoretas priùs in Cœnobiis inſtitutos iamque in actuali cõuerſatione perfectos ſolitudinis eligere ſecreta. Quod idem obſeruatum fuiſſe ait Hieronym. Epiſtol. ad Ruſticum, vt de ludo monaſteriorum egrederentur milites quos eremi rudimenta non terrerent. Similia tradit Caſſiod. lib. de diuin.lectionib.c.29. Quare eos omnes, qui in eremum antequam in Cœnobiis vitia domuerint, ſecedunt, ſuo damno ſecedere paſſim affirmant antiqui rerum Aſceticarũ tractatores, Caſſian. lib.8. Inſtitut. cap. 17. & collat. 18. cap.8. Quartum illud genus Monachorum, qui falſa Anachoretarum ſpecie ſibi blandiuntur, acriter damnat, eóque ſeceſſu vitia non emendari, ſed occultari, & eò periculoſiùs ſerpere, quò occultiora ſunt. Virtutes verò non occultatione vitiorum, ſed expugnatione generari. Baſil. in Regul. fuſ. interrogat. 7. Benedict.cap.1.ſuæ Regulæ, Magiſt. in Regul. Iſidor. lib.2. de diuin. officiis cap. 15. Quàm verò acriter ſolitarij à dæmone impetantur, ac proinde quàm forti virtute ad reſiſtendum indigeant, luculenter diſſerit Gregor. lib. 7. Regiſtri Epiſtol. 54. indict.2.ad Secundinum ſeruum Dei incluſum, qui in ſua illa anachoreſi & incluſione adhuc ſe iuuenilibus deſideriis ſubiacere quamuis vltra quinquagenariam ætatem prouectum ſcripſerat Gregorio, à quo & libellum exhortatorium poſtulabat: idcirco Concil. Trullan. cap.41.prohibet quemquam niſi exacto triennio in monaſterio & probatione etiam alterius anni, & cum Epiſcopi licentia vitam ſolitariam ſuſcipere, & in domo ſeparata includi, vti dicam inferiùs, cum de hac Anachoreſeos ſpecie ſingillatim diſputabo. Concil. Toletan.7. cap. 5. eandem in monaſteriis probationem & eruditionem licet illius tempus non definiat, requirit ad ſimilem incluſionem, & eos, quos aut ignorantia fœdat, aut morum execratio turbat,

à locis & cellulis, in quibus aut feruntur vagi, aut tenentur incluſi deiici, atque ab Epiſcopis vel monaſteriorum è quorum Congregatione exiuerunt, aut quibus vicini ſunt, præfectis in eadem monaſteria retrudi mandat. Non diſſimilia edixit Concil. Francoford. cap. 15. & lib. 6. capitul. cap. 138. Requiritur Abbatis & Epiſcopi conſenſu, quod pridem ſtatuerat Aurelian. 1. tempore Symmachi Papæ cap. 24. Potiori verò ratione, qui intonſa coma, & veſtibus nigris Eremitarum ſpecie vrbes circumeunt, aut in monaſteria retrudi, aut in Eremum, vnde nomen ſibi ſumunt, amandari iuſſit. Trullana Synod. cap. 42.

11. Quamuis autem vnanimi, vt vides, conſenſu Patres damnent illam Anachoreſim, quæ ab inexercitatis, & ante vitam cœnobiticam ſuſcipitur de lege quadam ordinaria, & vulgaribus hominibus intelligendi ſunt: neque enim negant ſublimioris perfectionis deſiderio quoſdam incitatos ipſo ſtatim initio ſolitudinis ſecreta ſectatos eſſe: quod de Paulo & Antonio teſtatur Piammon apud Caſſian. collat. 18. cap. 6. quamuis Paulus neceſſitatis obtentu, vt fugeret perſecutionem, quod narrat Hieronym. in eius vita, eremi penitiores receſſus penetrarit, indéque occaſionem ſibi & Deo vacandi ſumpſerit. Immò quàmplurimi alij, qui deinde celeberrima monaſteria inſtituerint, ab Anachoreſi, & vita ſolitaria inchoarunt; alij verò nunquam Cœnobitæ fuerunt, ſed perpetuò Anachoretæ, vt apud Theodoretum facilè obſeruabis, nóſque aliquos indicabimus inferiùs variis locis. Et ſanè diuinus Spiritus non ſemper iiſdem legibus ſe obſtringit, & quoſdam continuò ad ſublimiora euehit: quo ſenſu dixit Iuo Canotenſ. Epiſt. 41. *Monachum nulla facit exterior adiectio, niſi mundi contemptus, & plena Dei dilectio: quod in Principibus huius Ordinis, Paulo videlicet, & Antonio & multis alijs Ægyptijs Monachis facilè apparet: qui nullam à præcedente Abbate, vel Monacho ſuſcipientes benedictionem, perfectam ab eo, qui habitare facit Monachos in domo ſui laboris, conſecuti ſunt retributionem.*

§. V.

Comparatur vita Anachoretica cum Cœnobitica.

Atque ex his ſoluitur vetus illa quæſtio, quænam vita prior fuerit, Anachoretica, an Cœnobitica. Nam Caſſian. collat. 18. cap. 6. cœnobiticam exiſtimat antiquiorem, cum ex ea prodierit Anachoretica; alij verò antiquiorem faciunt Anachoreſim, cum Antonius, qui monaſteriorum pater dicitur, ab illa fuerit exorſus, quem & in ſolitudine præiuerat Paulus, & quàmplures Monachorum, ac cœnobiorum inſtitutores, ipſéque adeò Benedictus ab Anachoreſi ad vitam cœnobiticam traducti fuerint. Vtramque porrò vitam antiquiſſimam fuiſſe conſtat, & ferè æqualem: nam Eliæ & Ioanni Baptiſtæ Eremitarum principatus acceptus fertur ferè ab omnibus, Cœnobitas quoque referebant filij Prophetarum iuxta fluenta Iordanis, vbi ſibi caſulas ædificarant: neque enim ita ſoli, & ab inuicem ſeparati degebant, vt non maximam inter ſe vitæ communionem haberent, cùm aliquando & turmatim incederent, & agerent. Quomodo verò, & per quos ab ipſo Eccleſiæ 12.

naſcentis exordio ad Paulum & Antonium vtraque hæc vitæ ratio fuerit propagata, non ſatis liquet: ex Athanaſio tamen duo quædam certè colligimus in Antonij vita cap.3. Primum eſt ante illum nullum auiã ſolitudinem penetraſſe, quamquam ex Hieron. excipiendum eſſe conſtet Paulum, quod tunc ignorabat Antonius, qui tamen religioſiùs Chriſto ſeruire voluiſſet non longè à ſua villula ſeparatus inſtituebatur. Et ſanè Antonius ab eiuſmodi ſene ſolitariam vitam agente in ſuo agello primùm fuit inſtitutus, eúmque extructa ſibi caſula in loco paulò remotiori à villa, fuit æmulatus. Itaque tunc temporis ante Antonium, atque adeò Paulum vigebat vita ſolitaria, ſed non in eremo, aut auiis ſolitudibus, ſed in locis paulò remotioribus ab oppidis: hi verò primi deſerta loca penetrarunt. Ideóque Paulum, qui Antonio præiuit, Eremitarum parentem dixerunt: Eremitæ enim ab eremo, quam incolebant, ſunt nominati, ideóque à reliquis Anachoretis, vt ſtatim iterùm monebo, diſtincti.

13. Alterum, quod habemus ex Athanaſio, eſt vitam cœnobiticam etiam Antonio fuiſſe antiquiorem: ait enim nondum in Ægypto tam crebra fuiſſe monaſteria: aliqua igitur fuiſſe ſupponit.: & quamuis monaſterij vox, vt nuper monebamus, de cella aliqua ſingulari capi poſſit; non tamen in ea ſignificatione vſurpari ab Athanaſio inde liquet, quòd inde oſtendere velit Antonium Monachorum & monaſteriorum, quæ exinde ædificata ſunt, fuiſſe veluti parentem: quod etiam oſtendit Nicephorus lib.8. cap.10. Cùm igitur, ait Athanaſius ante Antonium non fuiſſe tam crebra monaſteria in Ægypto, de illis monaſteriis loquitur, quæ deinde frequentia fuere in eadem Ægypto: illa autem fuiſſe Cœnobia nemo neſcit, & ſatis indicat ipſe Athanaſius cap.15. & cap.21. ex Antonij enim inſtitutione orbem terrarum, ipſáſque ſolitudines repletas eſſe Monachis, Hieronym. Epiſt. 3. ad Heliodor. aliique teſtantur, & cecinit Paulin. in carmine de reditu S. Nicetæ, pluribúſque obſeruat Baron. ann.328.

Ex quibus omnibus coniicio cœnobiticam, & anachoreticam vitam antiquitate pares eſſe, & pro variis temporibus Anachoretes Authores fuiſſe cœnobitarum, qui & ipſi ſuos Anachoretas produxerant.

§. VI.

An vita Anachoretica ſit perfectior Cœnobitica.

Difficiliùs fortaſſis fuerit explicare quænam ex his viuendi rationibus aliam dignitate, ac perfectione ſuperet: Cœnobiticã enim, qui eius laudes nuper adducti celebrarunt, præferre videntur. Auguſtinus verò cap.31. lib.1. de morib. Eccleſ. palmam omnino tribuit Anachoreſi, in qua vltra homines Anachoretas ſeſe euexiſſe ipſorum etiam hoſtium iudicio affirmat; & Seuer. Dialog.1.cap.4. ſuperiùs allato teſtatur inter Monachos, qui in eremo Nilo contigua frequentia monaſteria habitabant, ſi qui maiorem mente virtutem conceperant, ad eremum annuente Abbate ſe contuliſſe: qui fuit etiam veterum omnium ſenſus, qui, vt fuſiùs oſtendi ſuperiùs, iubebant eos, qui ſolitariam vitam cogitabant, exercitia religioſa priùs in Cœnobio doceri, & ſpecimen conuerſationis 14.

uerſationis ſuæ per multum temporis dare, vt loquitur Hieron. ſupponebant igitur vitam hanc longè perfectiorem eſſe Cœnobitica. Idem omninò velle videntur Patres, qui Anachoreſim vſque eò efferũt Baſil. Epiſt. Parænetica ad Chilon ex Monacho Anachoretam Epiſtol. 1. ad S. Gregor. Nazianzen. & ſerm. de laudibus eremi, Damian. opuſ. 11. in Dominus vobiſcum c. 19. & Epiſt. 12. lib. 6. *Ad perfectionem ſummam tendenti, monaſterium tranſitus dicitur eſſe, non manſio; non habitatio, ſed hoſpitium; non finis intentionis, ſed quaſi quadam quies itineris, &c. Porrò autem cùm Cœnobitarum regula perfectiorem ſe non habere perhibeat, ſed volentem perfici ad eremi inſtituta patenter tranſmittat: cur nos ad perfectionis arcem & ipſi conſcedere flocci pendemus, &c. Fratres itaque in monaſterio immobiliter permanentes tolerandi ſunt; ad eremum verò feruido ſpiritu tranſmigrantes plauſibus & præconiis efferendi.*

Ea tamen ratio non euincit præſtantiam vitæ Anachoreticæ ſupra Cœnobiticam: quia etiam plurimi Anachoretæ deſertis ſuis ſolitudinibus non modò ad Cœnobiticam, ſed etiam ad actuoſam vitam ſe contulerunt, vti opera charitatis perfectiùs exercerent. Nam magnus ille Euſebius, de quo Theodoret. in Philoth. à Mariano Patruo ſuo in cella vnà cum fratre, cui ſuperſtes fuit incluſus, nullis feneſtris lumen excipiens, neque vlli hominum loquens. Tandem Ammiani, qui in ſaltu vicinò Telædæ vico ad radices montis Coriphæi Philoſophiæ ſcholam φιλοσοφίας φροντιστήριον, crexerat precibus permotus eius Palæſtræ Magiſter & Pædotriba factus eſt, abiecto illo ſuo voluntario carcere, vt loquitur Theodoretus: neque hoc aliter ipſi perſuaſit, quàm quia ſic meliùs ſuum, in Deum, cui vni horrida illa vita placere cupiebat, amorem teſtaretur, & charitatem, quam legis plenitudinem appellat Paulus, omni ex parte adimpleret, ideóque & Chriſtum Petro, cuius amorem trina interrogatione explorabat, paſcere oues ſuas iuſſiſſe, & Eliam è ſolitudine atque Carmelo in medias turbas, vt ſe impiis opponeret auocaſſe, & Ioannem ad ripas Iordanis miſiſſe, Ionamque Niniuem deſtinaſſe, atque recuſantem ſupplicio affeciſſe, tandémque reluctantem & inuitum eò perduxiſſe. Quibus rationibus victus Euſebius, & laqueis charitatis, inquit Theodoretus, irretitus, gregis curam ſuſcepit. Publius quoque vir ex ſenatorio genere, de quo idem Theodoretus, initio quidem in cella ab vrbe ſtadiis triginta diſtante Anachoretam egit; deinde aliis, quos inſtituebat, cellas ſuæ vicinas ædificare permiſit, denique diſiectis cellis omnibus vnum Cœnobium extruxit, eos ad vitam communem, cuius laudes, & commoda maximè in exercitio virtutum ex mutuis exemplis proſequebatur, hortatus eſt, & ne quem à ſe arceret ſecundum ædificium excitauit iis, qui Syriacam & patriam ſolùm linguam nouerant: qui omnes ad templum commune conueniebant, vbi ſimul Græcè & Syriacè diuinas laudes decantabant, atque Publio decedente Theotecnus Græcæ, Aphtonius Syriacæ linguæ ſuſcepere præfecturam, ἡγεμόνίαν ἀμφότεροι, inquit, Theodoretus στῆλαι τινες ἔμψυχοι καὶ εἰκόνες τῆς ἑαυτῶν ἀρετῆς. Simeon priſcus poſt diuturnã Anachoreſim & vitam eremiticam variis in locis obſeruatam à Sinaiti-

ca peregrinatione redux duo erexit Philoſophiæ gymnaſia, δύο φιλοσοφιάς ὠκοδόμησε φροντιστήρια, collectíſque in vtroque virtutis athletis, vtrorumque magiſter, ac Pædotriba fuit γυμναστὴς ϗ παιδοτρίβης. Idem Iulianus, aliique apud Theodoretum, Gregor. Turonenſ. cæteróſque, qui Aſcetarum geſta monumentis conſignarunt, præſtitere, & poſt vitam Anachoreticam Cœnobia inſtituere; immò ſi ſingulorum Cœnobiorum primis illis temporibus cunabula diligentiùs repeteremus, ferè omnia ab Anachoretis inſtituta fuiſſe repereremus. Cum igitur ab Anachoreſi ad vitam cœnobiticam magna illa ſanctitatis miracula proceſſerint, cõmunem vitam ſolitariæ præferẽdam eſſe ſuo nos exemplo docuerunt: nempe quia & in communi vita plures, eæque illuſtriores, quam in ſolitudine exercentur virtutes. Qua de cauſa Seuerus Sulpitius Dialog. 1. cap. 17. Martini virtutem omnibus Anachoretarũ egregiis, quæ paulò antè Poſtumianus retulerat, factis præfert: quòd in communi illa vita ex iniquiore loco depugnans, eandem victoriam reportaſſet, cum illis, qui aut ex æquo loco, aut etiam ſuperiore pugnarant. Vides itaque vitam Cœnobiticam iiſdem rationibus probari perfectiorem Anachoretica, quibus illa Cœnobiticam ſuperare oſtendebatur.

15. Mihi diſtinctione quadam dirimenda videtur hæc controuerſia: ſi enim primò has duas vitas ſeorſim, & per ſeipſas ſpectemus, certum eſt vitam ſolitariam maiorem, ſublimiorémque perfectionem ſupponere, aut exigere, quàm vitam Cœnobiticam contemplatiuam: quod oſtendit S.Thom.2.2.quæſt.188.a.8. Quia quod ſolum, ſiue ſolitarium eſt, debet eſſe ſibi ſufficiens; alioquin ſi neceſſariis ſibi careat, aliorum, à quibus illa mutuetur, acceſſione & conſortio iuuari debet, vt ſubſiſtat, atque ita deſinit eſſe ſolitarium: quare, vt tale ſubſiſtat, ſibi ipſi ſufficiens ſit, oportet; & non aliis, à quibus ſe abſtraxit, & ſeparauit, indigens: cui autem nihil deeſt, perfectum eſt: igitur ſolitarius, & ab omni hominum cõſortio auulſus, vt Deo liberiùs fruatur, perfectus eſſe omninò debet, & minimè aliorum indigens opera ad diuinam contemplationem & fruitionem, quæ perfectio non requiritur. neque ſupponitur in vita Cœnobitica contemplatiua, in qua ad eiuſmodi perfectionem acquirendam ex mutua conſuetudine multorum plurima auxilia deriuantur, neque vllus neceſſariò ſupponitur aut perfectus, aut ſibiipſi ſufficiens ex ratione illa vitæ communis. Comparo verò vitam ſolitariam cũ Cœnobitica contemplatiua: Nam vita actuoſa cum in quodam alio genere ſit, cum ſolitudine nullam habere conuenientiam poteſt, vti obſeruat ibidem S. Thom. quare inter illas malè omninò inſtitueretur comparatio. Quòd ſi agas de vita mixta, comparatio fiet illius cum vita ſolitaria quoad contemplationem, ex qua prodit: deinde actio hierarchica: & ſublimior quidem erit, atque perfectior vita illa perfectionis exercendæ, quàm acquirendæ duntaxat, vti alibi fuſiùs in noſtra ſcientia canonica de ſtatu perfectionis diſputantes docuimus. Solitudo igitur competit perfecto, non autem vita Cœnobitica, atque adeò ipſa præcisè ſumpta, & ſecluſis omnibus circunſtantiis conſiderata perfectior eſt.

Secundò qui non peruenit ad il- 16.
lam

lam perfectionem, quam ſupponit, & poſtulat ſolitudo, periculosè & inutiliter illam ſuſcipit: quia cùm exercitio ille & mediis, quibus acquiritur perfectio, careat, fruſtrà illam cogitat, neque aduerſus pericula, quæ vndique accurrunt, inſtructus eſt. Vnde præcipites caſus, & lapſus plurimorum: ideóque ſapienter Patres aliàs adducti vetuerunt, ne quis id vitæ genus arriperet, antequam diù in cœnobiis erudiretur, & veniam ſecedendi ab Abbate, & Magiſtro impetraret. Quòd ſi aliqui ipſo ſtatim initio ſolitudinem coluerint, id diuiniori quodam inſtinctu fecerunt, in iiſque, vt ait S. Thomas, diuina gratia ſuppleuit, quod in aliis per exercitationem requiritur.

17. Tertiò vita cœnobitica vtilior, & ſecurior eſt vita ſolitaria. Primum oſtendit S. Thom. art. 8. citato: quia iuuat dupliciter ad contemplandum, inſtruẽdo videlicet intellectum alieno magiſterio, & moderando affectum tum exemplis, tum correctione cæterorum. Securiorem quoque eſſe ex magiſtrorum cura, & fraterno auxilio nemo non videt, & fuſiùs diſputant Baſil. aliique. Vnde vlteriùs colligo abſolutè loquendo, atque omnibus penſatis vitam cœnobiticam contemplatiuam meliorem eſſe vita ſolitaria: quia cùm neque ſolitudo, neque vitæ communitas, & ſocietas ſint ipſa perfectio, ſed inſtrumenta quædam perfectionis, illa vita cenſeri melior debet, quæ plura & commodiora inſtrumenta ſuppeditat ad perfectionem: quod conuenire vitæ cœnobiticæ oſtendebat S. Thom. Perfecto igitur melior eſt ſolitudo; perfectionem acquirenti ſocietas, immò & perfectionem exercenti: quia actus omnimodæ charitatis, & perfectioris exerceri nequeunt in vita ſolitaria, ſicut in vita ſociali. Quæ omnia veriora multò ſunt in vita Religioſa priuata, quam domi ſuæ quis antiquo more inſtitueret.

Quartò, vita ſolitaria à Religioſo inſtitui non debet, neque cœnobitica deſeri abſque Superioris facultate: quia priori profeſſioni, & obedientiæ repugnaret. Itaque inuito Superiore abſque culpa, & iniuria Religionis ſuſcipi nequit: & contrarium ſuadens ſpiritus non diuinus, ſed humanus & diabolicus exiſtimandus eſt. Quod ſapienter monet Innocent. III. cap. niſi cum pridem, de electione, Epiſcopum, qui Epiſcopatu ſe abdicare contemplationis cauſa tentabat. 18.

§. VII.

An Anachoretæ eſſent Religioſi.

POſtremò circa vitam Anachoretarum quærendum reſtat, an ea conſtituat verè, & propriè dictum Religioſum, atque in ſtatu perfectionis. Et quidem quoties poſt vitam cœnobiticam aſſumitur, vti omnino fieri volunt Patres, & Concilia Religioſum ſtatum ſupponit, neque illum mutat, & patet maximè cum in ea vita ſingula Religioſa vota ſeruari poſſint & debeant, quod de paupertate & caſtitate manifeſtum eſt: de obedientia quoque ambigi nequit, cum eiuſmodi Anachoretæ & Abbatis permiſſu in eremum ſecedant, & ab illius ſemper pendeant imperiis; quod Sulpit. de illis, qui ex monaſteriis Nilo impoſitis ad Anachoreſim exibant, diſertè teſtatur Dialog. 1. cap. 4. *Ex his ſi qui maiorem virtutem mente conceperint, vt acturi ſolitariam vitam* 19.

ſe ad eremum conferant, non niſi permittente Abbate diſcedunt: hæc illorum prima virtus eſt parere alieno imperio: tranſgreſſis ad eremum Abbatis illius ordinatione panis, vel quilibet cibus alius miniſtratur. Sanè ſi in cibo, & victu pendebant ex Abbatis imperio Anachoretæ, quis neget in cæteris eiuſdem Abbatis iuſſa præſtitiſſe? Ex quibus etiam ſequitur hunc ſeceſſum ex Prælati conſenſu non pugnare cum illa traditione ſui, quam Religioni facit Religioſus, quámque ad Religionis ſtatum neceſſariam eſſe diximus ex communi ſententia in noſtra, ſcientia Canonica. Quare Syluest. ver. Eremita, num. 1. dicit eum, qui adſtrictus voto obedientiæ alicuius Religioni ſecedit in eremum, non eſſe propriè Eremitam, ſed Religioſum vitam eremiticam ducentem.

20. Tota itaque difficultas eſt de vita ſolitaria, quæ omnem cœnobiticam præceſſit, vt in S. Paulo, Antonio, aliiſque eiuſmodi, qui aut in ſolitudines ipſo ſtatim initio conuerſionis penetrarunt, aut in cellas, antra, & alia latibula ſe pluribus annis abdiderunt, de quibus, an id temporis fuerint veri Religioſi iure meritò dubitatur, cùm neque conſtet an paupertatem, & caſtitatem vouerint: neque appareat, cui obedientiam promiſerint, vt ex eius imperiis ac voluntate vitam ducerent, neque cui aut Prælato, aut Religioni traditionem ſui ipſius fecerint: quod de Paulo, qui vtrum homines in orbe terrarum ſupereſſent, dubitabat, manifeſtum eſt. Hæc tamen omnia ad Religioſum ſtatum requiri ſupponimus ex vulgatiſſima Theologorum ſententia: quare eiuſmodi eremitas negat eſſe Religioſos Syluest. ver. Eremita. S. Thom. 2. 2. quæſt. 86. art. 5. ad 3. Reſpondet Religioſorum obedientiam principaliter attendi ad Epiſcopos ex Dionyſ. cap. 6. de Eccleſ. Hierarch. dum ait Monachorum ordinem conſummatiuis Pontificum virtutibus mancipari, & diuinis illorum illuminationibus edoceri. Quòd ſi aliquando Religioſi ab Epiſcopi Diœceſani obedientia eximantur, ſubiiciuntur Pontifici etiam in iis, quæ ad diſciplinam Religionis pertinent. At verò antiqui illi Anachoretæ, de quibus diſputamus, Epiſcopis ſuberant: ergo nihil illis ad Religioſum ſtatum deerat. Verùm hæc obedientia, qua Religioſi tenentur Epiſcopis, niſi peculiari quodam iure ab ea eximantur, ex voto eſſe debet & profeſſione facta in Epiſcopi manibus, vt loquuntur: quale votum factum fuiſſe ab illis antiquis ſolitariis, quis affirmet? Idem S. Th. ibid. quæſt. 188. art. 8. ad 3. ait ad perfectionem Religioſam non requiri actualem obedientiam, ſed ſufficere habitualem, & in animi præparatione, qualem habuiſſe hos ſolitarios dubitari nequit, & ſanè ſuas ſolitudines deſerere parati fuerunt, & aliud vitæ genus inſtituere, vbi ita Epiſcopi imperaſſent. Verùm hæc doctrina oſtendit quidem eos, qui deſerta vita cœnobitica ſolitariam fuerant amplexi, Religioſos nihilominus perſeueraſſe, quamuis in locis remotioribus nullum haberent, cui actu parerent, eo quod vbi Prælati ſui imperia accepiſſent, parati eſſent obſequi, & ad eiuſmodi obſequia tenerentur ex obedientiæ voto: quod licet non ſit ſemper neceſſarium ad perfectionem perſonalem; requiritur tamen ad ſtatum Religioſum, vt ex eo denique oriatur obligatio parendi, & ſequatur illa obediẽtia tum habitualis in animi præparatione, tum

tum actualis, dum reipſa, aliquid imperabitur. Cum igitur priſci Anachoretæ neque obedientiam, neque paupertatem & caſtitatem in manibus Epiſcopi, aut alterius, qui Dei vice acceptarent, vouerent, neque ſui traditionem vlli facerent, dum ſe diuino ſeruitio mancipabant, neque ad certam regulam ſibi ab alio præſcriptam viuere ſe obſtringerent, reuera Religioſi dici non poterant. Suar. tractat. 9. de Relig. lib. 1. cap. 2. num. 12. dubius hæret, neque quidquam definire audet, cum aut dicẽdum ſit illos ante receſſum in manibus Epiſcopi profeſſionem feciſſe: quod diuinare prorſus eſt: aut eos fuiſſe Religioſos eminenter apud Deum & altiori quadam ratione ſpecialiter approbata, peculiari tamen Spiritus ſancti inſtinctu; non verò ſecundum ſtatum publicum iure Ordinario ab Eccleſia approbatum.

21. Dicendum mihi videtur eiuſmodi ſolitarios fuiſſe quidem in ſtatu perfectionis, non autem Religionis. Primum patet ex obligatione, quam ſibi indixerunt ex voto, vt credere par eſt, non deſerendi illum viuendi modum, in quo ſublimioris perfectionis opera exercere tenebantur: quare & immobilitas, quam requirimus ad ſtatum tum ex voto, tum ex abundantiori quadam gratia illos immobiliter veluti cõfirmante in eo vitæ genere colligitur, & perfectio ex illius operibus, ad quæ, vt dixi, vi illius ſtatus obligabantur: neque neceſſaria illis fuit obligatio obediẽtiæ; quia, vt ſapienter diſſerit citatis locis S. Thom. idcirco obedientia ad Religioſum ſtatum requiritur, quia eſt diſciplina, vel exercitium tendendi in perfectionem: vbi autem quis inſtituitur, vel exercetur, vt perueniat ad aliquem finem, indiget alterius directione & magiſterio, à quo diſcedere non debet; at verò vbi Spiritus ſanctus eiuſmodi humanam directionem ſupplet, non eſt opus obedientiam promittere magiſtro, à quo regaris. Potuerunt igitur magni illi & toto orbe commendati Anachoretæ, quos diuino Spiritu concitatos fuiſſe conſtat, perfectioni vacare, abſque obedientiæ voto, atque in ſtatu perfectionis exiſtere, non tamen in ſtatu Religionis, quia ad illum requiruntur alia plura, nempe tria illa vota vulgata cum ſui traditione & mancipatione, ab aliquo Dei & Eccleſiæ vice acceptante.

Vnde vides aliam longè fuiſſe rationem eiuſmodi Anachoretarum, & Virginum ac viduarum, quæ quondam in domibus priuatis vitam Religioſam ducebant, vti monuimus diſquiſit. 1. cap. 1. & alibi: illæ enim ab Epiſcopis velabantur, atque conſecrabantur, & Religionem profitebantur, modò ab Eccleſiæ inſtituto & approbato: quare nihil ipſis deeſſe poterat ad verum ſtatum non modò perfectionis, ſed etiam Religionis, cùm priſci Anachoretæ, de quibus agimus, non profiterentur in manibus, vt loquuntur, vllius, & nullam profeſſionem emitterent; ac proinde Religioſi dici non poſſent, formaliter, vt ait Suar. ſed ſolùm eminenter: quod ego ita explico, vt perfectionem non inferiorem Religioſa in illo ſuo ſtatu profiterentur. 22.

Ex his facilè fuerit definire noſtrates Eremitas, qui in aliqua Religione profeſſi non ſunt, minimè Religioſos eſſe, cum nec voueant caſtitatem, & obedientiam & paupertatem, aut ſaltem non voueant ſecũdum regulam ab Eccleſia approbatam, 23.

batam, quod modò requirit Eccleſia ex Concil. Lateranenſ. vti in ſcientia Canonica docuimus: immò videbis apud Sylueſt. ver. Eremita hos Eremitas, ne quidem inter perſonas eccleſiaſticas cenſendos eſſe: in qua controuerſia immorari non placet.

§. VIII.

Anachoretarum variæ ſpecies.

24. ATque his de vita Anachoretica in vniuerſum conſideratis, ad varias illius ſpecies delabor, quæ ferè innumeræ dici poſſunt, cum ſinguli Anachoretæ diuerſam ſibi viuendi formam, ac legem indicerent, & nihil aliud commune, quàm ſolitudinem haberent; ſed varia pietatis opera, prout ſibi magis congruere videbatur, exercerent: quod in Theodoreto, Euagrio, Palladio, aliiſque, qui ipſorum vitas literis conſignarunt, videbis: ex quibus nos initio huius capitis aliqua attigimus, & tota iſta diſquiſitione indicabimus.

25. In vniuerſum tamen duas facio Anachoretarum claſſes: alij enim ſolitudines incolunt, & per eremum vagantur, neque vllo certo loco conſiſtunt, ne ab hominibus frequententur, *quas nox coëgerit ſedes habent,* vt loquitur Sulpit. Dialog. 1. cap. 9. eiuſmodi fuit mirabilis ille Macedonius, cuius vitam ſcripſit Theodoret. qui varia loca, in quibus errauit potiùs quàm habitauit, perſequitur, ſicut & Simeonis Priſci diuerſa latibula. Alij verò certis cellis ſe includunt, vnúmve locum inhabitant, quamuis ab hominum conſortio ſemotum. Primos illos propriè Anachoretas vocat Sulpit. ſicut & Damian. opuſc. 15. cap. 3. qui & cellis incluſos Eremitas nominat. Cum è contrario Iſidor. in ſolitudinibus vagantes inſtar Heliæ & Ioannis Eremitas; certo verò loco conſiſtentes Anachoretas maluerit dicere; ſed ne moremur in vocibus, cùm Eremitæ nomen ab eremo deriuetur, quicumque eremum incolunt ſiue ſoli, ſiue cum aliis in Cœnobio habitent, Eremitæ vocari poſſunt. Qua ratione Baſilius in Regul. fuſiorib. interr. 6. hortatur ad vitam ſolitariam, quam tamen deinde ſequenti interrogat. 7. ſocialem & cœnobiticam debere eſſe deſignat. Neque cum Hieron. Epiſt. ad Heliodor. & Eucher. in Paræneſi, ad eremum & ſolitudinem tanta eloquentia inuitant de Anachoretica illa ab omnium prorſus contubernio ſeparata, ſolùm diſputant, immò potiùs de cœnobitica, ſed in eremo & locis ab hominum cæterorum habitatione remotis peragenda, vt legentibus conſtabit. Eadem ex cauſa Monachi S. Auguſtini ab ipſo primum in Hortenſi ſolitudine inſtituti Eremitæ nuncupati ſunt, quamuis Cœnobitæ forent, quo etiam nomine dictos fuiſſe qui ſoli viuerent, habes apud Caſſian. collat. 19. cap. 8. vbi poſt aſſignatum Cœnobitæ finem in mortificatione, & crucifixione omnium ſuarum voluntatum, & abiectione curæ de craſtino, iuxta illud Iſaiæ 38. ſi auerteris à ſabbatho pedem tuum, &c. Deinde ad Eremitam delabitur: *Eremitæ verò,* inquit, *perfectio eſt exutam mentem a cunctis habere terrenis; eámque, quantum humana imbecillitas ſinit, vnire cum Chriſto.* Et tandem concludit: *Ad hunc igitur finem, quem vniuſcuiuſque profeſſionis eſſe prædiximus, niſi eorum vterque peruenerit, fruſtrà & ille cœnobij, & iſte Anachoreſeos expetit diſciplinam: neuter enim virtutem*

tem ſuæ profeſſionis impleuit. Itaque ſolitarius, provt à cœnobita diſtinguitur, paſſim & Eremita & Anachoreta nominatur. His ſimilia habet Hieronym. ad illud Thren. 3. *Bonum eſt viro*, vbi Eremitam diſtinguit à Monacho, quem pro cœnobita accipit: ſubiungit enim: *Et ideò in vtraque profeſſione per omnia conſummatum inuenire difficile eſt: quia nec Anachoreta contemptum, ac priuationem materialium rerum, nec Cœnobita theoricam ad integrum poteſt aſſequi puritatem.* Cum igitur hæ voces Eremitæ & Anachoretæ confundantur, ſæpiùs quamuis propriè Eremita ſignificet inhabitantem eremum & deſertum; Anachoreta verò ſecedentem à reliquorum conſortio, ſiue ad eremum & deſerta loca ſecedat, ſiue in viciniora, & intra cellam ſe abdat: Nos Anachoretæ potiùs nomen, quàm Eremitæ hoc loco vſurpauimus, cùm Aſcetas in Cœnobitas & Anachoretas diuiſimus. Nam aliqui Cœnobitæ dici quoque poſſunt Eremitæ, ſi in eremo Cœnobium exiſtat; non autem Anachoretæ. Anachoretas itaque adæquatè diuidebamus in eos, qui paſſim vagantur, neque certas & fixas habent ſedes in ſolitudine; & eos, qui certo & vno loco conſiſtunt: quod non ita accipiendum eſt, vt primi illi ſemper palantes & errones eſſent; ſed quia ſæpiùs ſedes mutabant, atque etiam ex ſuis ſedibus, ſi quas aliquandiu ſeruarent in interiorem ſolitudinem ſæpius penetrarent, vt de Macedonio, Simeone priſco, & aliis habet Theodoretus, apud quem etiam mirabilis ille Iacobus Niſibenus æſtate per eremum errabat; hyeme autem antrum inhabitabat.

26. Secundò diuiduntur iſti Anachoretæ per ſolitudines errantes, in eos, qui perpetuam, & qui temporariam Anachoreſim obſeruabant: ſic Iulianus, quẽ indigenę honoris cauſa Sabbam: quod ſenẽ interpretatur Theodoretus, nominabant vbi in extrema Oſroënarum ſolitudine antrum nactus in illud ſe abdidiſſet, & mirabili illius virtute exciti plures in illud accurriſſent, ita vt centum eiuſmodi antro exiguo continerentur, ſub eiúſque diſciplina inſtituerentur, ſolitus erat ſociis relictis ad quinquaginta interdum ſtadiá, nonnumquam ad duplò plura per deſertum inambulans & ſe ab omni humana conſuetudine ſeparans, atque in ſeipſum rediens priuatim verſari cum Deo, ac diuinam illam & ineffabilem pulchritudinem ſpeculari, κατὰ τὴν ἔρημον βαδίζων, καὶ πάσης ἑαυτὸν ἀνθρωπίνης συνηθείας χωρίζων, καὶ εἰς ἑαυτὸν νεύων, καθ' ἑαυτὸν ὁμιλεῖν τῷ θεῷ, καὶ τὸ θεῖον ἐκεῖνο καὶ ἄρρητον κατοπτρίζεσθαι κάλλος. Inſumebat autem in illo ſuo itinere & ſeceſſu aliquando decem, aliàs etiam plures dies: & ſæpiùs ſibi viæ comitem, & ſolum aſſumebat Perſam quemdam Iacobum, qui ad annos quatuor ſupra centum magnâ ſui nominis celebritate vitam propagauit. Eminus tamen magiſtrum ſequebatur, ne colloquendo mentem à Deo abſtraherent. Hic Iacobus teſtis fuit Draconis, qui in via occurrerat, à Iuliano ſigno crucis occiſi. Et cum adoleſcens Aſterius importunis precibus à ſene obtinuiſſet, vt longioris peregrinationis per deſertum comes foret, nequaquam ſitim quàm in arida & ſqualenti eremo minabatur Iulianus, veritus, cum tertio die ſiti examinatus neque ſequi ducem viæ, neque antrum repetere poſſet, eius miſertus Iulianus procidit in genua, Deum, vt præ-

ſenti incommodo dignaretur occurrere, poſtulat, & ſolum calidis, ac tepentibus lacrymis irrigat, quæ in fontem conuerſæ ſunt, illúmque ſua adhuc ætate perennem fluxiſſe narrat Theodoretus. Huius quoque temporariæ ſeceſſionis, & Anachoreſeos illuſtre exemplum habes apud Sophronium in vita Mariæ Ægyptiacæ: ait enim Monachos monaſterij ad Iordanem poſiti ſolitos fuiſſe initio Quadrageſimæ, in ſolitudinem tranſmiſſo Iordane vſque ad magni ieiunij finem ſecedere: Dominica enim prima hebdomadæ ieiuniorum omnes Chriſti corpore reficiebantur, inde ſumpto modico cibo in oratorium conueniebant, vbi ſe curuatis genibus inuicem ſalutabant, & flexo quoque poplite Abbatem amplexi eius orationem poſtulabant, vt illum comitem, & cooperatorem certaminis ſuſcipiendi haberent: deinde apertis monaſterij foribus, Pſalmum 26. Dominus illuminatio mea, conſona voce concinebant, exibántque ſinguli, vno duntaxat, aut altero monaſterij, & oratorij cuſtode relicto; vnuſquiſque autem *ſe annonabat*, (vt loquitur Sophronij interpres Paulus Diaconus Neapoleos Eccleſiæ) *prout poterat, aut volebat*; vbi verò deficiebat annona, *nutriebantur herbis, quæ naſcebantur per ſolitudinem. Canon autem erat vnuſquiſque ſibi ipſi, & lex abſque prænaricatione, vt non cognoſceret aliquis conſocium qualiter abſtinebat, aut quomodo agebat. Iordanem enim mox tranſmeantes longè ab inuicem ſe ſequeſtrabant, & nullus ſe iungebat ad ſocium, ciuitatem æſtimantes ſolitudinem.* Redibant verò ad Dominicam Palmarum: quam conſuetudinem ſecutus Zoſimas, qui ad illud monaſterium diuerterat, errantem in ſolitudine, & omnibus hactenus ignotum mortalibus Mariam Ægyptiacam reperit.

Tertiò Anachoretæ certo conſiſtentes loco diuiduntur in eos, qui cellas aut lauras habitabant vicinas cœnobiis, à quorum etiam ſuperiore ſuo modo regebantur; & in eos, qui ſibi ſoli ita viuebant, vt nullius alterius regerentur imperio. 27.

§. IX.

Anachoretæ incluſi.

EX quibus vides incluſos, quos & clauſos, & recluſos nominant, qui ſoli & vnici ſe ex veteri diſciplina ſolitudinibus includebant, ex quibus aut nunquam, aut non niſi rarò admodum exibant, reuera fuiſſe Anachoretas: ſecedebant enim ab omni hominum conſortio. Horum varias ſpecies reperio: nam aliqui, vti iam monebam, in cellis vicinis cœnobio includebantur, ex quibus certis diebus exibant; alij in domibus omnino ſeparatis perpetuò, aut ad longiùs tempus includebantur, ſéque ipſi nullo alio Duce regebant, qui pro iſtarum habitationum diuerſitate varij quoque erant. Alij in ipſis monaſteriis includebantur, qui non erant propriè dicti Anachoretæ, vt vides: atque ad hæc tria membra omnia incluſorum inſtituta reuocare licet, de quibus ſingulis agendum nobis eſt. 28.

CAPVT II.

De incluſis in monaſterijs.

NON ago de incluſione, aut clauſura regulari vulgari ſuperioribus

rioribus diſquiſitionibus explicata; ſed de quadam extraordinaria, qua aliqui ita includebantur monaſteriis, vt ex iis nunquam exire poſſent: quorum duo reperio fuiſſe genera: aliqui enim ſponte eiuſmodi incluſionem eligebant; alij etiam inuiti ad illam adigebantur: de quibus ſingulis pauca libabo.

§. I.

De Aſcetis monaſterio incluſis.

1. NOn memoro hoc loco celebre illud Iſidori monaſterium, de quo ſuperiùs non ſemel meminimus, ex quo nunquam egredi licuit. Simile quidpiam narrat Theodoretus in vita Simeonis Stylitæ de Baſſi Monachis, quibus neque molam, neque iumentum habere, neque oblatum aurum accipere, neque foras ad quærenda neceſſaria, aut viſendos amicos de monaſterio licuit exire: eámque legem ſua adhuc ætate ſanctiſſimè ſeruatam fuiſſe teſtatur Theodoretus. Monaſterium Iordani ripis impoſitum nunquam niſi recipiendis hoſpitibus, aut mittendis in ſolitudinem omnibus fratribus prima Dominica Quadrageſimæ, vti ſuperiùs explicabamus, aperiebatur, vt ait Sophron. in Mariæ Ægyptiacæ rebus geſtis: *Regia,* inquit*, monaſterij nunquam aperiebatur, ſed ſemper erat clauſa, & abſque vlla perturbatione Monachi curſum ſuum explebant: nec enim erat licitum aperire aliquando, niſi fortaſſis Monachus propter aliquod opus neceſſarium adueniebat; ſolitarius enim erat locus ille, & plurimis vicinorum inuſitatus, ſed & incognitus. Canon autem talis à priſcis ſeruabatur temporibus.* In quibus vides incluſionis & receſſus amorem, vt quamuis monaſterium in ſolitudine omnes ferè mortales lateret; ex illo tamen non liceret Monachis egredi, niſi vt ſoli ſemel in anno ad interiorem eremum penetrarent; ſed incluſi omnino continerentur. S. Eugendus in eo dicitur ab eius vitæ authore cap. 2. SS. Romanum & Lupicinum, quorum diſciplinæ puer traditus fuerat, ſuperaſſe, quod licet illi aliquando variis ex cauſis è monaſterio exirent: *Ille à ſeptimo vſque ad ſexageſimum vitæ, quo tranſiit annum, nuſquam exinde poſt ingreſſum extulit pedem,* cap. 14. vitæ S. Fulgentij, traditur in monaſterio Vinecenſi littori proximo ad quod S. Fulgentius, vt Prælati dignitatem fugeret, ignotus diuerterat. *Duos* tunc, *Preſbyteros peculiares & merito mirabiles, & immaculatæ ſenectutis honore venerabiles Abbatis officio functos fuiſſe nunquam de cœnobio recedentes.*

Huc refero monaſterium illud pœnitentium, quod carcerem appellabant, cuius meminit Climacus gradu 4. quamuis enim in illud veluti ergaſtulum detruderentur à Præfecto maioris monaſterij, à quo vno tantùm lapide diſtabant, qui in erratum aliquod lapſi fuerant, ac proinde quodammodo inuiti; quia tamen hæc erat maioris illius monaſterij diſciplina conſtans, & perpetua, qui in ipſum admittebantur, damnabant ſeſe volentes illo carcere, ſi quando grauius aliquid deliquiſſent, quamquàm & leuiores ob culpas, ſi theologicè loquamur, in illud compingebantur, & plerique etiam poſtulabant in ipſo pœnitentiam peragere. In eo igitur carcere ita claudebantur, vt procedere inde nuſquam valerent: neque ſimul omnes, ſed ſinguli ſeorſim claudebantur, donec 2.

Deus certiorem faceret Præfectum de ſingulorum remiſſione: Nihil illis apponebatur ad cibum præter panem & minuta olera, nullo oleo, aut vino vnquam adhibito, aut orationi continuò, aut palmarum foliis texendis vacabant. Illis Iſaacus quidam ſingularis & eximiæ virtutis præerat.

In qua Climaci narratione nonnullam difficultatem facit, quod ait de continuanda pœnitentia, donec Deus Præfecto omnium aperiret ſe peccata pœnitenti condonaſſe: neque enim hanc legem Deo ponere quis poteſt: & facilè fuit falli in ea reuelatione dignoſcenda aliáque occurrunt plurima incommoda, ex quibus definitio temporis pœnitentiæ aſſignati impugnari videtur.

Itaque exiſtimarim non fuiſſe illam conſtantem monaſterij legem, ſed Præfectum id temporis, qui eximia virtute præditus erat, non niſi conſulto numine, & vbi omnibus expenſis momentis iudicabat elutas fuiſſe peccatis debitas & in pœnitentiam impoſitas pœnas illos eo carcere ſoluiſſe: neque vllum pœnitentiæ decurrendæ ſpatium certum fuiſſe, vti in aliis monaſteriis fieri ſolebat: in quibus certi dies pœnitentiæ ferè erant definiti, quos producere aut minuere, niſi grauiſſimis ex cauſis, & ferè inconſulta Congregatione non licebat Abbati, qui etiam, vti diximus diſquiſitione proxima, non iniungebat pœnitentiam grauiorem, niſi in Congregatione, neque etiam niſi de eius conſenſu, illáque præſente ſolemni ritu reconciliabat pœnitentem: quod eodem loco fuit expoſitum.

§. II.

De Reis & pœnitentibus ad monaſteria detruſis & in illis incluſis.

FVit ſolemnis & antiquus ille mos in Eccleſia vt Clerici, aliæve perſonæ Eccleſiaſticæ in grauius crimē lapſæ ad monaſteria tanquam ergaſtula puniendæ detruderentur, immò & aliqui interdum laici inuiti attonderentur vt Monachi, & ne quid turbare deinde in Republica poſſent, aut laicum ſtatum repetere, monaſteriis includebantur: vnde noui antimonachi ineptiſſimè intulerunt monaſticum ſtatum nullis magis conuenire, quàm lapſis & facinoroſis, quibus ideò à Patribus pœnæ loco imponatur, eſséque ſtatum pœnitentiæ non puræ, integræque virtutis: qui quàm inſulsè iſta colligant, facile fuerit oſtendere. 3.

Fateor igitur amandatos olim aliquos in monaſterium agendæ pœnitentiæ cauſa, & inibi coërcitos, atque clauſos fuiſſe. Conc. Agathenſ. an. 506. Symmacho Pontifice Epiſcopum, Presbyterum & Diaconum, qui capitale crimen admiſerit, quippe aut chartam falſauerit, aut falſum teſtimonium dixerit, honore officij depoſitum in monaſterium detrudi, & laica communione contentum eſſe, quoad vixerit, iubet cap. 50. quod paucis pòſt annis Concil. Epaunenſe, Hormiſda Pontifice cap. 22. denuò ſanciuit, de Presbytero & Diacono capitale crimen committente: Epiſcopi: enim non meminit Aurelian. 3. Childebert regnante cap. 7. de Clerico adulterij cōuicto ſic ſtatuit, *Depoſitus ab officio, communione conceſſa, in monaſterio toto vitæ ſuæ tem-* 4.

pore

pore trudatur. Toletan. 4. cap. 28. æra 681. hoc eſt anno Domini 643. coactum, Epiſcopum, Presbyterum, Diaconum & Clericum quemlibet, Ariolos, Aruſpices, Magos & ſortilegos conſulẽtem ab honore dignitatis ſuæ deponi mandat, monaſterij cenſuram accipere, ibique perpetuæ pœnitentiæ deditum ſcelus admiſſum ſacrilegij ſoluere. Tolet.7. cap.3. Clericos honoratiores Eccleſiæ, qui tardi fuerint & negligentiores in commonendo vicino Epiſcopo de exequiis & morte ſui Epiſcopi, totius anni ſpatio in monaſteriis ad pœnitentiam deputari vult.

5. Iidem Patres Toletani in concil.8. an. 5. Receſſuinthi Regis cap.3. tertio ratiocinationis alloquio, id eſt, tertia ſeſſione dolent Simoniam, *Quæ toties, Eccleſiæ decretis areſcere potuerat, ad vicem Lernæi capitis truncatam, vireſcere vt porrò huic malo maiorum frequenter mucrone ſucciſo & vulneri cancerico.* Ignitum ferrum iniiciant, præter anathematis pœnam decernunt, vt ſimoniacè Ordinatus, *& ſuſcepto honoris gradu priuetur, & in monaſterio ſub perenni pœnitentia relegetur. Quintæ verò actionis impulſu*, agentes de Clericis, qui vxorum, aut quarumcumque fœminarum immunda & execrabili ſocietate turpantur, vbi de modis illos caſtigandi, & in officio continendi diſputarunt, ita concludunt: *Illi verò ſi omninò coërceri nequiuerint, vſque ad exitum vitæ ſuæ monaſterijs deputati, diſciplinis monaſticis maneant omninò ſubiecti.* Sextæ diſcuſſionis obiecto cum relatum eſſet, Subdiaconos carnis immunditia ſordidari; immò & nouis vxoribus copulari, quòd dicerent ſe benedictionem à Pontifice non accepiſſe; iubent, vt deinceps cum ordinabuntur, *cum vaſis miniſterij benedictio eis ab Epiſcopo detur*, ſicut in quibuſdam Eccleſiis ex ſancta & antiqua conſuetudine ſeruatur: *Omni penitùs ab illis ſorde mulierum, ac familiaritate remota.* Deinde ſi in idem crimen labantur, ſic edicunt: *Quod ſi hoc vulnere deinceps fuerint ſauciati: mox erunt ſub pœnitentiæ oneribus vſque ad extremum vitæ monaſteriis religandi.* Denique in ſeptimæ aſſertionis acceſſu, de iis, qui inuiti, *Euentu neceſſitatum, aut metu periculorum* ordinati fuerunt, & priſtina coniugia, acmores repetunt fuſiùs diſſerentes, tandem ſtatuunt eos omni Eccleſiaſtici Ordinis dignitate priuandos eſſe, & tanquam apoſtatas ab Eccleſiæ criminibus & Societate fidelium excludendos, ac denique *monaſterij clauſtris, donec aduixerint ſub pœnitentia retrudendos.*

Circa quæ duo poſtrema edicta Toletana aliqua difficiliora occurrunt: in primis quod cap. 7. volunt Patres eos, qui inuiti *in euentu neceſſitatum, & metu periculorum* ordinati ſunt, & verè, ac validè ordinatos eſſe, & ad continentiam teneri ſupponant: quæ quæſtio alio loco fuſiùs in noſtra ſcientia canonica agitatur, ſatis ſit in præſentiarum monere cum Vaſque in 3. part. diſputat. 246. c.3. Patres eo loco agere de metu, qui licet extorſerit conſenſum, illum non tamen non impediuit, neque iniuſtus fuit: neque eam ob cauſam illatus eſt, & qui non reddidit ordinationem prorſus inuoluntariam, ſed tantùm ſecundum quid, vti contingit in omnibus, quæ metu grauis mali impendentis geruntur: non enim inuoluntaria ſimpliciter ſunt, ſed ſecundum quid, vti ex morali diſciplina & 1. 2. fuſiùs 1. 6.

parte noſtræ ſcientiæ Canonicæ dicemus.

7. Difficilius eſt, quid ſit in cap.6. illa benedictio pontificia, quam Subdiaconi Toletani in ſua ordinatione non perceperant, & cuius defectu negabant ſe ad continentiam teneri, ſibique licita eſſe coniugia contendebant, quámque, vt omnis prætextus eiuſmodi incontinentiæ præſcinderetur, voluerunt Patres deinceps à Pontifice dari cum vaſis miniſterij, vti ſancta antiqua quorumdam Eccleſiarum conſuetudo ferebat.

Suſpicabar primò, hanc benedictionem fuiſſe manuum impoſitionem, quam Sacerdotes quidem & Diaconi accipiebant in ſua ordinatione; non verò Subdiaconi, vti apertè traditur cap.5. Concilij 4. Carthaginenſis, quod pluribus annis præceſſerat Toletan. 8. fuit enim Carthaginenſe coactum anno Chriſti 398. vti oſtendit illo anno Baron. Toletanum verò anno 655. manuum porrò impoſitionem dici benedictionem, ſiue conſecrationem conſtat ex cap.3. Concil. Carthaginenſis citati: *Preſbyter quum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput eius tenente*; & cap.4. *Diaconus cum ordinatur, ſolus Epiſcopus, qui eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat*. Subdiaconus igitur, quia non acciperet manuum impoſitionem à Pontifice, neque ab eo benedici ac conſecrari dicebatur: ideóque Toletani Subdiaconi ſe ad ſacrorum hominum continentiam teneri non exiſtimabant. Et ſanè Durand. in 4. diſt.24. quæſt.42. num.6. defectu huius manuum impoſitionis, ſiue benedictionis negauit Subdiaconatum eſſe Sacramentum: quod etiam docuit Caiet. tom.1. opuſc. tract.11. art.vnico. Magiſt. in 4. d.24. §.ſeptimus ordo. Gratian. in Decreto diſtinct.21. §.1. in fine. Hugo de S.Victore lib.2. de ſacram. part.3.cap.15. Martin. de Ayala lib. de traditionib. Apoſtol. 2. part. cap. de ordine. Alphonſus à Caſtro lib.aduerſus hæreſ. ver.ordo. Si itaque defectu illius impoſitionis manuum dubitatum fuit à quibuſdam, an Subdiaconatus eſſet Sacramentum multò potiùs dubitare licuit, an imponeret obligationem ſeruandi continentiam. His adde in antiquiori Eccleſia Subdiaconatum non fuiſſe Ordinem ſacrum, vti teſtatur Vrbanus II. can. nullus ad Epiſcopatum, diſt.60. vbi nullum in Epiſcopum eligendum eſſe ſtatuit, niſi fuerit in ſacris ordinibus. *Sacros autem*, inquit, *Ordines dicimus Diaconatum & Preſbyteratum: hos ſiquidem ſolos primitiua legitur habuiſſe Eccleſia*. Innoc.III. hunc Vrbani textum exponit cap. à multis, de ætate & qualitate ordinan. (vbi malè in textu vulgari habetur Vrbanus primus, cum corrigendum ſit Vrbanus ſecundus:) ſapienter porrò aduertit Vrbanum *ſe ad antiquiorem Eccleſiam retuliſſe*: eius enim ætate Subdiaconatus erat iam ordo ſacer, quod ex eiuſdem verbis probat, quæ referuntur quoque in Panormit. lib. 3. tit. de contin. Clericorum, cap.103.& 104. quibus Subdiaconatum ſacrum Ordinem eſſe fatetur, ideóque ad continentiam obligare: quod etiam probat Innoc. ex Gregorij verbis, quæ excerpſit ex lib.1. Epiſt.42. ad Petrum Subdiaconum in Sicilia. Cum igitur olim Subdiaconatus non eſſet ordo ſacer, neque impoſitionem manuum acciperet ab Epiſcopo, dicebant Toletani Subdiaconi ſe ad continentiam minimè teneri, & poſſe tum coniugia priora repetere, tum noua contrahere.

trahere. Itaque non malè in eo Canone benedictio pontificia pro manuum impoſitione accipietur.

8. Plura tamen obſtant huic explicationi: primò enim falſum eſt defectu huius impoſitionis manuum, ſiue benedictionis pontificiæ Subdiaconatum non fuiſſe Sacramentum: quia cùm hodie ex communiori ſententia ſit Sacramentum, & careat illa manuum impoſitione, eius defectus non poteſt tollere rationem Sacramenti: vnde quoque colligitur neque defectu illius benedictionis non fuiſſe Ordinem ſacrum. Nam cum iampridem ipſiúſque Vrbani II. ætate, vti diximus, foret ordo ſacer: non tamen habebat impoſitionem manuum, qua etiam hodie caret. Denique cum ratio Ordinis ſacri in eo conſiſtat, vt hominem incapacem matrimonij noui contrahendi, & antiquo vtendi conſtituat, atque ad ſæculum redeundi, ídque faceret Subdiaconatus etiam ætate magni Gregorij, vti oſtendebat Innoc. III. citatus, abſque manuum impoſitione: malè ex defectu manuum impoſitionis dixiſſent Toletani Subdiaconi ſe legibus continentiæ non obſtringi, cum iam antea Romæ, & alibi in Occidente continentia tenerentur; neque tamen per manus impoſitionem ordinarentur.

9. Secundò vehementiùs me mouet altera pars Canonis Toletani: iubent ſiquidem Patres ad exſcindendum omnem incontinentiæ prætextum Subdiaconos eam benedictionem accipere à Pontifice, propter cuius defectum ſibi licita eſſe coniugia dicebant: & addunt Patres id iam obtinuiſſe ſanctam, & antiquam quarumdam Eccleſiarum conſuetudinem: atqui neque ante hoc Concilium Toletanum 8. neque poſt illud legimus in Hiſpania, aut alibi manus impoſitas fuiſſe in ordinatione Subdiaconi, vti conſtat ex Concil. 4. Carthaginenſ. cap. 5. citato, quod ferè trecentis annis anteceſſit Toletanum. Iſidoro lib. 2. de officiis Eccleſiaſt. cap. 10. Raban. lib. 1. de inſtit. Clericor. c. 8. Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacram. cap. 10. & aliis atque ipſo pontificali Romano, vno, quod ſciam, repugnante ſupplemento. Gabriel. in 4. diſt. 24. quæſt. 1. art. 3. dub. 3. §. quintus ordo. Sed deluſus eſt hic Author mendoſo textu Innoc. III. cap. 1. de Sacramentis non iterandis. Vbi quæritur à Pontifice, an permitti debeat miniſtrare, qui ſine impoſitione manuum fuerit ad Ordinem Subdiaconatus aſſumptus? Reſpondétque Innocentius in talibus caſibus non eſſe aliquid iterandum, ſed cautè ſupplendum, quod fuerat incautè prætermiſſum. Verùm, vti iam monui, vulgaris illa lectio mendoſa eſt, & loco Subdiaconatus legendum eſt Diaconatus, vti conſtat ex antiqua tertia collectione eod. titulo, quam edidit Anton. Auguſt. Cum igitur dicat Concilium Toletanum ex antiqua, & ſancta quarumdam Eccleſiarum conſuetudine Subdiaconos in ſua ordinatione à Pontifice benedici, & deinceps eam benedictionẽ vſurpari velit; neque tamen vnquam reperiatur facta manuum impoſitio Subdiaconis, benedictio Pontificis in eo textu ſumi nequit pro impoſitione manuum.

10. Suſpicor itaque ſecundò petendam nobis eſſe lucem ex antiquiori conſuetudine, quæ etiam viguit in Hiſpania ordinandi Subdiaconos per Corepiſcopos. Can. 13. Concil. Ancyrani Corepiſcopis prohibet ordinare Diconos & Presbyteros. Idem habetur

habetur in Concil. Antioch.Can.10. & expreſſiùs ipſis concedit ordinare Hypodiaconos, Lectores, exorciſtas, Synodus Meldenſis cap. 44. iuxta decreta Innocentij prohibet, ne Corepiſcopus *Eccleſias conſecret, & Ordines Eccleſiaſticos, qui per impoſitionem manuum tribuuntur; id eſt, non niſi ad Subdiaconatum, & hoc iubente Epiſcopo, & in locis, quibus Canones deſignant; agere præſumat.* Atque in ipſa Hiſpania Synodus 2. Hiſpalenſis, quæ aliquot annis Toletanum 8. præceſſit; habita eſt enim æra 657. id eſt, anno Chriſti 619. regnante Siſebuto Corepiſcoporum iura & facultatem deſcribens in ſeptimo examine, eo quod Agapius Cordubenſis Epiſcopus, *Vir Eccleſiaſticæ diſciplinæ ignarus, & ſtatim à ſæculari militia ad ſacerdotale miniſterium delegatus.* Frequenter Corepiſcopos adhibuiſſet ad ſacra miniſteria: illis prohibitum eſſe dicit Presbyterorum, Diaconorum, & Virginum conſecrationem, & alia nonnulla, quæ ibidem ſingillatim Synodus enumerat. In quibus cum non cenſeat Hypodiaconorum ordinationem, ſatis oſtendit illis fuiſſe conceſſam. Cum igitur ordinariè Corepiſcopi Subdiaconos ordinarent, non ipſimet Epiſcopi, verè dicebant Subdiaconi Toletani ſe non accepiſſe benedictionem à Pontifice, à quo videlicet non erant ordinati, ſed tantum à Corepiſcopo, ſiue iſti Corepiſcopi ordinem epiſcopalem accepiſſent, vt videtur velle Concil. Antiochen. cap.10. ſiue eſſent ſolùm Presbyteri, vt affirmat Synod. Hiſpalenſ. quæ etiam addit illos Pontificatus apicem non habere. Et fuſiſſimè Damaſus Pontifex Epiſt. 4. vbi & ad formam Septuaginta Diſcipulorum fuiſſe inſtitutos oſtendit. Ex Can. 13. Næoceſarienſi, ſiue duo illorum genera placeat cum quibuſdam conſtituere ad conciliandum Damaſum cum Antiocheno Concilio, ita vt alij forent Epiſcopi quoad ordinem; alij tantum Presbyteri, non moror. Certum eſt ſemper diſcrimen aliquod inter ipſos & Epiſcopos fuiſſe, illiſque omnia pontificalia munia fuiſſe prohibita, ſicut filij Aaron non exercebant, quæ ad ſummum ſacerdotium pertinebant: Moyſis enim & Aaronis munus illud erat: Vnde dicebat Hiſpal. Synodus plura ipſis fuiſſe prohibita *ex authoritate veteris legis & nouellis ac Eccleſiaſticis Regulis.* Quia igitur Corepiſcopis ordinatio Subdiaconorum fuerat permiſſa, ac proinde non habita inter pontificalia munia, inde ſumebant occaſionem aliqui Subdiaconi obligationem continentiæ ſacris hominibus ab Eccleſia indictam, abiiciendi: ideóque ad præſcindendam omnem excuſationem iubent Patres Toletani deinceps à Pontifice benedici Subdiaconos, id eſt, ordinari ex laudabili & antiqua conſuetudine quarumdam Eccleſiarum. Nam iam olim Romæ teſte Damaſo, qui ſedebat anno 366. vetitum fuerat Corepiſcopis ordinare Subdiaconos ſicut & Diaconos ac Sacerdotes, atque ipſas conſecrare virgines: quod poſtremum habet quoque Synodus Hiſpalenſ. in vniuerſum verò omnes Corepiſcopos tollit Damaſus, vtpotè minimè neceſſarios, & quos aliquorum Epiſcoporum negligentia & torpor induxerat. Quid mirum igitur, ſi Toletana Synodus poſt tot annos velit à ſolis Epiſcopis ordinari Subdiaconos, & non ab aliis, puta Corepiſcopis, quos pridem ex decreto Damaſi oportuerat ex Eccleſia eſſe ſublatos.

Verùm

11. Verùm à paulo longiori, non tamen, vt opinor inutili diuerticulo redeamus in viam, & ad antiquum morem detrudendi Reos in monaſteria, quem etiam colligo ex Concil. 2. Matiſcon. cap. 16. vxor enim Subdiaconi, Exorciſtæ, vel Acolythi, prohibetur illo mortuo, *Secundo ſe matrimonio ſociare: quod ſi fecerit, ſeparetur, & in cœnobiis puellarum Dei tradatur: & ibidem vſque ad exitum vitæ ſuæ permaneat.* Hiſpalenſe 2. cap. 3. cum accepiſſet querelas Cantabiæ Epiſcopi Italicenſis de quodam clerico paſſando, qui relicta ſua Eccleſia ad Cordubenſem ſe contulerat, vt eiuſmodi Clericorum vagandi ab vna Eccleſia ad aliam licentiam caſtigaret, non ſolum Clericum illum ad ſuam Eccleſiam remitti voluit, ſed etiam qui illum ſuſceperit, niſi ſtatim remittat, & reſtituat, communione priuat: *Deſertorem verò Clericum cingulo honoris atque ordinationis ſuæ exutum, aliquo tempore monaſterio religari conuenit: ſicque poſtea in monaſterio Eccleſiaſtici Ordinis reuocari.* Cabilon. 2. imperante Magno Carolo c. 40. cùm dictum eſſet *Presbyteros canonicè degradatos ſæculariter gradu amiſſo viuere & pœnitentiæ agendæ bonum negligere*; ſtatuit, vt *gradu amiſſo agendæ pœnitentiæ gratia, in monaſterio, aut canonico, aut regulari mittantur.* Viguit quoque iſta conſuetudo poſterioribus ſæculis. Nam Alexand. III. in Concil. Lateran. part. 1. cap. 11. *Clericos contra naturam peccantes*, vel eiici à Clero, *vel ad pœnitentiam agendam in monaſteria detrudi* imperat Innocent. III. in alio Concil. Lateran. cap. 21. ſacerdotem, qui peccata audita in confeſſione detexerit, à ſacerdotali officio deponi mandat, & ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monaſterium detrudi.

§. III.

Hos pœnitentes non fuiſſe Monachos.

Aio ſecundò hos pœnitentes ad monaſterium amandatos nequaquam fuiſſe, Monachos factos; aut ad id obligatos fuiſſe, aut monachiſmum in pœnam ab Eccleſia vnquam impoſitum fuiſſe contra inſulſitatem nouorum Antimonachorum. Primò quia in omnibus conciliis hactenus relatis nullum planè verbum eſt, vnde colligatur iſtos ad monaſteria amandatos factos fuiſſe Monachos, aut id illis imperatum fuiſſe; cum concilia dicant trudi in monaſteria ad agendam pœnitẽtiam vel perennem & perpetuam, vel aliquando tantum temporariam, vt modò referebamus de Clerico deſerente propriam Eccleſiam, & ad aliam ſe conferente ex Concil. Hiſpalenſ. 2. Nam aliquanto tempore monaſterio relegari dicitur: & in Toletan. 7. cap. 3. Presbyteros, qui mortuo Epiſcopo vicinum Epiſcopum tardius monuerint, vnius anni ſpatio monaſterio deputabat. An verò iſti, ſi facti fuerant per eam detruſionem Monachi, vbi peracta pœnitentia exibant è monaſterio, deſinebant eſſe Monachi & cucullam exuebant. Sanè quis dicat detrudi in monaſterium ad agendam pœnitentiam eſſe idem quod detrudi ad ſumendum monachiſmum? 12.

Secundò ſi qui detrudebantur in monaſteria Monachorum, fiebant Monachi, qui detrudebantur, in monaſteria Clericorum, fiebant Clerici. Itaque dum degradati Presby-

teri pœnitentiæ cauſa in Monaſterium canonicum, aut regulare mittuntur à Concil. Cabilonen. fiunt Canonici,aut Clerici.Dicendum igitur erit ex ſenſu aduerſariorum Clericatum in pœnam impoſitum eſſe ab Eccleſia. Tertiò deputari monaſterio Canonico aut Regulari, qua voce vtuntur ſæpiùs Patres, non eſt fieri Monachum, aut Clericum, aut tonderi in Monachum, ſiue Clericum; alioquin Iudæorum filij ac filiæ, quæ iubentur à Toletan.4. c.59. vbi fuerint baptizati à parentibus ſeparari, atque monaſteriis, aut viris Chriſtianis vel mulieribus Deum timentibus deputari, fuiſſent omnes Monachi aut Monachæ. Sicut igitur Iudæorum filij deputabantur monaſteriis non vt fierent Monachi, aut Clerici, ſed vt meliùs in fide & moribus proficerent, vt loquitur Concilium: Ita alij deputabantur monaſteriis, vt illic pœnitentiam agerent. Vxor electi in Epiſcopum, & ab illo communi conſenſu ſeparata poſt illius ordinationem monaſterium longiùs remotum ab Epiſcopatu ingredi debet, & ibidem Epiſcopi prouidentia curari ex Trullan. cap.48. vbi ſapienter, aliqui aduertunt apud Balſamon, eiuſmodi vxorem includendam eſſe monaſterio, non autem neceſſariò tondendam in Monacham, cum id non iubeat canon, maximè quia permittitur à Canone fieri diaconiſſa, ſi digna ſit; ad id autem minimè neceſſarius erat Monachatus, neque contrarium euincit Balſamon ibid.

13. Quartò ipſi Patres, dum pœnæ loco incluſionem, aut detruſionem in monaſterium imponunt,ita ſe explicant, vt manifeſtè doceant non imperari ſtatum monaſticum aut Regularem. Nam cum includi quidem monaſterio, & communione ſola laica contentum eſſe Clericum iam depoſitum propter grauia quædam crimina ſtatuit Concilium Agathenſe, & Epaunenſe ſuperius adductum, quod etiam iuſſit Aurelian. 3. cap.7. id ſanè non eſt fieri Monachum. Toletan.4. cap.28. eam perpetuam pœnitentiam collocat *in accipienda cenſura monaſterij*, & Concil.8. cap.5. *Monaſticis diſciplinis manere ſubiectum*, & cap.6. *Sub pœnitentiæ oneribus monaſteriys relegari*; & cap.7. *Monaſterij clauſtris ſub pœnitentia retrudi*. Matiſcon.2. cap.16. *trudi in cœnobijs, & ibi vſque ad extremum vitæ permanere*. Cabilon. 2. cap.4. *agendæ pœnitentiæ cauſa in monaſterium mitti*. Hæc igitur pœnitentia conſiſtebat in primis in incluſione ſeu detruſione, vti loquuntur: non enim poterant toto illo tempore exire è monaſterio, quo tanquam carcere tenebantur; vnde ſæpius dicebantur religari monaſterio:quæ pœna grauis erat, maximè quando totam vitam Rei complectebatur. Secundò in cenſura, & rigore monaſticæ diſciplinæ, quam ſeruare tenebantur,maximè quoad corporis afflictationes, & omnia alia grauiora exercitia monaſtica, quamuis Religioſi non forent. Tertiò, ſi ante illam incluſionem erant depoſiti à ſuo gradu & officio, aut ad communionem laicam damnati, nihil illis remittebatur de hac pœna, manebántque degradati, & laica communione contenti eſſe dicebant. Quartò provt grauiora erant peccata ad durius, & aſperius monaſterium detrudebantur: ſic enim grauior erat pœna in ſubeundis durioribus monaſterij legibus. Ideóque ipſi Monachi ex ſuo monaſterio ad aliud agendæ pœnitentiæ cauſa mittebantur. In

Concil.

Concil. Altiſſiodorenſ. cap. 23. Abbas, qui Monachum adulterantem, aut peculiare habentem, aut furtum facientem non emendauit, aut Epiſcopo, vel Archidiacono non intimauit, ad pœnitentiam agendam in alio monaſterio retruditur. Et cap. 26. Abbas, qui mulierem in monaſterio ſuo ingredi permiſerit, aut feſtiuitates aliquas ibi ſpectare præceperit, tribus menſibus in alio monaſterio retrudatur pane & aqua contentus. Vides itaque iam olim, nam hoc Concilium coactum fuit an. 614. Chriſti, vnum Monachum ex ſuo monaſterio ad aliud dimiſſum fuiſſe agendæ pœnitentiæ gratia, non vt inibi Monachus fieret, ſed (quia commodius illud erat ad pœnitentiam, quàm proprium monaſterium, vti contingebat in Abbate, qui in ſuo monaſterio ſubiici pœnitentiæ vix poterat, itaque in aliud mittebatur, neque tamen aut excidebat ſua dignitate, aut noui illius monaſterij Monachus fiebat; ſed pœnitentia ſibi iniuncta peracta ad ſuum monaſterium redibat, ſuæque dignitati, à qua nunquam motus fuerat, reſtituebatur, vti conſtat ex allatis Canonibus: toto autem tempore ſuæ pœnitentiæ legibus monaſterij, ad quod fuerat miſſus, tenebatur, inſuperque iniunctam ſibi pœnam explebat. Quintò enim hæc pœnitentia detruſorum ad monaſteria non continebatur tantum cenſura diſciplinæ monaſticæ aut canonicæ, ſiue oneribus & exercitiis monaſticis, vt loquebantur Patres nuper adducti, ſed præterea aliæ nouæ pœnæ pro grauitate criminis adiiciebantur, vti de illo Abbate conſtituebat Synodus Antiſſiodorenſis, quem in aliud monaſterium detrudi volebat, & ſolo pane, atque aqua contentum eſſe, aliquando laica communione, quamuis Clerici eſſent, damnabantur, alias vel Abbatis arbitrio temperanda permittebatur pœna vel ab Epiſcopo ſingillatim præſcribebatur, eiúſque sẽſum ſequi debebat Abbas, quare Concil. Narbon. cap. 6. iubet, vt Abbas ita *agat cum Clerico, aut honorato de ciuitate, qui ad monaſterium fuerit deputatus ſicut ab Epiſcopo manifeſta correptione fuerit ordinatus: quia ob hanc cauſam dirigitur, vt emendetur, non vt paſſim diuerſis ferculis ſaturetur: ideò Abbatem hac in parte negligentem ad tempus aliquod ſuſpendi iubet.* Atque ex his omnibus de modo pœnitentiæ, ad quam detrudebantur Rei aliqui ad monaſteria, liquidò colligitur illos non fuiſſe factos neceſſariò Monachos, neque Monachiſmum inflictum in pœnam aliquando fuiſſe.

Quod ipſum quinto loco oſtendo ex perſonis, qui ad eam pœni- 14.
tentiam damnabantur, primò quia illi erant ſæpiùs Clerici grauiorum criminum rei, & ſæpius gradu omni clericali moti, & laica communione ſæpè damnati, atque non regulari modò, ſed etiam canonico monaſterio includebantur, vt dicebat Concil. Cabilon. 2. cap. 40. Iſti igitur Clerici depoſiti fiebant Canonici, quis id credat? Quis præterea exiſtimet reos iſtos coactos fuiſſe ad Monachiſmum, aut Religionem, quam permittunt adire Clericos, qui meliorem vitam ſequi deſiderant: ita enim loquuntur Toletani Patres concil. 4. cap. 49. *Clerici qui Monachorum propoſitum appetunt, quia meliorem vitam ſequi cupiunt, liberos eos, ab Epiſcopo in monaſteriis largiri oportet ingreſſus, nec interdici propoſitum eorum, qui ad contempla-*

tionis deſiderium tranſire nituntur. Et cap. ſequenti 50. cum nunciatum eſſet Concilio, *Monachos Epiſcopali imperio ſeruili operi mancipari, & iura monaſteriorum contra inſtituta Canonum, illicita præſumptione vſurpari*, dolet, *illuſtrem portionem Chriſti ad ignominiam, ſeruitiúmque peruenire*. Et tandem interminata excommunicatione eam licentiam caſtigat, an amabo hi patres, qui Clericis volunt licere ingreſſum in monaſteria; eo quod deſiderium contemplationis impediendum non ſit, dum ſuperiori cap. 28. Clericos omnes, ipſóſque etiam Epiſcopos ob crimen magiæ, & ſortilegij gradu depoſitos volunt, *Monaſterij cenſuram accipere, ibique perpetuæ pœnitentiæ deditos ſcelus ſacrilegij ſoluere*, iubent illos Monachos fieri; num idonei ſunt eiuſmodi facinoroſi ad contemplationem, an in illuſtri portione Chriſti numerari eos volunt Patres. Eodem pertinent omnia, quæ in ornãda vita Religioſa aſſerunt Patres, quæ ſanè non vulgaria ſunt, & non cohærent cum coacto iſto monachiſmo criminum grauiorum reis impoſito. Secundò ipſi Religioſi pœnæ loco deputabantur monaſterio, à quo malè diſceſſerant ad ſæculum acceptis vxoribus. Ita diſertè habet Toletanum 4. citatum cap. 51. & c. 52. *Religioſi qui nec inter Clericos, nec inter Monachos habentur, aut in clero, aut in monaſterio deputentur àb Epiſcopo.* Abbates, vti iam docuimus, peccantes in ſuo monaſterio ad alia monaſteria deputabantur agẽdæ cauſa pœnitentiæ. Cum igitur iſti Religioſi deſertores aut vagi, aut alicuius alterius criminis conuicti, ſuo aut alteri cuipiam monaſterio deputabantur, an fiebant Religioſi denuò, an potiùs tantùm diſciplinæ regulari, quam excuſſerant, reddebantur. Tertiò laici nonnunquam, atque etiam *honorati de ciuitate*, vti loquitur Concilium Narbonenſe citatum, hac plectebantur pœna, an ſtatim illi fiebant Monachi, relictis vxoribus etiam inuitis, maximè ſi ea pœnitentia perennis, & perpetua non erat. Quartò Innocentius I. vti dicitur in lib. de Roman. Pontificib. *Multos Cataphrygas inuenit, quos in exilio monaſterij relegauit.* Ex quibus vides hanc pœnam exilij apud monaſterium antiquiſſimam eſſe in Eccleſia: Sedebat enim Innocentius ann. 402. An amabo impios, infandóſque hæreticos, de quorum inſanis erroribus fuſiſſimè ex antiquioribus monumentis diſputat Baronius anno Chriſti 173. voluerit ſanctiſſimus Pontifex Innocentius Monachos fieri: quia ad monaſterij exilium illos relegauit: neque enim fit vlla mentio abiuratæ ab ipſis hæreſeos, aut emendationis, ſed ſolum pœnæ, & exilij quod in monaſterio eſſe voluit Innocentius, vt inibi faciliùs continerentur, neque ſuos errores diſſeminarent, immò & ſuauiùs dedocerẽtur impietatem, exemplóque ſanctorum Monachorũ proficerent, & ſaltem rigidiori illa monaſterij cenſura caſtigarentur. Itaque ratio perſonarum, quæ pœnitentiæ cauſa mittebantur in monaſteriorum ergaſtula, ſatis opinor euidenter oſtendit, eam pœnam longè diuerſam fuiſſe à Monachiſmo.

15. Sextò denique validiſſima ratio, & veluti à priori demonſtrat hanc pœnam, de qua diſputamus hactenus non fuiſſe Religionem, aut Monachiſmum: nam cum Monachiſmus, aut Religio eſſentialiter requirat tria vulgata vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ cum ſui traditione.

ditione & mancipatione facta Religioni, aut eius Prælato, & votum eſſentialiter voluntarium non coactum, aut inuitum & inuoluntarium eſſe omnino oporteat: eſt enim actio perſonalis, quæ ſine propria operantis voluntate, & conſenſu fieri nequit, traditio verò ac mancipatio ſui in Dei, & Religionis obſequium eſt quidem contractus, vti alias explicuimus, qui ſine conſenſu perfici nequit, quod exemplo matrimonij explicat Bleſenſis Epiſt. 54. ad Pictauienſem Archidiaconum, qui neptem ſuam Adelitiam inuitam, & renitentem in monaſterium detrudere, & clauſtrali cuſtodiæ volebat mancipare. *Vtriuſque*, inquit, *iuris beneficio matrimonia libera ſunt; ideóque ſi matrimonium carnale gaudet libertate indulta, ſpirituale matrimonium priuilegiatum eſt pleniore gratia libertatis: nam vbi ſpiritus, ibi libertas.* Id deinde oſtendit exemplo Rebeccæ, cuius voluntas diligenter explorata eſt, antequam Iſaaco deſponderetur: ipſéque Ioſue optionem fecit populo an Deo, an verò Diis Amorrhæorum ſeruire vellet. Ea verò comparatio vtriuſque matrimonij carnalis, ac ſpiritualis in hac parte non modò à Doctoribus paſſim, ſed ab ipſamet Eccleſia probata fuit; nam idcirco ætatem pubertatis ſemper requiſiuit ad validam profeſſionem religioſam: quamuis enim libertas, quæ ſufficit ad peccandum mortaliter, ſufficiat etiam ad vouendum, eáque libertas in impubere reperiatur, qui vſu rationis pollet, ac proinde teneatur ſuo voto, quod emiſerit, niſi à parentibus irritetur, vti affirmat S. Thomas 2. 2. q. 189. art. 5. nihilominus noluit Eccleſia profeſſionem Religioſam ante pubertatem factam validam eſſe. Ita habetur Can. firma 20. quæſt. 1. qui canon non eſt ſancitus à nona Synodo, vt citat Gratianus, neque ab 8. vt aliqua legunt exemplaria, cùm in illis non reperiatur, ſed habetur apud Baſil. lib. de inſtitutis Monach. cap. 8. Ruffino interprete, & in Regul. fuſiùs diſputat cap. 15. *Firma*, inquit, *tunc erit profeſſio virginitatis, ex quo adulta iam ætas, & ea, quæ ſolet apta nuptijs deputari.*

16. Quamuis autem impuberes, pueri, immò & adhuc infantes offerrentur monaſteriis à parentibus, vti ex Benedicti regula, antiquo vſu, & Conciliis conſtat; vbi tamen ad pubertatis annos peruenerant, poterant, ſi liberet à Religione ad ſæculum diſcedere. Nam Marcellus Papa, vti refert Gratianus 20. quæſt. 1. cap. illud autem, ſtatuit, vt pueri in minori ætate monaſteriis oblati, qui tonſuram, aut velamen ſuſceperunt anno decimo quinto interrogentur à Prælatis, an in ſuſcepto propoſito perſeuerare velint: qui ſi conſenſerint, pœnitendi locum ampliùs non habeant; ſi verò renuerint, licentia ad ſæculum redeundi illis negari non debebit. Floruit verò Marcellus ann. Chriſti 304. Idipſum Leo Epiſt. 92. ad Ruſtic. Narbon. cap. 13. videtur innuere, cum definit puellas, quæ non coactæ parentium imperio, ſed ſpontaneo iudicio virginitatis propoſitum, atque habitum ſuſceperunt, præuaricari, ſi poſtea nuptias eligunt, vt enim aduertit Gratian. 20. quæſt. 1. cap. puellæ, ſatis ſignificat Leo puellas, quæ coactæ habitum virginitatis ſuſceperint, ſine præuaricatione ipſum deſerere poſſe, ſi præuaricantur, quando non coactæ, ſed ſpontaneo iudicio ipſum ſuſceperunt: illúdque Leonis decretum citat Eugenius II. in Synodo Roman.

cap. 32. & refertur 20. quæſt. 1. cap. ſicut: vbi inuitos in monaſteria intromiſſos non vult niſi volentes retineri. Eadem omnino ſenſit Cœleſt. III. cap. cum ſimus, de Regularib. Cum enim miles quidam ſe vnà cum filio ſuo diſcretionis annos nondum attingente, ac bonis ſuis monaſterio obtuliſſet, & filium ſuum habitu Monachali induiſſet, liberum eſſe voluit Cœleſtinus illi puero, vbi ad diſcretionis annos perueniſſet, habitum retinere, aut illo dimiſſo ad ſæculum redire, & paterna bona, quæ ipſi ex ſucceſſione peruenirent, poſtulare. Mogunt. Concil. Imperante Magno Carolo coactum ann. 813. ab Hildebaldo ſacri Palatij Archiepiſcopo, quem nos hodie magnum Eleemoſynarium dicimus Ricolfo, & Arnone Archiepiſcopis, atque Abbatibus cap. 23. ſtatuit, vt deinceps nullus tondeatur ſine legitima ætate, & ſpontanea voluntate, vel cum licentia Domini ſui, videlicet, ſi ſerui ſint: quia illi volentes & cum Domini licentia tonſurari debebant. De his verò], qui hactenus ſiue in Canonico, ſiue in Monachico ordine tonſurati, ſiue ſine eorum voluntate inueniebantur, ſi liberi erant, ita permanere ſtatuit, id eſt, Canonicos, aut Monachos perſeuerare, ſi liberi erant, & non ſerui; ac proinde poterant liberè in eo ordine, quem initio inuiti ſuſceperant, ſponte perſeuerare.

17. Dices Gregor. III. Epiſt. 4. ad Bonifacium malè ſub nomine Magni Gregor. Epiſt. 6. ad Anthemium adductus à Gratiano 20. quæſtione 1. cap. 2. Addidiſtis; negat licere infantibus intra monaſterij ſepta ſub regulari diſciplina traditis, vbi ad annos pubertatis peruenerint matrimonio copulari: *Quia*, inquit, *nefas eſt, vt oblatis à parentibus Deo filijs voluptatis frena laxentur.* Eadem omnino habet Concil. Vormat. c. 22. aliàs 5. additque, *velint nolint, permanere cogantur.* Toletan. 4. cap. 48. *Monachum aut paterna deuotio, aut propria profeſſio facit, quidquid horum fuerit alligatum tenebit: proinde his ad mundum reuertendi intercludimus aditum*, &c. & cap. 54. qui à parentibus detonſi, poſtea habitum ſæcularem ſumpſerunt, à Sacerdote comprehenſi ad cultum Religionis, acta priùs pœnitentia reuocari iubentur: quod ſi conuerti nequeant, veluti apoſtatæ anathemati ſubiiciantur: & in Concil. Toletano 10. cap. 6. vbi diligentiùs hæc quæſtio fuiſſet agitata, ne quid ampliùs dubij ſupereſſet in ea controuerſia, definiunt tandem Patres eiuſmodi infantibus non licere ad ſæculum redire, neque etiam à parentibus reuocari poſſe: qui tamen illos non poterant niſi ad decimum vſque ætatis annum offerre Religioni. Concil. Tribur. vti refertur à Gratian. 20. q. 1. cap. 6. edicit, vt qui à progenitoribus monaſterio traditus in Eccleſia cœperit canere, aut legere, neque vxorem ducere, neque monaſterium deſerere poſſit; & ſi faciat, vxorem dimittere compellatur, & ad monaſterium redire. Hæc tamen verba non reperiuntur in Concil. Triburienſi, ſed ſunt Burchardi, qui aliquid ſimile allegarat ex illo Concilio, ſicut & ipſe quoque Iuo part. 7. cap. 115. decreti, & in collectione Greg. cap. Clericus, de vita & honeſtate Clericorum: hoc tamen in editis quoque exemplaribus Conciliorum non legitur. Verba igitur relata à Gratiano ſubiunxit Burchard. lib. 7. cap. 97. quod etiam obſeruauit Anton. Auguſtin. in notis ad cap. 6. de

de vita & honeſt. Cleric.in 1.collectione.

Ex quibus tandem omnibus colligi videtur profeſſionem regularem non debere eſſe neceſſariò ſpontaneam, quandoquidem parentum oblatione abſque proprio conſenſu infantes fiebant Religioſi, neque puberes iam facti ad ſæculum redire poterant, quod ipſum probat Iſidorus apud Gratian.q.1.c.5. Nam apud ipſum modò non legitur, Exemplo Annæ, quæ Samuelem Deo commodauit omnibus diebus vitæ ſuæ.

18. Confirmatur in primis ex ipſa formula oblationis, quam habet Smaragdus & Ruthard. in Regul.S. Bened. & Chronicon.Noualegienſe, dum deſcribit oblationē filij factam à Viderlone imperante Carolo: offert enim pater filium; ita vt ab hac die *iam non liceat illi collum de ſub iugo Regulæ excutere*; promittit quoque *pro filio ſuo de ſtabilitate ſua, & conuerſione morum atque obedientia.* illum *denique exheredat ab omni hereditate ſua:* quibus verbis illum mancipat irreuocabiliter monaſterio.

Confirmatur ſecundò duobus illuſtribus exemplis: Nam Lambertus Clericus à patre quondam ſuo Athone Comite cucullam indutus inuitus licet, & ab illo intra octauum & decimum annum oblatus monaſterio: idcirco à Nicolao Pontifice fuit ſuæ libertati reſtitutus, & ad ſæculum redire permiſſus: quia eius pater ſanctè affirmauit Lambertum fuiſſe violenter indutum cuculla, & ſe non ſeruaſſe ſolemnem morem illum offerendi. *Neque ego pater eius*, inquit, *pallio altaris indutum illum obtuli, neque à quocumque ſacerdote vel Abbate, vt mos poſcit, benedictione percepta Regulæ vnquam ſe Monachum ſubiectum futurum promiſit.* Ex quibus apparet idcirco hunc Lambertum diſpenſationem à Nicolao petiiſſe redeundi ad ſæculum: quia in eius oblatione facta à parentibus non fuerant ſeruata neceſſaria ſolemnia.

Secundò confirmatur ex Roberto, pro quo diu certauit S. Bernard. qui infans à parentibus oblatus Cluniacenſibus, & deinde à Bernardo in ordinem Ciſtercienſium admiſſus, & in eo poſt biennij probationem ſolemniter profeſſus, deinde ad Cluniacenſes tranſiuit & apud eos profeſſus eſt. Mota itaque lite inter Cluniacenſes & Ciſtercienſes Pontifex ſecundum Cluniacenſes pronunciauit: quo facto ſatis oſtendit tantam eſſe vim paternæ oblationis, vt neque per ſubſequentem profeſſionem reſcindi potuerit: ergo poteſt eſſe profeſſio non ſpontanea, & ex alterius imperio; ac proinde potuit in pœnam profeſſio monachiſmi imponi.

Reſpondeo primò hæc omnia, 19.
quæ ex variis conciliis allata ſunt de filiorum oblatione à parentibus intelligenda eſſe de liberis, qui deinde oblationi parentum de ſe factæ conſenſerint, aut ſaltem illi non repugnauerint, immò & officiis monaſticis implicari ſe permiſerint, vt manifeſtè dicit Concilium Triburienſe allatum, *cùm iam legere, aut canere cœperint.* Ratio eſt, quia hæc omnia cùm ſint poſteriora edicto Marcelli, ad illius ſanè mentem exigi debent, & quæ ab eo ſtatuta ſunt, ſine dubio ſeruanda fuerunt, neque formula oblationis aliud probat: quamuis enim parentes ſponderent filiorum loco, & illos exheredarent: ea ſponſio & volum firmari deinde debebat à liberis iam puberibus, neque parentes, neque ipſi infantes poterant deinde bona & hæreditatem donatam monaſterio repetere.

Lamber

Lamberti verò factum omnino noſtram ſententiam confirmat, cùm Nicolaus idcirco illum ad ſæculum redire permittat: quia inuitus cucullam fuerat indutus, & ſemper reſtiterat patri. Vnde Nicolaus ſapienter reſpondet: *Quapropter*, inquit, *conſultò Pſalmographi verba recolentes, quibus voluntariè ſe Deo ſacrificare pronunciat, & voluntaria oris ſui beneplacita fieri in conſpectu Dei obſecrat, præſentem, vt dictum eſt Clericum Lambertum minimè debere exiſtimauimus ſub tali violentia fieri Monachum. Quod enim quis non elegit, nec optat, profectò non diligit; quod autem non diligit, facilè contemnit: nullum quippe bonum niſi voluntarium: idcirco Dominus non ferendam in via virgam, per quam violentia illi inferatur, præcepit. Quapropter conſultiùs agetur, ſi pijs ſuaſionibus contemptum mundi & amorem Dei prædicando, quàm violentiam inferendo ad cœleſtem amorem illum accenderitis.* Vides itaque Nicolaum ſapientiſſimè nolle vi monachiſmum imperari: quod tamen fieret, ſi rei in pœnam cogerentur eſſe Monachi.

Quod attinet ad Robertum, voluit Pontifex confirmare ſecundam profeſſionem apud Cluniacenſes factam, illiſque fauere: quia licet prior profeſſio apud Ciſtercienſes, valida quoque fuiſſet, neque per priorem parentum oblationem impediri potuiſſet, penſatis tamen vtriuſque profeſſionis circunſtantiis, & in æquali ferè cauſa potior conditio Cluniacenſium videbatur in eo, quod illis iam fuerat acquiſitum aliquod velut ius in Roberti perſonam, qui præterea ad Cluniacenſes redire voluerat, neque Ciſtercienſium aſperiorem vitam ſuſtinere potuerat. Ex æquo igitur & bono litem definiens Pontifex potius quàm ex iuris apicibus cauſam adiudicauit Cluniacenſibus. Vnde nihil omnino colligi poteſt ad probandum per parentum oblationem, ita infantem Religioni mancipari, Religioſúmque fieri, vt nunquam ab ea Religione recedere queat, quamuis pubes factus id velit. Nam ſi illud antiquis Monachis perſuaſum fuit, cur Bernard. admiſit Robertum, qui aliquandiu poſt eam oblationem in ſæculo fuerat? cur non vidit illum fuiſſe irreuocabiliter mancipatum Cluniacenſibus? deinde in toto eo facto fuerat potiùs promiſſio oblationis, quàm oblatio conſummata; ad id enim requiritur aſſumptio veſtis monachalis, quam nunquam Robertus induerat, cum ad Ciſtercienſes venit: non igitur ex eo facto quidquam ad vim oblationis paternæ inuito filio iam pubere colligi poteſt; alioquin inde probaretur filium teneri ingredi Religionem, quoties à patre fuerit Religioni deſtinatus, aut promiſſus, quod nemo dixerit.

Hæc omnia confirmantur ratione à priori: quia parentes non habent poteſtatem imponendi liberis obligationem circa materiam integræ, & omnimodæ caſtitatis, aliáſque ſimiles, quæ ad perfectionem ſunt neceſſariæ: vel enim id haberent ex naturali quodam dominio, quod nemo affirmabit, cùm hæc obligatio nobilior ſit & perpetua, atque ita imponi ſaltem nequeat à patre, niſi quandiu ſubiectus illi fuerit filius; vel id haberet ex iure legis euangelicæ, quæ eò vſque paternam poteſtatem extulerit; ſed id neque ex ſcriptura, neque aliunde oſtendi poteſt. 20.

Reſpondeo ſecundò, quamuis daremus 21.

remus paternam deuotionem, ſicuti & ſpontaneam profeſſionem facere Monachum, vti loquebatur Toletan.4. non tamen ſententia iudicis id faceret, cùm ea conſequentia neceſſariò ex eiuſmodi antecedente deduci nequeat, vt vides: deinde quia magnum eſt diſcrimen hac in parte inter oblationem parentum, & ſententiam iudicis. Cum enim infantes habeant voluntatem dependentem à voluntate parentum, neque poſſint ſe firmiter abſque illis obligare, & voluntas parentis tanquam propria filij reputetur, dici poſſet requiri quidem conſenſum ad profeſſionem religioſam, proprium quidem in eo, qui eſt capax illius; alienum verò in infante non habente proprium: ideóque pueri impuberes non offerebantur, immò neque niſi vſque ad decimum annum. At verò iudex non habet in ſua poteſtate conſenſum & voluntatem Rei, & quamuis illum validè obliget ad externas aliquas actiones, immò & ad aliquid volendum teneatur illi parere; non tamen conſentit pro eo vt patet: quare niſi iſte reus ad monaſterium detruſus liberè velit fieri Monachus, reuera talis non erit, quamuis teneatur ad omnes obſeruantias regulares in pœnam ſui delicti, & non magis à monaſterio, quàm à carcere diſcedere queat, eáque in re exiſtimarim maiorem eſſe poteſtatem iudicis paterna: quia licet pater poſſit vendere filium in extrema quadam neceſſitate, quam aliter ſubleuare nequit; non tamen in ordine ad diuinum obſequium fingi vnquam poteſt talis neceſſitas, ob quam filium ita donet monaſterio, vt illius ſeruus, ac mancipium exiſtat, & inde iam maximè ſui compos, & plenè liber factus nequeat recedere: poterit tamen iudex Reum monaſterio in perpetuam ſeruitutem addicere, & ad omnes eius obſeruantias adigere; non tamen aut Religioſum inuitum conſtituere, aut ad caſtitatem, aliáque vota Religionis obligare.

§. IV.

Detruſio pœnitentium ad monaſteria nihil ſanctitati monaſteriorum detrahit.

Aio tertiò, hunc antiquum Eccleſiæ morem detrudendi Reos in monaſteria agendæ pœnitentiæ cauſa fruſtrà, & iniuſtè adduci à Religioſorum hoſtibus ad detrahendum ipſorum ſanctitati, quaſi regularis ſtatus conueniat maximè lapſis & facinoroſis: nam præter quàm quod alia longè eſt Sanctorum Patrum, & Eccleſiæ ipſius mens, quæ tot eximiis laudum præconiis eiuſmodi ſanctiſſimos cœtus effert, ſimili argumento Clericorum, & Sacerdotum Ordini liceret detrahere. Nam & vetus illa conſuetudo tenuit, vt rebelles, & qui nouis rebus ſtudere credebantur, in Clericos attonderentur, & Sacerdotium amplecti cogerentur. Nam Meroueus à Patre Chilperico in cuſtodia detentus, *tonſuratus eſt, mutatáque veſte, qua Clericis vti mos eſt, Preſbyter ordinatur, & ad monaſterium Cœnomanicum, quod vocatur Aninſula, dirigitur, vt ibi Sacerdotali erudiretur regula*, inquit Gregor. Turon. lib.5. Hiſtor.cap.14. Idque ſæpius in Gallia factitatum nouimus. Gallus & Iulianus adoleſcentes, nequid noui molirentur, Clericatu initiari iuſſi ſunt à Conſtantio, cui ne quam ſuſpicionem moueret Iulianus, ficta pietatis ſpecie prauitatem animi occultans lu- 22.

bens conſenſiſſe viſus eſt: de eo vide Nazianzen. orat. 1. in Iulian. Irene viri ſui Leonis IV. fratres iam Cæſares fieri Sacerdotes voluit, & in natali Domini Euchariſtiam publicè miniſtrare coëgit. Ioannes Cappadox præfectus prætorio cùm falſo quodam vaticinio deluſus imperium affectaret, à Iuſtiniano oppreſſus ad Sacerdotium compellitur, & cum in tumultuaria inauguratione non eſſet ad manum veſtis Sacerdotalis, Presbyter quidam Auguſtus nomine ſuam illi vtendam dedit, atque ita inanitas oraculi, quod ipſum induendum veſte Auguſti prædixerat, innotuit. Ita Procop. lib. 1. de bello Perſico. An quis igitur dicat Clericalem Ordinem conuenire rebellibus, Reipublicæ perturbatoribus & facinoroſis, eo quod aliqui eiuſmodi in Clerum allecti fuerint inuiti & ſummo imperio coacti.

23. Secundò ratio, propter quam Patres pœnitentes ad monaſteria aliquando amandabant, demonſtrat ipſorum monaſteriorum ſanctitatem: quia nimirum obſeruantiam regularem duriorem exiſtimabant omnibus aliis afflictionibus & pœnitentiis, quæ ab Eccleſia imponi potuiſſent eiuſmodi grauium ſcelerum Reis, qua de cauſa Stephanus V. Papa conſulit Aſtulpho vxoricidæ Religionis ingreſſum, vt ibi ſub manu Abbatis humilietur: quod ſi nolit, deſcribit pœnitentiam, quam agere ipſum oportet, ſanè duriſſimam, vino, carne, ſicera perpetuò abſtineret, præter quàm in Paſcha, & die natali Domini; in pane, aqua & ſale pœnitentiam agat, in ieiuniis, vigiliis, orationibus, & eleemoſynis omni tempore perſeueret, armis nunquam cingatur, nunquam litiget, nec vxorem ducat, aut concubinam habeat, aut adulterium committat, nec balneis vtatur, nec conuiuiis interſit, in Eccleſia poſt oſtium & poſtes humiliter ſtet, ingredientium, egredientiúmve orationibus ſe commendans, communione corporis, & ſanguinis Chriſti indignum ſe exiſtimet: permittit tamen ei ex quadam indulgentia *venialiter* in extremo vitæ exitu illud *pro viatico* accipere: quibus omnibus ait eſſe adiicienda, & alia multa propter peccati pondus; quæ tamen ingreſſu in Religionem, quam ei conſuluerat Pontifex, redimere facilè potuerat Aſtulphus. Vnde liquidò conſtat, quàm grauem Patres exiſtimarint rigorem diſciplinæ regularis ad expianda peccata, & diuinæ iuſtitiæ ſatisfaciendum.

Atque hac ratione licuit Epiſcopatu relicto ad Monachalem ſtatum pœnitentiæ agendæ cauſa diuertere, & eiuſmodi non poterant denuò ad dimiſſum Epiſcopatum aſſumi. Si qua verò alia de cauſa abdicata Epiſcopali dignitate Monachi facti fuiſſent, iterum in Epiſcopos eligi & poſtulari poterant. Ita fusè Innoc. III. de Renunciat. cap. poſt tranſlationem explicat canonem Synodi Conſtantinopolitanæ relatum 7. quæſt. 1. cap. hoc nequaquam prohibentem, *vt quicumque de pontificali ordine ad Monachorum, id eſt, pœnitentium deſcenderit vitam, vlteriùs poſſit ad Pontificatum reuerti.* Verùm placet accuratiùs inueſtigare ſententiam Canonis Conſtantinopolitani, quo aduerſus Monachos ineptè abutuntur noui Antimonachi; fuit hæc Synodus habita in templo ſapientiæ, vti in eius explanatione obſeruat Balſamon ſub Patriarcha Photio, & Ioan. VIII. Pontifice, cuius legati & Apocriſarij Synodo præfuerunt. Quæſtio igitur fuit, an qui ex Antiſtitum 24.

ſtitum ordine in Monachorum locum ſe contulerunt, poſſent idem in gregem imperium retinere ποιμνιαρχίας ἔχειν. Ita enim quæſtionem diſertis verbis proponit Patriarcha Photius. Reſpondent verò locum tenentes τοποτηρηταὶ Senioris Romæ id Romæ minimè fieri: quicumque enim ex Antiſtitum Ordine Monachorum, id eſt, pœnitentium ordini fuit annumeratus, nequit Antiſtitis dignitatem τὸ τῆς ἀρχιερωσύνης retinere: quod idem affirmarunt legati ſedium Orientalium, Monachos quidem ad Antiſtitum Ordinem prouehi; Antiſtites verò, qui Monachi fiunt, non poſſe manere Antiſtites. Fatetur tamen Synodus ſæpè dubitatum fuiſſe Conſtantinopoli, cùm aliqui contenderent non prohiberi Antiſtites factos Monachos, adhuc Antiſtitum munere fungi τὰ τῶν ἀρχιερέων τελεῖν, aliis negantibus: ad dubitationem igitur omnem tollendam editus fuit Canon, quo ſtatuitur, vt ſi qui Antiſtes ad vitam monaſticam deſcendere, & pœnitentiæ locum implere voluerit, hic Antiſtitis dignitatem ampliùs non retineat. Rationem reddit: quia Monachorum inſtituta ad obedientiæ ac diſciplinæ rationem pertinent, non magiſterij, ac præfecturæ, & non alios paſcere, ſed paſci profitentur: quare qui in numero Antiſtitum, & Paſtorum ſunt; vel in eorum, qui paſcuntur, ac pœnitentiam agunt, locum ſe transferre non debent; vel, ſi id fecerint, ſciant ſe Antiſtitis gradu priuatos, & illum minimè recuperare poſſe. Quid hic amabo contra Monachorum ſanctitatem habetur? Sanè qui abiecto Epiſcopatu Monachiſmum ſuſceperunt, neque dignitatem Antiſtitis, neque ſchema retinere debuerunt, neque munera exercere: nam Monachi non præſunt, neque Eccleſiam paſcunt, ſed paſcuntur, pœnitentiæ & planctibus cacant: neque etiam debuerunt illi Antiſtites dignitatem, quam ſemel poſuerant, iterùm pro arbitrio ſumere: inde enim magnæ turbæ oriri potuiſſent. Quomodo verò hic Canon, aut quidquam ſanctitati Monachorum detrahat, aut illorum ſtatum non niſi lapſis, & facinoroſis conuenire ſignificet, nullus ſanæ mentis vnquam viderit.

§. V.

De ſolemni ſtatu pœnitentium, & monaſteriorum Conuerſis.

VErùm tum ad maiorem Canonis Conſtantinopolitani modò explicati lucem; tum ad pœnitentium, qui monaſteriis includebantur, varias ſpecies explicandas, cùm alij tanquam Rei ea pœna damnarentur, vt dixi; alij eam pœnitentiam ſponte eligerent: tum denique ad antiquiorum rituum & morum intelligentiam placet aliquid indicare de ſtatu pœnitentium, qui neque monachalis, neque ſæcularis erat, & de quo fortaſſis loquitur Canon Conſtantinopolitanus. 25.

§. VI.

Diſcrimen pœnitentiæ Canonicæ & ſtatus ſolemnis pœnitentium.

AGo verò de ſolemni pœnitentiū ſtatu, non de ipſa publica & ſolemni, ſiue Canonica pœnitentia: hæc enim duo maximè differunt: 26.

nam primò pœnitentia Canonica publica ſiue imponeretur, ſiue concederetur, finiebatur certo temporis ſpatio, quo expleto reconciliabantur Eccleſiæ pœnitentes, neque ad continuandam pœnitentiam cogi poterant, vt patet; at verò pœnitentiæ ſtatum amplexi, ab eo diſcedere non poterant propter promiſſionis ac voti, quo ſe obſtrinxerant, immobilitatem, & ratione cuius dicebantur eſſe in ſtatu à ſæculari, & laicali omnino diſtincto: nam ad Eccleſiaſticum pertinebat: quare qui poſt pœnitentiam habitum ſæcularē præſumebat iterum induere, ab Eccleſia alienus haberi iubetur ab Arelatenſi Concilio 2. can.25. Concil. Aurelian.1. can.13. iubet eos, qui ſuſcepta pœnitentia Religionis ſuæ profeſſionem obliti ad ſæcularia relabuntur, à communione ſuſpendi, & ab omnium Catholicorum conuiuiis abſtinere. Epaunenſe can. 23. communione abſtinet eiuſmodi pœnitentem, *niſi profeſſioni, quam illicitè prætermiſerat*, reformetur, Toletan.4. can.54. Eiuſmodi vult ab Epiſcopo comprehendi, & ad pœnitentiam, à qua receſſerat, reuocari. Turon.1. cap.8. *Qui ſicut canem ad vomitum, ita ad ſæculares illecebras derelicta, quam profeſſus eſt, pœnitentia, fuerit reuerſus*, à communione Eccleſiæ extraneum fieri, & à fidelium conuiuiis ſummoueri mandat, vti edixerat Aurelian. primum nuper relatum, quam pœnam etiam auxit deinde Aurelian.3. can. 15. *Si quis*, inquit, *pœnitentia benedictione ſuſcepta, ad ſæcularem habitum, militiámque reuerti præſumpſerit, viatico conceſſo, vſque ad exitum excommunicatione plectatur.* Vides igitur non licuiſſe deſerere pœnitentiam, quam quis ſemel profeſſus fuerat, nullúmque tempus illius profeſſioni ſemel ſuſceptæ fuiſſe definitum, vti reuera erat pœnitentiæ Canonicæ, cuius & certi gradus & tempora deſcripta erant.

Vnde oriebatur & ſecundum diſcrimen: nam laici quibus erat impoſita, aut conceſſa canonica pœnitentia non deſinebant eſſe laici, neque habitum Religionis induere dicebantur, aut inter perſonas eccleſiaſticas numerabantur, aut finita ſua pœnitentia poſt reconciliationem plenam, & integram cum Eccleſia dicebantur ad ſæculum reuerti; at verò qui ſtatum pœnitentiæ & habitum aſſumpſerant, & ſæculo renunciaſſe dicebantur, & ſi ad illud aliquando redirent, damnabantur, & canibus ad vomitum redeuntibus comparabantur, & inter apoſtatas cenſebantur, quòd deſerta ſacra profeſſione ſæculi illecebras denuò repeterent. Quæ omnia manifeſta fiunt ex conciliis nuper adductis, quibus adde Leon. cap.10. Epiſt.92. *Contrarium omnino eſt Eccleſiaſticis regulis poſt pœnitentiæ actionem redire ad militiam ſæcularem*; & cap.8. dixerat pœnitentem ſi cauſam habeat, quam fortè negligere non debeat, melius expetere eccleſiaſticum, quàm forenſe iudicium; & cap.9. Vtilius eſſe pœnitenti etiam diſpendia pati, quàm periculis negotiationis obſtringi. Ex quibus vides inter ſacras, & eccleſiaſticas perſonas numerari hos pœnitentes, vt qui gaudeant beneficio fori eccleſiaſtici, & à militia, atque omni negotiatione ſæculari debeant abſtinere. Concil. Toletan. 4. nuper allatum can. 54. *Quicumque ex ſæcularibus accipientes pœnitentiam totonderunt ſe, & rurſus præuaricantes laici effecti ſunt, comprehenſi ad pœnitentiam, ex qua receſſe*

27.

receſſerunt, reuocentur. Quòd ſi aliqui per potentiam irreuocabiles ſunt, nec admoniti reuertuntur; vt veri apoſtatæ coram Eccleſia anathematis ſententia condemnentur. Quid clarius afferri poteſt, vt oſtendatur hos pœnitentes abieciſſe laicalem ſtatum, & ſacrum ac Religioſum accepiſſe, quàm quòd dicantur à Concilio præuaricantes rurſus effici laici, & tanquam veri apoſtatæ anathemate feriantur: quod ibidem ſtatuit de his, qui aut ſponte ſua, aut à parentibus detonſi Religioni ſe deuouerunt, & poſtea habitum ſæcularem ſumpſerunt. Ac denique de viduis, virginibus ſacris & pœnitentibus fœminis, quæ Sanctimonialem habitum induerunt, & poſtea aut veſtem mutarunt, aut ad nuptias tranſierunt, eamdem formam ſeruandam eſſe edicit. Quæ omnia denuò edicuntur grauioribus etiam verbis ex antiquis Patrum Decretis in Concil. Toletano 6. cap. 7. Vbi etiam ij, qui cum eiuſmodi excommunicatis propter dimiſſam pœnitentiam communicauerint, eadem pœna plectuntur, & Sacerdos, qui illos apoſtatas admonere neglexerit, aut non reuertentes, vbi fuerint admoniti, de Eccleſia eiicere, ſimili ſententia plecti mandatur, *quouſque emendationis eorum, vel delationis ſententia ab eo promulgetur.*

28. Hinc ſequebatur tertiò, vt qui pœnitentiã publicam, & canonicam faciebant, quamuis eo tempore militare non poſſent; pœnitentia tamen peracta, & iam Eccleſiæ reconciliati tum militiam, tum omnia ſua negotia, atque priſtina munera reſumerent. Cuius illuſtre exemplum habemus in Theodoſio Seniore, qui damnatus ab Ambroſio, non propterea aut cingulum, aut paludamentum, aut ſceptrum ita dimiſit, vt illud paulò poſt non receperit: eius deinde illuſtre exemplum æmulari voluit Ludouicus Pius ann. 822. Nam in Concilio Altiniacenſi Sacerdotum vſus Concilio maximè Adelhardi Corberæ in Gallia Abbatis, & Conſobrini Caroli Magni, de omnibus, quæ publicè perperam geſſit, publicam pœnitentiam egit. At verò neque tunc aut vxorem abiecit, aut militiæ cingulo ſe exuit, aut imperio abdicauit: neque enim pœnitentiæ publicæ, & Canonicæ leges id poſtulabant; ſed ieiunia, orationes, cilicium, frequentes manuum impoſitiones, vt ex eiuſdem Imperatoris conſtitutionibus, quæ habentur lib. 5. capitular. cap. 58. 59. 62. 63. & 71. colliges, & inferiùs attingemus. At verò cum impia quorumdam coniuratione apud Compendium an. 833. exauthoratus & depoſitus eſt, habitum & ſtatum pœnitentium aſſumere coactus fuit, atque exomologeſi facta, & libello Epiſcopis tradito cingulum militiæ depoſuit, & ſuper altare collocauit, & habitu ſæculi ſe exuens, habitum pœnitentis per impoſitionem manuum Epiſcoporum, ſuſcepit, vt poſt tantam, talémque pœnitentiam nemo vltra ad militiam ſæcularem redeat. Deinde qui authores huius infandæ exauthorationis Ludouici fuerant, vt impium conſilium excuſarent, iactarunt in vulgus Ludouicum conſcientia ductum propter crimina, de quibus iam pœnitentiam egerat in conuentu Altiniacenſi, & maximè propter Bernardi Italiæ Regis nepotis ſui cædem, iterùm publica pœnitentia, armis depoſitis, *irreuocabiliter* Eccleſiæ ſatisfacere voluiſſe. Ex quibus habes fuiſſe aliquem pœnitentiæ ſtatum, quando

nimirum aliquis illam irreuocabiliter profitebatur. Præiuerat iam olim VVamba in Hiſpania ann.680. qui, vt dicitur cap. 1. Concil. Tolet. 12. Suſcepto Religionis debito cultu, & venerabili tonſuræ ſacræ ſignaculo Eringium futurum Regem deſignauit, ipſe verò ſe regno abdicauit.

29. Quartò pœnitentia publica, prohibebat quidem coniugij vſu, vti coniicere videor ex ieiuniis, ſordibus & incuria omni, & dedita opera malæ tractationis ad carnem exterminandam, & Deo ſatisfaciendum, vti loquitur Tertull.lib.de pudicitia: nihil enim diſertè explicatum apud veteres inuenio; id tamen confirmare licebit ex eo quod competentes,qui à Dominica Palmarum ad vigiliam Paſchæ, pœnitentiam agebant, continentiam per eos dies ſe ſeruaturos eſſe profitebantur ex Auguſt. lib. de fide & operib. cap.6. Et quidquid de hac pœnitentium continentia ſtatuas, ſanè non iubebat hæc pœnitentia vxores abiicere, & caſtitatem perpetuò ſeruare; at verò pœnitentiæ ſtatus caſtitatem perpetuam indicebat; ita vt neque antiquas vxores repetere, neque nouas ducere liceret. Hinc illud Leonis Epiſt.92. cap.12. Nihil magis ei congruit, qui pœnitentiam geſſit,quàm caſtitas perſeuerans & mentis, & corporis: agebat autem eo loco de eo qui vrgente aut metu mortis, aut captiuitatis periculo pœnitentiam geſſerat: & deinde timens lapſum incontinentiæ iuuenilis vxorem elegerat, quem Leo reſpondet rem feciſſe venialem: quia videlicet id illi poterat indulgere, & permittere Eccleſia. *In quo tamen*, inquit, *non regulam conſtituimus, ſed quid ſit tolerabilius æſtimamus.* Quia nempe quamuis quaſi ex regula, & canone eccleſiaſtico non liceret pœnitentibus vxorem ducere; in aliquo tamen caſu ex peculiari quadam ratione id tolerari ac indulgeri poſſet ab Eccleſia. Quod Leonis dictum ſubinde Patres Concilij Toletani 6. retractarunt cap.8. & tum in fœminis, tum in viris valere voluerunt. *Non quidem*, inquiunt, *hoc generaliter & canonicè præceptum, ſed conſtat à nobis pro humana fragilitate indultum.* Deinde volunt coniuge,qui non fuerat pœnitentiæ legibus deditus, defuncto, non licere ſuperſtiti denuò ad vxoris tranſire complexus. Si autem illius vita extiterit ſuperſtes,qui non accepit benedictionem pœnitentis, nubat, ſi ſe continere non poteſt, & alterius conſortio fruatur vxoris. In his tamen omnibus Sacerdotis ordinationem expectari iubent, vt iuxta quod ætatem aptam perſpexerit, continentiæ abſolutionem, vel diſtrictiorem tribuat legem. Ex quibus vides etiam in eo periculo incontinentiæ poſt ſuſceptam à iunioribus ex metu quodam pœnitentiam non fuiſſe licitum coniugium, niſi ex Sacerdotis ordinatione & Eccleſiæ venia, quæ continentiæ obligationem præcipitanter, aut non ſatis conſideratè ſuſceptam ſolueret. Atque ea cauſa fuit, cur Agathenſe Concilium cap.15. dixerit iuuenibus non facilè committendam eſſe pœnitentiam propter ætatis fragilitatem. Concil. Arelaten.2. ſub Sylueſtro Pontifice circa ann.326. cui non modò ex omnibus Galliæ prouinciis, ſed ex Italia, Hiſpania, & Africa Pontifices interfuerũt.Statuunt c.21. *Pœnitentes, quæ viro defuncto alij nubere præſumpſerint vel ſuſpecta, vel interdicta familiaritate cum extraneo vixerint cum eodem ab Eccleſiæ liminibus arceri: quod idem de viro* in

in pœnitentia poſito placuit obſeruari. Non licuit quoque coniugi ſine alterius conſenſu ad pœnitentiæ profeſſionem diuertere. Quare idem Concil. Arelat. cap. 22. definiuit *pœnitentiam coniugatis non niſi ex conſenſu dandam.* Idipſum indicant Patres Toletani 6. Concilij loco nuper adducto cum aiunt, eum coniugem, qui non tenetur pœnitentiæ legibus, fuiſſe ex conſenſu ad caſtitatem obligatum, ideóque illi permittunt, defuncto altero coniuge pœnitente, matrimonium repetere, eóque pertinent omnia, quæ de conuerſione coniugatorum ſæpiùs ſtatuta ſunt, ne ſine conſcientia Epiſcopi, & ex alterius coniugis conſenſu fieret: nam non ſolùm conuerti dicebantur, qui Monachi fierent; ſed multò magis qui pœnitentiæ habitum in monaſteriis aſſumebant, vt dicam inferiùs. Huc denique referas, quod pœnitentium ſtupra eodem modo atque virginum, vel viduarum profeſſarum puniebantur. Conc. Ilerd. cap. 6. ann. 524. *Qui pœnitenti, viduæ, vel virgini religioſæ vim ſtupri intulerit, ſi ſe ab eo ſequeſtrare noluerit, pariter à communione Chriſtianorum & conſortio ſegregentur: Si verò illa, quæ vim pertulit ad ſanctam Religionem redierit, in illo ſolo ſententia excommunicationis teneatur, quoad vſque publicè pœniteat.* Concil. Barcinon. æra 637. 14. ann. Regis Reccaredi, Chriſti 559. cap. 4. idem definit. *Pari etiam conſideratione ſancientes, vt ſi qua virgo propria voluntate abiecta laicali veſte deuotarum more induta caſtitatem ſeruare promiſerit; vel ſi qui hominum vtriuſque ſexus pœnitentiæ benedictionem expoſcendo à Sacerdote perceperint, & ad terrena connubia ſponte tranſierint, aut violenter abſtractæ fœmina à pudicitia violatore ſe ſequeſtrare noluerint, vtrique ab Eccleſiarum liminibus expulſi ita ab hominum Catholicorum communione ſint ſeparati, vt nulla prorſus eis vel colloquij conſolatio ſit relicta.* Inter pœnitentem igitur, viduam, & virginem quoad caſtitatis violationem nullum diſcrimen ponunt Concilia, quando illas, ipſarúmque corruptores eadem pœna puniunt, & ſingulas ad Religionem redire iubent, vt ſententia excommunicationis ſoluantur. In Gallia verò anno 537. Aurelian. 3. cap. 16. vbi raptorem virginum conſecratarum, ſeu in propoſito ſub deuotione viuentium à communione eccleſiaſtica vſque ad exitum repulit, viatico tantùm ei infirmitatis periculo reſeruato, ſimilique pœna perculit raptam, quæ cum raptore habitare conſenſerit, hæc adiecit. *Quæ forma & de pœnitentibus ac viduis in propoſito manentibus ſub diſtrictione eccleſiaſtica conſeruetur.*

30. Quintum illúdque maximum diſcrimen inter Canonicam pœnitentiam ſiue impoſitam, ſiue conceſſam, & ſtatum pœnitentiæ, de quo agimus, eſt quod pœnitentia Canonica aliquam ſemper adiunctam excommunicationem haberet, ſiue maiorem, ſiue minorem, indigerétque reconciliatione cum Eccleſia, quod omnino dici nequit de ſacro & Religioſo, vti Patres appellant, pœnitentiæ ſtatu; vt verò id dilucidè oſtendatur, & antiqui mores illuſtrentur.

31. Obſeruæ in primis etiam veteribus duplicem fuiſſe excommunicationem, minorem vnam, quæ ſola Euchariſtiæ communione priuabat; maiorem alteram, quæ non modò ab Euchariſtia, ſed ab omnibus quoque Eccleſiæ precibus, ac ſuffragiis, omnique

omnique fidelium ſocietate, ac cœtu, atque etiam tecto Eccleſiæ abſtinebat, quod anathema nominabant. Vtramque hanc excommunicationem diſertè diſtinguit Concil. Meldenſe cap. 56. Iubet enim neminem Epiſcoporum quemlibet ſine certa, & manifeſta cauſa communione eccleſiaſtica priuare. Anathema autem nulli imponi vult ſine conſenſu Archiepiſcopi, aut Coëpiſcoporum, & niſi vnde Canonica docet authoritas. Rationem verò ſubiicit: *quia anathema eſt æternæ mortis damnatio, & non niſi pro mortali debet imponi crimine, & illi, qui aliter non potuerit corrigi.* Quo eodem ſenſu Auguſtinus homil. 50. cap. 4. Maiorem hanc excommunicationem mortalem; minorem verò illam medicinalem nominauit. Prima enim non niſi difficillimè ſoluebatur, vt ad pacem Eccleſiæ, qui illa perculſus erat, rediret. Tertullianus cap. 11. de pudicitia, trinam facit apud ſuos Montaniſtas excommunicationem; vnam, quæ caſtigatio diceretur; alteram, quæ damnatio, in qua non ſperabatur pax, ſiue reſtitutio ad communionem Eccleſiaſticam: & tertiam, quæ ſummouebat tecto Eccleſiæ, illiúſque etiam aditu arcebat. Primam illam, & tertiam habuit Eccleſia Catholica; non verò illam ſecundam, cùm nemini tandem pœnitentiam negarit, etiam Mœchis & homicidis: quam Eccleſiæ veniam, & indulgentiam pluribus eo loco inſectatur vir durioris oris, & cordis Tertullianus. Auguſtin. Epiſt. 75. Auxilium Iuniorem Epiſcopum, & *necdum anniculum* grauiter arguit, quòd Claſſicianum, eiúſque familiam anathemate obligaſſet, vnde fieret, vt ſi eo tempore quis in ea domo naſceretur, non ei poſſet in mortis periculo per lauacrum regenerationis ſubueniri: vnde colligit nunquam illa pœna vniuerſam familiam, & innocentes ob grauiſſima etiam facinora percellendam eſſe, eo quod vel vnius animæ interitus, omnibus iniuriis Eccleſiæ illatis ſit præferendus. *Vnde*, inquit, *ſi vna anima per iſtam ſeueritatem qua tota domus iſta anathematiſata eſt, ſine baptiſmate de corpore exeundo perierit, innumerabilium mors corporum, ſi de Eccleſia homines innocentes violenter abſtrahantur, & interficiantur huic damno non poteſt comparari.* Ob illud enim crimen Claſſiciani domum anathematiſarat Auxilius, quæ ſanè docent quàm grauis foret Anathematis pœna, quæ etiam vrgente interitu ab omnium Sacramentorum participatione, & non modò Euchariſtiæ, ſed ipſius etiam baptiſmatis arceret. Et quamuis nondum natus, & non baptizatus puniri nequeat ab Eccleſia, cuius iuriſdictioni nondum ſubiacet; puniebatur tamen in filio parens, quod rationi diſſentaneum eſſe docet Auguſtinus; ideóque ſe nunquam auſum eſſe vniuerſam aliquam domum & familiam anathematiſare, ne ſe exponeret grauiſſimæ illi neceſſitati negandi id temporis baptiſmum, vrgente licet morte illi, qui in eiuſmodi familia ipſo indigeret, vſque adeò ab omni fidelium ſocietate excludebantur anathematiſati, ideóque ad fores Eccleſiæ ſtabant, neque illam ſubire vlla ratione audebant, vti euidenter habes in Concilio Tullenſ. 2. can. 1. & 4. tom. 3. Concilio Gallican. Iſaac Lingon. in eodem tom. relatus tit. 3. 10. & 14. *Anathematiſatus dicitur inter eos, qui ſpiritu immundo periclitantur, non orare cum fidelibus, nec in Eccleſiam intrare, ſed ad ianuam Eccleſiæ recubare,*

& intrantibus in eandem, atque exeuntibus exea, vultu in terram proſtrato veniam poſtulare. Vide tit. 9. cap.8.& 9.ſimilem anathematis pœnam à Druidibus olim impoſitam narrat Cæſar. lib.6. de bello Gall. *Si quis priuatus*, inquit, *aut populus eorum decreto non ſtetit, ſacrificiis interdicunt: hæc pœna apud eos eſt grauiſſima, quibus ita eſt interdictum, in numero impiorum ac ſceleratorum habentur, ab iis omnes diſcedunt, aditum eorum, ſermonémque effugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque iis petentibus ius redditur, neque honos vllus communicatur.* Quod verò dicebat Iſaacus hos anathematiſatos inter energumenos ad Eccleſiæ fores orare: id factum eſt, quia hi anathematiſati tradebantur Sathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fieret, vt ait Paul. 1. ad Corinth. cap. 5. ver. 5. & vexabantur ſæpiùs corporaliter à dæmone, eràntque energumeni, vt tradit eo loco Theodoret. Ambroſ. & alij plures: Quæ omnia vides non conuenire cuilibet excommunicationi, ſiue priuationi Eucharistiæ, in qua erat præcipua Chriſtiana communio, vti ſuperiori quoque diſquiſitione obſeruauimus.

Aduertendum ſecundò eſt quatuor fuiſſe pœnitentiæ gradus, vti colligimus ex Synodo Ancyrana, Nicæna, Gregorij Neocæſar. Epiſtol. canonica, Baſil. ad Amphilochium, Leone Imp. lib. 60. Baſilio Abbate Rahitu in gradum 4. ſcalæ Climachi, aliiſque veteribus 1. eſt, πρόσκλαυσις. Fletus & lamentatio 2. ἀκρόασις auditio 3. ὑπόπτωσις, ſubſtratio 4. σύστασις conſiſtentia, poſt quos tandem ſequebatur. μέθεξις, ſiue communicatio & participatio boni, aut perfecti, vti loquitur. Baſil. id eſt, Eucharistiæ, quam τὸ τέλειον καὶ τὸ ἀγαθὸν, vocat Can.4. 22. & aliis, atque Ancyra Synod. can.4. 5. & 6.

Πρόσκλαυσις, ſiue lamentatio & 32.
fletus, aut vt vertit Cuiacius lib.60. Baſil. tit. 37. cap,18. ad ploratus fiebat ante fores, aut vt alij dicunt Eccleſiæ velum ſub dio, vbi & anathematiſati & Sathanæ traditi conſiſtebant, vti iam diximus ex Iſaaco Lingonenſi. Ita Gregor. Neocæſar. Can.11. *Vbi*, inquit, *oportet peccatorem ſtantem orare fideles ingredientes, vt pro ſe precentur.* Baſil.ad Amphiloch.Can.22.Raptores mulierum vult primo anno à precibus expelli & ad Eccleſiæ fores deflere: ſecundò ad auditionem admitti: tertiò ad pœnitentiam: quartò ad congregationem cum populo, & deinde eis permitti boni communionem. Simili ratione Can. 56. voluntarij homicidæ pœnitentiam viginti annorum, quibus Sacramento non communicabit, ſic diſtribuit, vt quatuor annis defleat extra portas Oratorij, quinque annis ſit cum audientibus, ſeptem annis ſubſternatur, quatuor annis ſtet cum fidelibus, ſed non ſit oblationis particeps. Eò pertinet illud Tertulliani de pudicitia: *Reliquas autem libidinum furias impias & in corpora & in ſexus vltra ius naturæ non modò limine, verùm Eccleſiæ tecto ſubmouemus: quia non ſunt delicta, ſed monſtra.* Ipſi etiam Gentiles eiuſmodi facinoroſos templis arcebant: ideò Hercules apud Euripid. in Hercule furente actu 5. deflet ſibi ad nullum templum, aut amicorum conuentum fore aditum, ſi amatas Thebas reuertatur, propter patratam liberorum à ſe cædem, apud Sophoclem in Oedipo Tyran. prohibetur, ne quis homicidam ſuſcipiat, alloquatur & participem faciat diui-

natum precum & ſacrificiorum, quæ eadem pœna illi infligitur apud Theonem Sophiſtam; arcetur enim foro, templis, fœderibus & conuiuiis. Verùm ad ſacra redeamus. In Sacramentario Rotaldi Corberenſis Abbatis, Feria quarta cinerum, ſiue in capite ieiunij eliminantur ab Eccleſia pœnitentes canentibus Clericis reſponſorium. *In ſudore vultus tui*, quod ex antiqua conſuetudine exemplo Adami à Paradiſo eiecti factum quoque affirmant Burchard. lib.19. cap.26. & Iuo part.15. Decreti cap.45. Verùm vtrum qui poſterioribus ſæculis ſolemni illa pompa proſequentibus Clericis eiiciebantur ab Eccleſia, illo die eſſent tantum grauiſſimorum illorum criminum rei, qui in primo gradu pœnitentium, id eſt, lamentantium conſtituebantur; an verò alij, qui in tertio gradu conſtituti erant, non ſatis liquet, immò hoc poſterius potius crediderim, cum illi ipſi deinde in Cœna Domini fierent participes Sacramentorum, vt ibidem habetur: quod non conueniebat ex antiquis omnibus moribus, niſi conſiſtentibus, qui erant in gradu quarto, vti dicam ſtatim. Synodus Ancyrana can. 17. hos flentes extra Eccleſiæ fores nominauit Hyemantes, cum iuſſit congredientes cum animalibus ἀλογευομένυς, & leproſos orare inter hyemantes χειμάζομένυς, quod Balſamon interpretatur audientes in ferula ἐν τῷ νάρθηκι diuinas ſcripturas, de quibus modò agemus: quia ſunt inſtar eorum, qui hyeme, ſiue tempeſtate agitantur, neque ſalutis portum in Eccleſia appellere permittuntur. Quæ Balſamonis ratio multò magis flentibus conueniret, qui ne quidem limine Eccleſiæ recipiuntur. Collectio quidem Dionyſij Exigui à Syrmondo integra edita hyemãtes interpretatur, *Qui ſpiritu periclitãtur immundo*. Quod etiã videbis apud Martin. Braccarenſ. & Ferrandum in Breuiario Canon. 149. Verùm ſemper inquirendum reſtat, cur hi energumeni hyemantes nominarentur. Itaque placet in re obſcura Albaſpinæi in ſacris ſuis obſeruationibus coniectura, eos dictos hyemantes, quòd ſub dio frigori aliiſque aëris iniuriis expoſiti lamentari ad ianuam Eccleſiæ cogerentur. Et quia in eodem quoque loco energumeni conſiſtebant, idcirco & ipſi hyemantes dicti fuerunt. Cur verò leproſi eadem pœna damnati fuiſſent, nõ liqueret niſi ex eadẽ Dionyſiana collectione haberemus hos impuros homines, de quibus actum fuerat præcedenti can.16. hac damnatos fuiſſe pœna, *Si lepra iniuſti criminis alios polluiſſent*. Dici etiam poſſet non ineptè illos ſuo ſcelere lepram contraxiſſe, ex infanda videlicet illa venere: nam etiam lues venerea lepra quædam eſt, vti ex plurium ſententia diximus diſquiſit. 1. Itaque hos beſtiarum inſultores, qui leproſi fuerant, aut erant, & ſua contagione inficiebant cæteros, ad hyemantes amandabantur. Ex antiquo illo more fluxiſſe putarem, vt quondam in monaſterio Stabulenſi ſub dio erigeretur crux, ad quam pœnitentes ſtarent. Quare cum S. Lambertus Tungrenſis Epiſcopus, interfecto Childerico, cui charus fuerat à ſua Sede pulſus à Pharamundo, in illud monaſterium confugiſſet, & nocte ad orationem conſurgens ſtrepitum edidiſſet, quo audito Abbas ad Crucem, quiſquis ille foret, qui fratrum quietem intempeſtiuè turbaret, ire iuſſiſſet, eò Lambertus aſpero indutus Cilicio, & cætera nudus ſe contulit, frigore, niue & glacie

cie diutiſſimè vexatus mirabili patientiæ, & obedientiæ exemplo, vti habet eius vitæ antiquuus author anonymus apud Caniſ. tom. 2. antiquarum lection. & deinde qui eiuſdem ſancti res geſtas proſecutus fuit Stephanus Leodienſis Epiſcopus ad Hermannum Colonienſem Archiepiſcopum apud Surium 17. Septembris.

33. Secundus gradus pœnitentiæ erat ἀκρόασις, cuius locus erat intra portam Eccleſiæ in ferula ἐν νάρθηκι, νάρθηξ, ſanè locus eſt infimus ex veteri Ethymologico, quòd ſit infra templum παρὰ νέρθεν εἶ) τοῦ ναοῦ. Ibi porrò cum cathecumenis audiuiſſe diuinas ſcripturas, ac lectiones, ac catecheſim: nam in Triodio dicitur inibi lectas fuiſſe Theodori Studitæ, Catecheſes, communis videtur ſententia. Sanè vox ipſa Catechumeni, eſt, auditoris ἀπὸ τοῦ κατήχειν, id indicat: quod pridem obſeruauit Iſidor. lib. 8. Originum. cap. 14. & habes ex Luciano in Philopatre, vbi Treiphon Chriſtianus à S. Paulo quondam factus, Critiam, qui Chriſtianus fieri cupit inſtruit. Hinc auditores & audientes dicti, qui ad baptiſmum inſtituebantur à Tertullian. lib. de pœnitentia. Cypriani Epiſt. 13. & 24. quo poſtremo loco ait ſe conſtituiſſe Optatum inter Lectores Doctorem audientium. Erant porrò iſti Doctores, ſiue Catechiſtæ viri inſignes, vti apud Alexandriam Origenes Pautœnus, Clemens & Dionyſ. Quia verò rudioribus initio faciliora tantùm quædam explicabantur, vti habes ex D. Auguſtino cap. 3. lib. de Catechiſand. rudib. ipſóque Luciano in Dialog. cit. & iam prouectioribus explicabantur myſteria, qui idcirco à S. Chryſoſtomo Catecheſi prima dicebantur μυσταγωγείτω. Quæ omnia ex S. Auguſt. in lib. de Symbolo ad Cathecumen. ex S. Cyrilli catecheſib. conſtant. Idcirco priores illos adhuc rudiores dictos fuiſſe volunt aliqui audientes; iſtos autem iam prouectiores competentes, quòd ſatis in fidei rebus inſtructi ſimul baptiſmum peterent, & proximè habituri eſſent, quæ perſpicuè indicantur ab Ambroſio lib. 6. Epiſt. 33. *Sequenti die, erat autem Dominica poſt lectiones atque tractatum dimiſſis catechumenis ſymbolum aliquibus competentibus tradebam in Baptiſterio Baſilicæ.* Quidquid verò ſit de horum nominum ratione, certum eſt duo illa genera catechumenorum fuiſſe, audientium videlicet & competentium, illóſque auditis Euangeliis, & catecheſibus ab Eccleſia egreſſos fuiſſe. Cum illis igitur ſtabant in Eccleſia pœnitentes huius ſecundi gradus in ferula, ſiue vt mauult Zonaras in can. 30. Baſilij in προνάῳ, & cum illis quoque egrediebantur. Ideóque à Gregor. Neocæſar. dicuntur can. 11. prælatione indigni; & Baſil. can. 74. de eo, qui pollutus cum propria ſorore vterina tantum, quæ Græcis dicitur ἑτεροθαλὴς, fuerat, triennio defleat ſtans propter fores; domus oratoriæ, & rogans populum ingredientem ad orationem, poſtea autem alio triennio ad ſolam auditionem admittatur, & ſcripturam ac doctrinam audiens eiiciatur, & nec oratione dignus habeatur. Exiſtimo tamen eos pœnitentes audientes audiuiſſe quidem ſacras Scripturas, ſicut & catechumeni illas audiebant, non tamen in eodem loco cum ipſis: nego etiam oraſſe cum illis, atque eorum orationibus interfuiſſe, quod mihi manifeſtè colligere videor ex Nicæna Synodo; nam can. 11. & 12. egit de

fidelibus lapſis, can. 13. de viatico dando in exitu, & 14. tandem de catechumenis lapſis & fidem negantibus ſic ſtatuit: *De catechumenis ſancto & magno Concilio placuit, vt tribus annis ſint inter audientes; poſt hæc autem cum catechumenis orent;* Idem refertur lib. 5. Capitular. c. 70. illos autem diſpenſat Concilium à proſtratione ſiue afflictione. Vnde apparet catechumenos audiétes non fuiſſe in eodem loco cum audientibus pœnitentibus, neque etiam audientes pœnitentes oraſſe cum catechumenis, cum etiam iſti pœnitentes indigni haberentur omni oratione. Itaque exiſtimarim ad illos habitos fuiſſe ſermones in infimo loco templi & ferula eodem tempore quo habebantur catechumenis, ſed non in eodem loco, & deinde receſſiſſe, neque cum catechumenis oraſſe; id enim apertè indicat Nicæna Synodus.

34. Tertius gradus fuit ὑποπτώσις ſubſtratio: Iſti ſubſtrati ſupplices conuerſi, atque etiam pœnitentes dicebantur: quia per manus impoſitionem accipiebant pœnitentiam, vt dicam inferius, ingrediebantur Eccleſiam, neque tantùm diuinas Scripturas, ſed & Miſſam Catechumenorum audiebant, atque ad Sacerdotũ pedes proſtrati, & totius etiam fraternitatis atque Eccleſiæ preces atque lachrymas poſtulabant, à ſacerdotibus collachrymantibus manuum impoſitionem accipiebant, & deinde recedebant, neque toti intererant ſacrificio. Quæ fuſiùs tradit Iſaac Lingonenſ. nuper laudatus cap. 8. 11. 16. & 17. Synodus vero Laodicena can. 19. apertiſſimè loquitur *oportet poſt Epiſcoporum* ὁμιλίας, *catechumenorum orationem peragi, & poſtquam exierint catechumeni, eorum, qui pœnitentiam agunt fieri orationem, & cum ij ſub manum acceſſerint, & ſereſſerint fidelium preces ſic ter fieri.* Et deſcribit tres illas orationes, & vt daretur pax & ſancta oblatio perficeretur, cui proinde vides non interfuiſſe pœnitentes.

Denique conſiſtentes, qui erant in quarto gradu pœnitentiæ & συστάσεως intererant toti quidem ſacrificio, ſed non participabant Euchariſtiæ, ideóque Synodus Ancyrana, Baſil. & Neocæſar. Gregor. poſt eum gradum ponunt boni & perfecti participationem, ſiue ſuſceptionem Euchariſtiæ, & dicunt hos intereſſe orationi fidelium, ſed ſine oblatione cõmunicare. Ancyrana Synod. can. 6. de his, qui metu cruciatuum territi ſacrificauerant & pœnitentiam à Synodo petierant, ita ex verſione Dionyſiana ſtatuit, *Placuit vſque ad magnum diem* (Paſchæ nimirum) *inter audientes ſuſcipi, & poſt magnum diem triennio pœnitentiam agere, & poſtmodum duobus annis ſine oblatione communicare, & tunc demum ſex annis completis ad perfectionis gradum peruenire.* Eodem modo loquitur cap. 7. 8. 9. Canone verò 16. de iis, qui cum vxorati eſſent & viginti annorum ætatis, in crimen beſtialitatis prolapſi eſſent, 25. annis ſubſtrati & pœnitentiam agentes in communionem precum & orationum ſuſcipiantur: deinde cum in communione precum quinque annos peregerint, oblationem aſſequantur; ſiue, vt habet Dionyſiana collectio oblationis ſacramenta percipiant. Can. 24. vaticinantibus & incantationibus vtentibus præſcribit tres annos ſubſtrationis & duos orationis ſine oblatione. Nicæna Synodus Can. 11. de lapſis & apoſtatis. *Tribus annis fideles inter audientes* 35.

habean

habeantur ; & ſex annis ſe contritione deijciant ; duobus autem annis ſine oblatione, populi in oratione communicent. Ita ex verſione Dionyſiana. Loca Baſilij aliorúmque veterum, qui ſimili modo loquuntur, ſingillatim indicare nihil omninò attinet, cum paſſim obuia ſint.

36. Huius verò modi loquendi ratio eſt : quia ex veteri more qui communicaturi, ſiue Euchariſtiam percepturi erant in Miſſa, panem & vinum conſecrandum offerebant : quò pertinet can. 4. Concilij Matiſcon. 2. *Decernimus, vt omnibus dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris & mulieribus offeratur, &c.* Concil. Toletan. 16. can. 6. damnat eos, qui fruſtum ex pane ſuis vſibus præparato offerebant, iubétque, *Vt offeratur panis in altari Domini Sacerdotali benedictione ſanctificandus integer & nitidus qui ex ſtudio fuerit præparatus, neque grande aliquid, ſed modica tantum oblata, ſecundum quod Eccleſiaſtica conſuetudo retentat.* Erat porrò panis ille rotundæ & circularis figuræ, & vocatur à S. Epiphan. in Anchorat. τὸ στρογγυλοειδές. Aug. ſerm. 215. hanc eandem oblationem mox indicat, *Oblationes, quæ in altari conſecrentur, offerte. Erubeſcere debet homo idoneus, ſi de aliena oblatione communicauerit.* Eò etiam pertinet Cypriani in viduas quaſdam parciores querela lib. de opere & eleemoſynis; *locuples & diues es, & dominicum celebrare te credis, quæ corbonam omnino non reſpicis, quæ in dominicum ſine ſacrificio venis, quæ partem de ſacrificio, quæ pauper obtulit, ſumis.* Quibus verbis meminit duplicis oblationis Cyprian. vnius, quæ in corbonam ad eleemoſynam mittebatur; alterius, quæ ad ſacrificium dabatur. Illuſtre eſt, quod Ioannes Diaconus in vita Magni Gregorij lib. 2. cap. 41. narrat. Cum enim matrona quædam ſolitas oblationes Gregorio Miſſarum ſolemnia celebranti obtuliſſet & deinde ſubriſiſſet, cum illi Gregorius myſteria tradens diceret *Corpus Domini noſtri*, &c. Pontifex partem illam in altari repoſuit, expletiſque ſolemniis iuſſit matronam palam cur ſubriſiſſet, aperire : quæ tandem coacta reſpondet, quod panem, quem propriis manibus præparauerat, corpus Dominicum eſſe dixiſſet. Itaque Gregorius ad orationem vnà cum tota Eccleſia conuerſus à Deo obtinuit, vt panis ille in carnem conuerteretur, & rurſus poſt conuictam fœminæ perfidiam in panem rediret; ſed non eſt, quòd plura alia tum ex Turon. lib. de gloria Confeſſ. cap. 65. tum ex cæteris ad antiquum hunc morem confirmandum congeram. Vides itaque hos pœnitentes, qui erant in quarto gradu, ſiue in conſiſtētia communicaſſe fidelium orationibus, & Miſſæ ſacrificio interfuiſſe, ſed ſine oblatione, eo quod cum ipſi ad Euchariſtiam non admitterentur, nihil etiam ad illam conficiendam offerebant: quod etiam inde euidenter oſtenditur, quòd exacto pœnitentiæ tempóre, tandem ad perfectum perueniebant, id eſt, ad Euchariſtiæ perceptionem, vti ſæpiùs monuimus.

Non fuit porrò neceſſe pœnitentem omnes iſtos gradus decurrere: 37.
nam pro diuerſitate criminum ſtatim in ſecundo, aut in tertio collocabantur : quod patet ex Concil. Ancyran. Can. 7. 8. 9. 16. & 24. ex Nicæna Synodo Can. 12. Ex Baſilio ad Amphiloch. Can. 4. 13. 50. & 51. & aliis. Id totum itaque relinquebatur arbitrio Epiſcopi, qui & facinoris

grauitatem, & pœnitentis ætatem, vires, mores, ac vitam diligenter examinaret. Ex eadem Ancyrana Synodo can. 16. 20. 21. 22. 23. & 25. & lib. 5. capitular. cap. 68.

38. Atque ex his omnibus paulò fuſiùs explicatis, vides quod initio affirmaram pœnitētiæ Canonicæ ſemper fuiſſe annexam aliquam excommunicationem, ſiue maiorem, ſiue minorem: nam primus gradus flentium ipſo Eccleſiæ tecto, & limine ſubmouebatur cum anathematiſatis, & Sathanæ traditis. Audientes qui erant in ſecundo gradu, limen quidem Eccleſiæ ſubibant, ſed minus etiam quàm cathecumeni fidelium orationibus participabant: itaque in duobus illis gradibus erat excommunicatio maior nuper explicata. Pœnitentes verò, qui erant in ſubſtratione, & gradu tertio, ſoluebantur quidem maiori illa excommunicatione accipiendo pœnitentiam per manus impoſitionem, vt iterum dicam inferius, illiſque concedebantur Eccleſiaſticæ preces & ſuffragia, quæ etiam veniam cum lachrymis aliquando pro illis exorabat, vbi illi humili illa proſtratione ambierant. Vide vt Tertull. lib. de pudicitia mœchum pœnitentem ex Catholicis moribus, quos tamen ſugillat, ad exorandam fraternitatem in Eccleſiam inducat, conciliatum & concineratam cum dedecore, & horrore compoſitam proſternētem in medium ante viduas, ante Presbyteros omnium lachrymas ſuadentem, omnium veſtigia lambentem, omnium genua detinentem. Verum cum ne quidem toti ſacrificio intereſſe ſinerentur hi pœnitentes, & poſt Miſſam catechumenorum accepta manuum impoſitione, & exorata venia atque Eccleſiæ precibus ſecedere iuberentur, non perfectè communicabant cum Eccleſia, vti vides, ac proinde ligabantur adhuc excommunicatione aliqua, ſed leuiore quàm foret illa, qua tenebantur flentes & audientes. Denique conſiſtentes, qui erant in quarto & vltimo gradu pœnitentiæ, quamuis orationibus communicarent & ſacrificio intereſſent; quia tamen ſine oblatione id fiebat, neque adhuc digni habebantur participatione myſteriorum, & Euchariſtiæ perceptione, & denique nondum attigerant id quod perfectum eſt, vti loquuntur Patres, erant adhuc excommunicati ſiue priuati bono communionis. Nam ſæpiùs monuimus præcipuam Chriſtianam communionem in ordine ad Euchariſtiam perpetuò deſumptam fuiſſe. Donec itaque iſti conſiſtentes per manus impoſitionem perfectè reconciliarentur Eccleſiæ, ita vt omni pœnitentiæ onere ac legibus liberi forent, & ad Euchariſtiam pro arbitrio cum cæteris fidelibus accederent, atque omnibus Eccleſiæ beneficiis liberè fruerentur, aliqua excommunicatione, partiali ſanè, tenebantur. Vnde quamuis aliquando in periculo mortis viaticum acciperent, aut ex quadam indulgentia in Cœna Domini; pœnitentiæ tamen legibus adhuc obligabantur, vti habetur in Concil. 4. Carthagin. can. 76. 77. 79. Arelaten. 2. can. 12. Innoc. I. Epiſt. ad Exuper. cap. 2. Sirici. Epiſtol. ad Himer. cap. 5. neque erat illa reconciliatio & communio, quam abſolutiſſimam dixit Concil. Vaſetenſ. 1. can. 11. legitimam. Arauſican. 1. can. 3. & Cyprian. Epiſt. 67. acta pœnitentia communicationis, & pacis fructum cum depulſo morbo, aut tranſacta ſolemnitate, in cuius gratiam indulta erat communio Euchariſtiæ in ſuum priorem

rem pœnitentiæ ſtatum redire cogerentur. Maneat itaque quod probandũ initio ſuſceperamus omni gradui pœnitẽtiæ fuiſſe adiunctam aliquam excommunicationem, quod tradit Concil. 3. Toletan. cap. 11. vniuerſim, quamuis excommunicatio, ſiue priuatio Euchariſtiæ aliquando ſine pœnitentia infligeretur, niſi dicas illos fuiſſe in vltimo gradu pœnitentiæ: ſic in Concil. Eliberitan. cap. 14. 21. 50. & 74. obſeruabis. At verò quis dixerit ſacros, & Religioſos pœnitentes de quibus agimus, & quos tantis præconiis efferunt Patres fuiſſe excommunicatos, aut indiguiſſe reconciliatoria manuum impoſitione, aut Euchariſtiæ perceptione priuatos fuiſſe, quis illam profeſſionem ſuaſiſſet.

39. Ex hoc porrò diſcrimine Canonicæ pœnitentiæ, & ſtatus ſolemnis pœnitentium, ſequitur & aliud: nam pœnitentia Canonica aliquam infamiæ notam ſecum afferebat, vnde & à Clericis, vt iterum monebo, non ſuſcipiebatur, niſi vbi gradu moti fuiſſent, & ad laicam communionem damnati. Nec laici, qui hanc pœnitentiam egerant, poterant ad Clerum promoueri, fiebántque, vt loquimur, irregulares, quæ infamia non aſpergebat eos, qui ſtatum pœnitentium profitebantur, cum inter ſacras, & Eccleſiaſticas perſonas haberentur; vti initio huius diſputationis oſtendi. Quòd ſi fortè haberentur irregulares, quod modò diſquiram, id non oriebatur ex infamia ſtatus huius, ſed ex illiteratura, aut alia quapiam ex cauſa, vti patebit ex dicendis.

Quare ex tam apertis differentiis inter Canonicam pœnitentiam, & ſtatum ſolemnem pœnitentiũ vtriuſque diuerſitatem fateri neceſſariò cogimur, quamuis in nonnullis etiam conuenirent: quod ex iis, quæ de hoc ſtatu paucis ſubiicio, colligere licebit.

§. VII.

Quinam pœnitentiæ ſtatum ſolemnem & quo ritu aſſumerent.

QVæro igitur in primis quinam hunc pœnitentiæ ſtatum profiterentur. 40.

Et quidem certum eſt tum viros, tum fœminas fuiſſe eum ſtatum amplexos: quod ex Concil. 6. Toletan. cap. 7. & 8. Ilerdenſ. cap. 6. & Aurelian. 3. cap. 16. ſuperius in quarta differentia inter hunc ſtatum, & pœnitentiam Canonicam explicanda adductis conſtat.

Secundò, laici maximè profitebantur hunc ſtatum, vti ex omnibus ferè canonibus, qui de illo agunt, liquet. Hi verò dicebantur conuerti. Concil. Toletan. 6. cap. 7. de his, qui ſub Religioſo pœnitentium habitu conuerſati, ad id, quód reliquerant, redibant. *Ab Epiſcopo ciuitatis*, inquit, *in cuius territorio ſunt conuerſi, comprehenſi rurſus legibus pœnitentiæ in monaſteriis ſubdantur inuiti.* Sanè conuerſionis vox ſignificat in antiquis ſcriptoribus à vita ſæculari, & ſolutiore ad ſtrictiorem, & obſeruantiorem diuini cultus traductionem: cuiuſmodi maximè erat profeſſio caſtitatis etiam in ſæculo, quod requirebant Canones in vxore eius, qui coniugatus ordinari volebat Agathenſ. can. 16. *Si coniugati iuuenes conſenſerint ordinari, etiam vxorum voluntas ita requirenda eſt, vt ſequeſtrato manſionis periculo, religione præmiſſa* (id eſt, voto & propoſito) *poſtquam pariter conuerſi fuerint,* 41.

rint ordinentur. Arelatenſ.2.ſub Syluestro can. 1. aſſumi aliquem ad ſacerdotium nō poſſe in vinculo coniugij conſtitutum,niſi fuerit promiſſa conuerſio, id eſt, caſtitas, & ſæculi voluptatum abdicatio, & can.3. Clericis permittitur in ſolatio ſuo auiam, matrem, ſororem, filiam, neptem, vel conuerſam ſecum vxorem habere. Puellæ quoque & viduæ in domibus propriis caſtitatem profeſſæ conuerti dicebantur. Aurelian. 5. cui præfuit Sacerdos Epiſcopus Lugdunenſis can.19.ſanciuit, vt quæ in domibus propriis tā puellæ, quàm viduæ commutatis veſtibus conuertuntur (malè aliqui legunt, conuerſantur) ſi nupſerint, cum his, quibus coniugio copulantur, Eccleſiæ communione priuentur. Cum igitur iſti pœnitentes caſtitatem profiterentur, & à ſæculi illecebris ad vitam religioſiorem tranſirent, vti fuit oſtenſum §. ſuperiori, conuerti quoque dicebantur, maximè dum ſe in monaſteriis includerent, & conuerſi nominabantur. Sanè tranſitus laicorum ad vitam monaſticam conuerſio paſſim appellatur. Aurelian.1. cap.23. *Monachus in monaſterio conuerſus, ſi pellici poſtea, vel vxori fuerit ſociatus, tantæ prauaricationis reus nunquam Eccleſiaſtici gradus officium ſortiatur.* Turon.2. Can.16. *Si qui in monaſterio conuerſi ſunt, aut conuerti voluerint, nullatenus exinde habeant licentiam euagandi, nec, quod abſit, vllus eorum coniugem ducere, aut extranearum mulierum familiaritatem habere.* Quæ omnia vides maximè laicis monaſteria ingreſſis conuenire. S.Gregor. lib.7. Indict.1. Epiſt.12. ad Siciliæ Epiſcopos agens de lege ab Imperatore tunc lata, *Ne militiæ, aut rationibus publicis obligati ad Eccleſiaſticum habitum venirent, aut in monaſteriis conuerterentur.* Ait eos qui ſæculi actionibus impliciti ſunt, non eſſe in clero Eccleſiæ præproperè ſuſcipiendos;in monaſteriis autem nullo modo ſuſcipiendos eſſe, niſi priùs rationibus publicis fuerint abſoluti. *Qui verò ex militaribus numeris in monaſteriis conuerti feſtinant, non ſunt temerè ſuſcipiendi, niſi eorum vita fuerit ſubtiliter inquiſita.* Vult deinde in ſuo habitu ſecundum normam regularem probari per triennium, antequam Monachicum habitum induant, *& tunc eorum conuerſionem* non eſſe renuendam.

Conſtat itaque vocem conuerſionis non niſi de laicis ad monaſteria tranſeuntibus, non verò ad Clerum accipi. Indéque factum opinor, vt quia iſti conuerſi laici erant, qui vxore relicta ſæculo iam adulti renunciabant, neque aut propter illiteraturam, aut alias ob cauſas ſtatim Clerici fiebant: debebant enim aliquandiu in illa ſua conuerſione ſe probaſſe, ex Concil. Arauſican. 1. can. 22. an. 441. & ſubinde Concil. Arelatenſe 3. an.458. can. 1. & 2. exigit præmiſſam anni conuerſionem: Inde,inquam, factum opinor, vt dum Monachi paſſim ad clericatum admitti cœperunt, qui inter illos rei domeſticæ curandæ vacabant, & à ſacris Clericatus miniſteriis, atque ordinibus prohibebantur,& laici manebant, dicerentur conuerſi:quod nomen etiam hodie retinetur, eo quòd qui à vita ſæculari ad monaſticam olim tranſibant, & conuerti dicebantur, laici eſſent iam adulti, atque nonnulli coniugati, & Clerici non fierent, aut non niſi poſt probatam aliquo tempore ſuam conuerſionem, præterquam quod id temporis 42.

poris

poris pauci inter Monachos Clerici forent. Inde denique factum, vt profeſſio Monachiſmi conuerſio nominata fuerit. Nam cap. 58. & 60. Regul. S. Benedicti promittitur conuerſio morum. Inde monaſteria ex duplici hominum genere conſtare dicebantur ex nutritis & conuerſis. Illi erant pueri, qui in monaſteriis nutriti fuerant, & perpetua vitæ innocentia ſpectabiles erant; Iſti verò, qui è medio curſu mundanorum honorum, & ſæcularium negotiorum ætate, vſu & prudentia maturi ad vitam monaſticam tranſibant. De hoc vtroque genere Monachorum, qui etiam inter ſe contendebant aliquando, eo quod conuerſi propter maturam prudentiam & rerum vſum ſtatim ad gubernacula admouerentur, & nutritos duriùs haberent, agunt Anſelmus lib. de ſimilitudinibus cap. 78. Petrus Venerabil. in ſtatuta Cluniacenſ. cap. 66. Hugo Victorin. lib. 4. de clauſtro animæ c. 43.

Hoc idem porrò conuerſorum nomen tributum fuiſſe pœnitentiam profeſſis nemo negabit, cum & illi caſtitatem promitterent, & à ſæculari vita ad religioſam tranſirent, atque in monaſteria, vti iterum dicam ſtatim tranſmigrarent vt Conc. Toletan. 6. cap. 7. nuper allatum manifeſtò indicat: Itaque inter conuerſos monaſteriorum maximè numerandos fuiſſe hos pœnitentes exiſtimo.

43. Tertiò præcipua difficultas eſt an Clerici hanc pœnitentiam aliquando profiterentur, illos quidem ad Monachiſmum quandoque tranſiſſe, certi iuris eſt ex Concilio 4. Tolet. Can. 49. quod ait hos Clericos meliorem vitam ſequi velle, ac proinde ab Epiſcopis liberum ingreſſum in Monaſteria illis concedi oportere. Cuius decreti Toletani mentio fit in Concil. Auguſtan. an. 952. Can. 7. Quæritur tamen an etiam ad hunc ſtatum pœnitẽtium Clerici aliquando diuerterent? Ratio dubitandi eſſe poſſet, quòd pœnitentia publica & canonica coniuncta eſſet cum *ἀκανονισία*, & faceret irregularem, ſiue prohiberet à clericatu ex 4. Concil. Carthagin. Can. 68. vbi non modò pœnitens in Clericum ordinari prohibetur; ſed etiam ſi per ignorantiam Epiſcopi ordinatus fuerit, deponi iubetur: & ſi Epiſcopus ſciens ordinauerit, poteſtate ordinandi priuatur. Eandem ordinationem pœnitentium prohibent Epaun. cap. 4. Agathenſ. cap. 43. Aurelian. 3. cap. 6. Hilar. Epiſt. 1. cap. 4. & Greg. lib. 2. Regiſt. indict. 10. Epiſtol. 25. Neque niſi vrgente neceſſitate diſpenſari vult Toletan. 1. cap. 2. an. Chriſti 400. ad Oſtiarij aut Lectoris Officium: & ſi qui ordinati ſunt Diacones inter Subdiaconos habeãtur; ita vt manum non imponant, nec ſacra contingant. Reſpondetur tamen in his omnibus locis agi de his pœnitentibus duntaxat, qui pro grauiſſimis peccatis pœnitẽtiam gerentes *ſub cilicio, diuino fuerint reconciliati altario*, vti loquitur ibid. Toletan. Concilium; at verò qui pœnitentiæ ſtatum profitebantur, neque ob grauiſſima peccata ſaltem cognita pœnitentiam agebant, neque reconciliatione cum Eccleſia indigebant, cum ab ea non eſſent eiecti, aut communione priuati, vti oſtendimus ſuperiori §.

Deinde qui pœnitentiam ſpontaneam ſuſcipiebant in diſcrimine conſtituti nulla manifeſta ſcelera confitentes, ſed tantum ſe peccatores eſſe prædicantes poterant, vbi reualuerant, pro morum probitate ad gradus Eccleſiaſticos peruenire, vt 44.

 ait

ait Concil. Toletan.4. cap.53. Si verò pœnitentiam accepiſſent mortale aliquod crimen fatendo ad Clerum nullatenus admitti poterant, quia ſe propria confeſſione notauerant, vt ibidem dicitur: quare tota ratio, propter quam pœnitentia publica excludebat à Clero, erat infamia, quæ ex commiſſo crimine, quamuis per pœnitentiam publicam deterſo, pœnitentem eiuſmodi aſpergebat. Atqui ſtatum pœnitentiæ profitentes, de quibus agimus, neque peccatum vllum fatebantur, quod etiam nullum aliquando reuera commiſerant, neque vlla notabantur infamia, quamuis illa ipſa pœnitentiæ ſtatus aſſumptione peccatores ſe eſſe prædicarent. Igitur ex illa Toletana regula non excludebantur à Clero. Immò iampridem ann. Chriſti 517. Concilium Gerundenſe ſtatuerat cap.9. Vt qui ægritudinis languore depreſſus pœnitentiæ benedictionem, quam viaticum deputamus, per cõmunionem accepiſſet, & poſtmodum reconualeſcens caput pœnitentiæ in Eccleſia publicè non ſubdidiſſet, ſi prohibitis vitiis non detineretur obnoxius, admitteretur ad Clerum. Niſi itaque aliquis inter ſubſtratos & pœnitentes in Eccleſia publicè fuiſſet, & cum illis manuum impoſitionem accepiſſet, non reiiciebatur à Clero, niſi aliunde propter improbos mores reiiciendus foret. Subinde tamen & hanc manuum impoſitionem non faceret irregularem, modò mortalium criminum confeſſione ſe non infamaſſet aliquis, definiuit Concil. Toletan. 13. cap.10. ex priſcis canonibus. In cauſa Gaudentij Valerienſis Epiſcopi, qui ægritudine vrgente pœnitentiam per manus impoſitionem acceperat, & Synodum rogabat an ſolita miniſteria repetere poſſet, *Sancta Synodus definiuit, vt ſtante priſcorum Canonum ſanctione, quicumque Pontificum vel Sacerdotum deinceps per manus impoſitionem pœnitentiæ donum acceperint, nec ſe mortalium criminum profeſſione notauerint, tenorem retentandi regiminis non omittant, ſed per Metropolitanum reconciliatione pœnitentium more ſuſcepta ſolita expleant ordinis, vel cætera myſteriorum ſibi credita Sacramenta.* Quare cum ſe Concilium dicat ex antiquis canonibus agere, dicendum omnino eſt manuum impoſitionem publicè factam pœnitenti, ſiue ad dandam pœnitentiam, ſiue ad reconciliationem, non reddidiſſe illum indignum Clericatu, aut ſacris miniſteriis, etiam epiſcopalibus, niſi fuiſſet adiuncta cum publica mortalium criminum profeſſione. Itaque interpretari oportet veteres, dum pœnitentem fieri Clericum poſſe negant: quod verius multo erit in illo pœnitente, qui neque vlla crimina profeſſus eſt, neque vlla vnquam eguit reconciliatione, cuiuſmodi erant, qui ſtatum pœnitentiæ lubentes aſſumebant ſolemni promiſſione, vti diximus initio huius digreſſionis. Quæ omnia confirmantur ex eo quod quoties Clericis in graue crimen lapſis infligebatur publica pœnitentia ante depoſitionem, ea eiuſmodi erat, vt non ſubiicerentur manuum impoſitioni, quam frequenter accipiebant, qui erant in ſubſtratione ſiue tertio pœnitentiæ gradu, vti diſertè habet Concil. Carthaginen. 5. c.11. Vbi prohibet Presbyteris, & Diaconis reis manus imponi tanquam pœnitentibus, vel fidelibus laicis, idque alienum eſſe à conſuetudine eccleſiaſtica, & ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendere dixit Leo Epiſtol.92.

ſtol.92. ad Ruſticum Narbonenſ.c.2. Vnde concludit eiuſmodi lapſis ad prouidendam miſericordiam Dei, priuatam eſſe expetendam ſeceſſionem, vbi illis ſatisfactio ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa: quæ priuatæ pœnitentiæ in illa ſeceſſione grauiores erant pro ratione criminis; eáque ſeceſſio ferè erat in monaſteriis, ad quæ Clerici rei retrudebantur agendæ pœnitentiæ cauſa, quod fuſiùs nuper euicimus; neque ob eam pœnitentiam mouebantur gradu, eáque peracta ſolita miniſteria repetebant, ſi fortè aliquibus durante pœnitentia abſtinere iuſſi fuiſſent. Epiſcopi tamen pœnitentiam apud Metropolitanum agebant, vt indicatur Emeritan.cap.87. & Toletan.7. cap. 3. & Toletan. 11. cap.3. Vbi qui violaret pſallendi modum in Metropolitana ſede inſtitutum, ſex menſibus communione priuatus apud Metropolitanum, ſub pœnitentiæ cenſura permanet corrigendus, quatenus apud illum & præteritæ tranſgreſſionis culpam lachrymis diluat, & neceſſariam officiorum doctrinam ſtudioſè adiiciat. Cum igitur pœnitentia iſta per retruſionem ad monaſteria non faceret irregularem, cur ſpontanea illius profeſſio eiuſmodi irregularitatem pareret?

His accedit euidens illa ratio, qua vtitur Concilium Toletanum 13. cap. 10. nuper adductum de Epiſcopis, qui in periculo mortis benedictionem pœnitentiæ acceperant, & deinde conualuerant, quóſque ſi mortalis criminis profeſſione ſe non notauerant, in ſuæ Eccleſiæ regimine poſſe perſeuerare dixit: *Cùm omnis Sacerdos tunc ſibi licitum ſacrificare ſciat, quando à malis actibus vacat: qua ratione qui pœnitentiæ remedium ſuſcipit, quod datur in remiſſionem peccati, à ſacrificijs diuinis ſe abigit? Qui ergo confidit per ſuſceptam pœnitentiam dimiſſa ſibi peccata, cur confidenter ad altare Domini non accedat? vel cur Ordinis ſui non audeat retractare officia?* Quam rationem pluribus vrget Synodus, eodémque refert antiquum præceptum. *Sacerdos ad hominem mortuum non accedat, id eſt, mortalium criminum ſe implicatione non polluat: non enim dicit Deus, vt Sacerdos ad ſacra quaque non auderet accedere, de quibus præceperat, vt nullo modo Sacerdos de ſanctis exiret, ſed vt mortis opera non auderet contingere: ergo abigenda ſunt ab omni Sacerdote quæ maculant; exercenda quæ mandant.* Denique addit, ſi peccati reus ſit, quod tamen non prodiderit capiendo pœnitentiam, *nouerit ipſe ſibi de ſe poteſtatem, vt iuxta conſcientiæ ſuæ fiduciam vtrum audeat, aut non audeat ſacrificare Deo, & ex ſui potius arbitrij poteſtate quam ex noſtri iudicij permiſſione procedat.*

Habemus denique apertiſſimam ſententiam Innocentij III. cap. poſt tranſlationem de renunciat. Canonem Conſtantinopolitanum, cuius gratia in hanc diſputationem digreſſi ſumus interpretantis, nempe vt *qui de pontificali dignitate ad Monachorum vitam, & pœnitentiæ locum deſcenderit, nequaquam vlteriùs ad Pontificatum reſurgat.* Nam ſi quis vel vrgente perſecutione, aut corporis valetudine, aut literaturæ defectu, aut denique propter Simoniam in ſua ordinatione ſe ignorante commiſſam ex Sedis Apoſtolicæ venia ceſſerit Epiſcopatui, & ad Monachiſmum tranſierit, reſurgere valebit ad officium paſtorale, neque Concilij citati legem violabit, quod loquitur in eo caſu, *quo quis propter* 39.

aliquod crimen Epiſcopatum deſerens ad vitam monaſticā pœnitentiæ cauſa deſcendit. Quod tamen non ita ſimpliciter intelligendum eſt, vt quoties cauſa pœnitétiæ Epiſcopus monaſterium ingreditur, toties nequeat denuò in Epiſcopum aſſumi; ſed quoties vel ad id ipſe damnatus fuit; aut crimen, cuius pœnitentiam agere non poſſet, dignitate Epiſcopali retenta, faſſus eſt. Deinde non poteſt quidem ille Epiſcopus pontificatum quaſi debitum repetere, cùm illi iam ceſſerit: poterit tamen iterum eligi ad Epiſcopatum: *Vnde quidam*, inquit, *in eo caſu loqui dixerunt, capitulum ſupradictum cum quis pro crimine, de quo conuictus fuerat, vel confeſſus ab Epiſcopali dignitate depoſitus in monaſterio extitit ad pœnitentiam agendam incluſus: vel cum aliquis propter graue crimen, pro quo Epiſcopatum retinens pœnitentiam dignè agere non valebat, cedendi obtenta licentia vitam monachalem elegit: aliis aſſerentibus ſic intelligendum eſſe capitulum antedictum, vt per ſe reſurgere nequeat, id eſt, repetere quaſi debitum, quod tali modo dimiſit, quamquam eligi poſſit, præſertim ſi locum tantum, & non ordinem reſignauit:* Quia videlicet noluit eſſe priuatus Ordinis executione, vbi ſe daret occaſio. Ipſe autem Innocentius, quia non conſtabat qua ex cauſa ille, de quo agebatur, ceſſiſſet Epiſcopatui illum permittit ad Eccleſiam Fauentinam eligi maximè ſi conſtiterit illum loco non Ordini & dignitati ceſſiſſe: *Tunc enim*, inquit, *eſſet vehemētiſſimè præſumendum quod non propter crimen aliquod ab ipſo commiſſum, ſed cauſa pœnitentiæ ad vitam migrauerit regularem, præſertim cum Apoſtolica Sedes poſt ceſſionem multò minus quàm antea permiſiſſet eidem tali crimine irretito in Pontificiali ordine miniſtrare.* Ex his omnibus colligimus primò Epiſcopum, qui damnatus eſt pro aliquo crimine, & pœnitentiæ cauſa incluſus monaſterio fuit, non poſſe repetere Epiſcopatum tanquam ſibi debitum, quia illo ſe abdicauit. Secundò Epiſcopum, qui poſtulat licentiam cedendi Epiſcopatui, vt crimen aliquod pœnitétia eluat in monaſterio, etiam dimiſſum Epiſcopatum non poſſe repetere. Fuiſſe autem in more vt Epiſcopi grauium criminum conſcij poſtularent veniam ſe abdicandi, quamuis crimen ipſum diſertè non explicarent. Habemus fuſiſſimè apud Hincmarum in facto & abdicatione VVanilonis Remenſis Archiepiſcopi, in cuius deinde locum ipſemet Hincmarus ſuffectus fuit. Habemus tertiò aliquos Epiſcopos, dum ſe pœnitentiæ cauſa monaſteriis ſponte includerent, loco quidem, ſed non ordini ceſſiſſe, atque adeò pontificalia quādoque miniſtraſſe, eo quod nullum crimen in genere confeſſi ſe ab Ordinis executione non abdicarent. Habemus quartò profeſſionem pœnitentiæ non conſtituiſſe irregularem, quandoquidem nulla criminis infamia pœnitentem abſtergebat, & illam ipſi Epiſcopi dimiſſo tantùm loco & retento ordine ac dignitate profitebantur, atque tum pontificalia miniſteria, niſi quid aliud obſtaret, exercere permittebantur, & iterum in Eccleſiarum regimen aſſumi. Quidni igitur & inferiores Clerici eandem pœnitentiam aſſumentes, & in ſuis officiis, ſi opus foret, miniſtrarent, & ad cæteros gradus ac dignitates aſſumi poſſent? Quidni & laici, ſi alioquin digni forent, in Clerum adſcribi? Denique habemus non

non modò Clericos, ſed ipſos etiam Epiſcopos hanc pœnitentiam fuiſſe profeſſos, quod hac quæſtione probandum ſuſceperamus.

§. VIII.

Quo ritu ſolemnis pœnitentiæ ſtatus ſumeretur.

40. VEnio ad ritum, quo fiebat hæc ſolemnis & religioſa pœnitentiæ profeſſio. Et primò ſi agamus de tempore, illa plerumque ſuſcipiebatur vrgente mortis periculo, quod ex ſuperiùs allatis conciliis, quæ ferè de hoc caſu agunt, liquet, Leo Epiſtol. 92. cap. 12. Concil. Gerundenſe cap. 9. Toletan. 6. c. 7. & 8. Toletan. 13. cap. 10. Hinc ſubinde factum, vt plerique in morte pœnitentiæ habitum aſſumerent: & quia ille maximè cilicium erat, in illo mori vellent. Petrus Venerabilis lib. 1. miraculorum cap. 4. agens de obitu cuiuſdam Gilberti Presbyteri in monaſterio ſancti Ioannis Angeliacenſis conuerſi: *Cúmque*, inquit, *ſicut mos Chriſtianorum eſt, maximè Monachorum, in ſubſtrato cilicio, & cinere à fratribus compoſitus iaceret*, Author verò vitæ S. Ærigij VVapincenſis Epiſcopi eius obitum ſic deſcribit: *Nudata corpore ante altare S. Euſebij in cilicio & cinere iacens viaticum corporis & ſanguinis Chriſti de manu Iſilij Epiſcopi & Ircontij Presbyteri cum accepiſſet*, &c. Poſterioribus verò ſæculis induunt veſtem religioſam ſub exitum nonnulli in eáque ſepeliri volunt: quod ex antiquo illo more profitendi pœnitentiam vrgente periculo mortis fluxiſſe nemo dubitarit.

41. Secundò imponebantur manus pœnitenti, quæ impoſitio dicitur, in Epaun. Concil. cap. 21. pœnitentiæ benedictio: *Viduarum*, inquit, *conſecrationem quas Diaconas vocant, ab omni regione noſtra penitus abrogamus, ſolum eis pœnitentiæ benedictionem, ſi conuerti ambiunt, imponendo.* Et ſanè iam olim viduarum conſecrationem prohibuerat Eccleſia, illámque ſolis virginibus conceſſerat, vti affirmat Concil. Turon. 2. cap. 21. vbi refert decretum Epaunenſe citatum, & Concil. Tribur. cap. 25. Itaque ſola benedictione pœnitentium viduæ contentæ eſſe debebant: promiſſa enim caſtitate illis imponebantur manus ab Epiſcopo, aut de eius licentia à ſacerdote cum quadam precatione, quod vbique eſſe conſtitutum ait Concil. Agathenſe cap. 15. atque hac in parte conueniebat hic ſtatus pœnitentiæ cum pœnitentia canonica, quæ per manuum quoque impoſitionem dabatur, quando quis in tertio gradu pœnitentiæ, ſiue ſubſtrationis conſtituebatur: nam in primo gradu lamentantium, & ſecundo audientium illa non vſurpabatur: quia cum illi, qui in eiuſmodi gradibus erant conſtituti, precibus & oratione Eccleſiæ forent indigni, benedictionem & apprecationem, quæ per eam manuum impoſitionem fiebat (eſt enim, inquit Auguſtin. lib. 3. de Baptiſmo cap. 6. manus impoſitio oratio ſuper hominem) recipere non poterant. In tertio itaque gradu imponebantur manus & dabatur pœnitentia, vti ſæpiùs diximus. Verùm præter primam hanc impoſitionem manuum, quæ fiebat à ſolo Epiſcopo, aut de eius licentia etiam à Presbyteris, vti habet Iſaac Lingonenſis tit. 1. cap. 3. à Diaconis nunquam legimus datam fuiſſe. Erant & aliæ manuum impoſitiones, quæ fiebant

ſuperiùs laudatis accipere manuum impoſitionem, de his intelligendi ſunt. Nam primam illam, qua dabatur pœnitentia, accipiebant, vti ex Concil. Toletan. 13. cap. 10. patet & aliis: Non ita tamen, vt per illam conſtituerentur in illo tertio gradu pœnitentium ſiue ſubſtrationis. Vnde diſertè prohibet Concil. Carthagin. 5. ſuperius allatum cap. 11. Presbyteris & Diaconis reis manus imponi tanquam pœnitentibus, vel fidelibus laicis, idque alienum eſſe ab Eccleſiaſtica conſuetudine dixit Leo etiam adductus Epiſt. 92. cap. 2. Vbi ſunt expendenda illa verba Concilij Carthaginen. *Ne Clericis imponatur manus tanquam pœnitentibus & fidelibus laicis.* Non prohibet enim omnem manuum impoſitionem fieri Clericis peccantibus; ſed eam duntaxat, quæ pœnitentibus laicis fiebat, per quam videlicet in gradu proſtrationis conſtituebantur. Nam ſi per eam non conſtituebantur in illo pœnitentiæ gradu, poterant illam accipere, & reuera accipiebant, cum illis dabatur pœnitentia, quam, vt dicebat Leo ſeceſſione perficerent: & cum Concil. Epaun. nuper adductum eamdem benedictionem velit conferri viduis caſtitatem profitentibus, quæ daretur pœnitentibus, ſatis indicat aliquam fuiſſe collatam benedictionem pœnitentibus, quæ neque infamiam traheret, neque illos in eo gradu ſubſtrationis collocaret, & perpetuò ſupplices redderet, obligarétque ad ſubiicienda capita manibus Sacerdotum continuò in Eccleſia, & omni corporis humilitate preces omnium exorandi. Quis enim vnquam iſta de viduis ſcripſit? Erat igitur illa benedictio viduis & pœnitentibus communis, certa precatio, quæ ſine manuum impoſitione non fiebat, vti referebamus ex Auguſtino, quæ adhibebatur, cùm viduæ in manus Epiſcopi viduitatem promitterent, & conuerti ambirent, vti loquebatur Concil. Epaun. id eſt, à vita ſæculari ad ſtrictiorem, religioſiorémque tranſire, eadémque communis erat pœnitentibus non illis, qui ad tertium gradum pœnitentiæ reiiciebantur, ſed qui ſponte pœnitentiæ ſtatum profitebantur, & ſæculi quoque illecebris ſeſe abdicabant. Non fiebat quoque iſta viduarum noſtrorúmque pœnitentium benedictio, & impoſitio manuum ante ambonem ſiue apſidem in Eccleſia, vt pœnitentium reorum ex Concil. 3. Carthagin. cap. 52. quod allegat. cap. 53. lib. 5. capitular. ſed ante ipſum altare, aut in ſecretario: ſic enim habet Concil. Arauſican. 1. cap. 27. *Viduitatis ſeruandæ profeſſionem coram Epiſcopo in ſecretario habitam impoſita à Preſbytero veſte viduali non eſſe violandam.* Quid porrò eſſet ſecretarium, fuſiùs dictum fuit diſq. 1. Cum igitur benedictio pœnitentium iſtorum & viduarum eadem foret, ibidem quoque, & eodem ritu factam fuiſſe coniicere licet. Impoſitione verò manuum reconciliatoria, quæ poſt decurſos pœnitentiæ gradus adhibebatur ad perfectam communionem, & pacem cum Eccleſia obtinendam non indigebant iſti pœnitentes, cum nunquam ab Eccleſia priuati eius communione, vel totali vel partiali fuiſſent, quod ex ſuperiori §. ſatis conſtat.

Tertiò, his pœnitentibus imponebatur Cilicium à Sacerdote ſuper caput, Agath. cap. 15. quod id vbique conſtitutum eſſe dicit, & refertur lib. 5. capitular. cap. 55. Cilicij quoque meminit Toletan. 1. cap. 2. dum deſcribit 44.

deſcribit publicam pœnitentiam gerentem, illum *qui ſub cilicio diuino fuerit reconciliatus altario*, vbi malè aliqui legunt *ſub concilio*, quaſi ſub Eccleſiæ cœtu & conſpectu reconciliationem acceperit:& ſanè cilicium fuiſſe pœnitentium veſtem, atque etiam pœnitētiam canonicam agentibus impoſitum fuiſſe tradit lib. 5. Capitular. cap.71. Burchard. lib. 19. cap.26. & Iuo part. 15. decreti c.43. & Eligius ſerm. 8. explicat cur pœnitentes in Eccleſiæ parte ſiniſtra ex antiquo vſu collocarentur: quia videlicet Chriſtus hœdos, id eſt, peccatores in ſiniſtra ponet. *Vnde*, inquit, *& cilicia, quæ ſunt indumenta pœnitentium, è pilis hœdorum & caprarum fiunt.* Huc pertinent quæ diximus de veteri more moriendi in cilicio, id eſt, habitu pœnitentiæ.

45. Quartò ſolemne fuit pœnitentium capita aqua luſtrali cineribus mixta aſpergere, quod indicant Burchard. & Iuo laudati, & colligitur ex Optato lib. 6. aduerſus Parmeni. Vbi agit de Donatiſtis ſchiſmaticis, qui virgines catholicas pœnitentiam ſuſcipere cogebant: *Cum conſecratas Deo aſperſiſtis immundis cineribus, crines iuſſiſtis etiam aqua ſalſa perfundi.* Tertull.lib.de pœnitentia: *In aſperitudine ſacci, & horrore cineris.* Et ibid. cap.9. *de ipſo quoque habitu atque victu mandat ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare.* Cyprianus lib. de lapſis: *oportet ſtratos ſolo adhærere, cineri in cilicio & ſordibus volutari.* Iſidor.lib.2. offic. Eccleſiaſt. cap. 16. inde ritum imponendi cineres fidelium capitibus initio magni ieiunij fluxiſſe credit. Denique Iob. cap.42. ver.6. ago pœnitentiam in fauilla & cinere. An verò & hic ritus ſeruatus fuerit in pœnitentibus, de quibus agimus, non liquet:mihi veriſimilius eſt vnà cum cilicio ſparſos quoque ex more fuiſſe cineres.

Quintò mutabant veſtem iſti etiam pœnitentes, & habitum religioſum induebant. Mutationis veſtis meminit Agathenſe cap. 15. Concil. Toletan. 3.cap. 12. videtur hanc mutationem habitus ad mulieres, & comæ abſciſſionem ad viros reſtringere: deſcribit enim quid Epiſcopus, & Presbyter obſeruare debeat in danda pœnitentia: *Si vir eſt ſiue ſanus, ſiue infirmus, priùs eum tondeat, & ſic ei pœnitentiam tradat: ſi verò mulier fuerit, non accipiat pœnitentiam, niſi prius mutauerit habitum.* Omnes tamen hos pœnitentes habitum mutaſſe, & abiecto ſæculari religioſum aſſumpſiſſe, certum eſt. Concil. Toletan.6. cap.7. *Si qui ingenuorum vtriuſque ſexus ſub nomine pœnitentis in habitu religioſo ſunt conuerſati. Poſt hæc autem comam nutrientes, vel veſtimenta ſæcularia ſumentes ad id, quod reliquerant, redierunt*, &c. Sicut igitur erat veſtis aliqua vidualis, cuius meminerat paulò ante Arauſican. 1. cap. 27. & quam Toletan.10. cap.4.dixit *varietatibus colorum & diuerſitatibus ſpecierum carere oportere*, quámque nunquam deponet etiam in lectulo quieſcens, ita & pœnitentium (hanc enim comparationem ab Epaunenſi Concilio vſurpatam libenter proſequor) religioſus quidam erat habitus à ſæculari diſtinctus, licet cuiuſmodi foret vix appareat in veterum monumentis. Sanè certum videtur veſtes iſtas diſtinctas fuiſſe à veſtimentis ſæcularibus in materia, quæ vilis, & non pretioſa erat; ſchemate & forma, quæ modeſtiam omnino probaret; & colore denique qui luctum & pœnitentiam deſignaret. 46.

Et

Et colorem harum veſtium pullum aut nigrum fuiſſe exiſtimarim, cum Romanos in luctu atratos fuiſſe conſtet, memineritque pullæ togæ Cicero in Piſonem; pullatorum procerum Iuuenalis, & Tacitus atratam veſtem in funere Germanici inducat. De fœminis tamen Romanis dubia res eſt: nam alij veſtem lugubrem non aliam illis tribuunt, quam quod purpuram & aurum ponerent. Maior pars veterum atratam veſtem agnoſcunt. Herodianus verò, Statius & Plutarchus albam: alij ita conciliant, vt ſtante Republica atratis, ſub Imperatoribus albis veſtibus vterentur. Apuleius tamen in luctu matronali fuſcæ veſtis meminit. Verum quidquid de ea quæſtione cenſeas, pœnitentium veſtes lugubres erant: & non modò omni carebant ornatu, ſed etiam lugubris coloris, hoc eſt, pullæ, ſiue nigræ paſſim erant, vt etiam viduales: ita vt, quod dixit Cyprianus de lapſis: *Poſt indumentum Chriſti perditum, nullum iam hic vellent veſtitum*, liceat hoc loco vſurpare; non tamen communis iſte pœnitentium, de quibus agimus, veſtitus, qui toto vitæ tempore durabat, erat ſordibus obſcuratus, vt de pœnitentibus in tertio gradu conſtitutis dixit Tertullianus lib. de pœnitentia cap. 9.

5. Comam pœnitentibus attondebant Concil. Agathenſ. cap. 15. Toletan. 6. cap. 7. & Tolet. 3. cap. 12. lib. 5. capit. c. 52. Greg. Turon. lib. 6. hiſtor. cap. 28. de quodam Marco Referendario *ſubito lateris dolore detentus caput totondit atque pœnitentiam accipiens ſpiritum exhalauit*. Sanè veteribus ea capillorum & barbæ abraſio ſignum luctus fuit. Ita Iobus audita filiorum morte tonſo capite corruit in terram. Iſaiæ cap. 15. *In cunctis capitibus eius caluitium & omnis barba radetur*. Michææ cap. 1. *Decaluare & tondere ſuper filios deliciarum tuarum*. Idem cap. 16. *non ſepelientur, neque plangentur, non ſe incident, neque caluitium fiet pro eis*. Quia verò Monachi in quodam perpetuo luctu abiectis ſæculi illecebris erant, idcirco & ipſi erant attonſi, ſicut & pœnitentes: inde illa ab Hilario Arelatenſi S. Honorati adhuc adoleſcentis religioſam vitam amplexantis deſcriptio: *Rediguntur ad breues capillos luxuriantes comæ, transfertur ad nitorem mentis veſtium ſplendor, ceruicis lactea decus palliis rigentibus occupatur: tranſit lætitia in ſeueritatem*, &c. Saluian. lib. 8. dum odium, quo Africani Dei ſeruos & Monachos proſequebantur, & conuitia, quibus illos excipiebant, & velut taureis cædebant, deſcribit: *Intra Africæ ciuitates & maximè intra Carthaginis muros palliatum & pallidum, & reciſis comarum fluentium iubis vſque ad cutem tonſum videre tam infelix ille populus quàm infidelis ſine conuitio atque execratione vix poterat*. Non fuit tamen perpetua & communis vbique pœnitentibus iſta capitis attonſio: nam Iſidor. lib. 2. offic. Eccleſiaſt. c. 16. ipſos capillos & barbam nutriuiſſe ait, & Orderic. vitalis lib. 8. hiſtor. Eccleſ. olim pœnitentes & captos & peregrinos intonſos fuiſſe teſtatur S. Columban. in ſuo pœnitentiali pœnitentes fratres prohibet lauare capita, niſi octauo aut decimoquinto quoque die, dum opera ſordida efficiunt, aut propter fluentium capillorum incrementum. Monachis atque Eremitis prolixam fuiſſe barbam alibi monuimus. Hieronym. Epiſt. 22. falſos Monachos deſcribens *viros quoque fuge, quos videris cathenatos,*

quibus fœminei contra Apoſtolum crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudi in patientia frigoris pedes. Hoc illi ſchemate pietatem mentiebantur. S. Euthymius ex Nicephor.Callix.lib.14. cap.52. ad fœmora vſque promiſſam, eámque denſam barbam geſtabat. Et iam olim Apollo apud Palladium Lauſiacæ cap.52. damnabat τοὺς τὰ σίδηρα φέροντας, καὶ τοὺς κομῶντας, qui ferrum geſtarent, & capillos promitterent, atque ita pœnitentiam nimis ambitiosè præferrent: nam ferreos circulos pœnitentiæ cauſa geſtatos videbis apud Theodoret. in Philoth. de Euſebio cap.4. Theodoſio cap.10. & Iacobo poſteriori cap.20. de hoſpitio apud Nicæam, Prouinciæ idem ſcribit Paulus Diacon.lib.3. Hiſtor.Longobard. cap.21. de S. Gallo VValfrido Strabo lib.1. cap.31. de Rodulpho Eugubino Epiſcopo Damian. cap.3. de Dominico Loricato cap.9. Maranam & Cyram σιδηροφόρους, dixit Theodoret. Fortunat. de Radegunde idem aſſerit. Sicut igitur, quos damnabat Apollo ferrum pœnitentiæ cauſa ex quadam vanitate oſtentabant, ita & comas promittebant. Sed longa eſt, & alio loco tractanda diſputatio de capillorum ac barbæ nutritione aut raſura. Sufficiat quod attinet ad pœnitentes varium fuiſſe morem, vbi enim prolixa cæſaries maieſtatem quamdam & ſpeciem deſignabat, vt apud Gothos, quod teſtatur Iornand. lib. de rebus Gothic. & Claudian. lib. de bello Gethico atque Sidon. Apollinar.lib.1.Epiſt.2. Theodorici formam deſcribens, ſicut mos *gentis eſt crinium ſuperiacentium flagellis operiuntur*, apud eas, inquam, gentes pœnitentes comam præſcindebant. Itaque iubet ſæpius citatum Concilium Agathenſe, quod ſub Alarico Rege habitum fuit; vbi verò raſura delicatiorum erat: impexa cæſaries, & barbæ prolixitas à pœnitentibus ſeruabatur.

Maior verò difficultas eſt de fœminis pœnitentibus; nam Concilium Toletan.3. cap.12. illis tantum habitus mutationem imperat; viris comæ abſciſſionem. At verò Concilium Toletan. 6. cap.7. damnat ingenuos vtriuſque ſexus, qui ſub nomine pœnitentis in habitu religioſo ſunt conuerſati, comam nutriunt, & veſtimenta ſæcularia aſſumunt: atque ita ad id, quod reliquerant, redeunt. Igitur etiam fœminis pœnitentibus caput attondebatur, quod negabat Concilium tertium Toletanum. Exiſtimo tertium illud Concilium agere de fœminis, quibus dabatur pœnitentia Canonica, & quæ in tertio gradu pœnitentium collocabantur; illis enim non abſcindebantur capilli, ſufficiebátque mutatio veſtis; quia cum illa pœnitentia non eſſet perpetua, ſed temporaria duntaxat, vbi decurſa fuiſſet, accepta pace, & communione Eccleſiæ per reconciliationem ſolemni more fœminæ iſtæ attonſæ, & decaluatæ remanſiſſent non ſine dedecore, & turpitudinis perpetuæ quadam nota. Eleganter enim Apulei lib.2.Metam. *Si cuiuſlibet eximiæque pulcherrimæque fœminæ caput capillo ſpoliaueris, & faciem natiua ſpecie nudaueris, licet de cœlo eiecta, mari edita, fluctibus educata, licet, inquam, Venus ipſa fuerit, licet omni gratiarum choro ſtipata, & toto cupidinum populo comitata, & balteo ſuo cincta, cinnamoma flagrans, & balſama rorans, ſi calua proceſſerit, placere non poterit, ne Vulcano quidem ſuo.* Et poſt pauca: *Tanta denique eſt capillamenti dignitas, vt quamuis auro, veſte, gemmis,*

48.

mis, omnique cætero mundo exornata mulier incedat, tamen niſi capillum diſtinxerit, ornata non poſſit videri. Non grauius certè ſupplicium Deus Sionæis fœminis, quàm caluitium pro criſpante crine minitatur. Chriſtianas quoque fœminas in turpitudinis notam detondebant Ethnici: ſic Fauſta ab Euilaſio Idolorum Sacerdote decaluata, & ad turpitudinem raſa fuit 20. Septembris, vt ait Martyrolog. & Charitines quoque virgo apud Metaphraſt. qui diuinitùs ait illi fuiſſe capillos reſtitutos. Ne igitur hæc ignominia maneret fœminis pœnitentibus decurſo pœnitentiæ ſtadio non attondebantur, ſicut viri pœnitentes: idque ſapienter ſanciuit Concilium Toletan. 3.

At verò fœminæ, quæ ſolemnem ſtatum pœnitentiæ profitebantur, & quæ ſæculo renunciarant, capillorum etiam luxuriem lubenter ponebant ex Concilio Toletano 6. non fuit quidem ea attonſio ſolemnis vbique virginibus & fœminis, quæ ſe Deo dicabant, vti quampluribus, iiſque optimæ fidei teſtibus euicimus in noſtra ſcientia Canonica fuſiùs de virginis conſecratione diſputantes, quamuis ab ornatu capillorum perpetuò abſtinerent: alicubi tamen fuit ea abraſio deuotis fœminis vſurpata, vt ambitionem capillorum, ſic enim illam vocat Tertulli. lib. de Veland. Virginib. cap. 3. & Clem. Alexand. lib. 3. Pædag. cap. 3. τὴν ὑπερβολὴν τῆς κόμης, ſiue iubam ponerent. Inde factum, vt Euſtathius Sebaſtenus perſuaſerit quibuſdam mulierculis comam, atque adeo ſubiectionis notam ponere ſpecie pietatis, teſte Sozom. lib. 3. cap. 13. aduerſus quem Gangrenſis Synodus coacta canonem 17. edidit, vti ſapienter aduertunt Balſam. & Zonaras in ſcholiis, & Baronius in notis ad 20. Septemb. *Si qua mulier propter exiſtimatam pietatem,* διὰ τὴν νομιζομένην ἄσκησιν, *tondeat comam, quam Deus ei dedit ad memoriam ſubiectionis.* εἰς ὑπόμνησιν τῆς ὑποταγῆς, *& ſic præceptum ſubiectionis ſoluat, anathema ſit.* Quam definitionem ſequuti deinde videntur Valentinian. Theodoſius & Arcadius Imperatores reſcribentes ad Tatianum Præfectum Prætorio: mulieres enim, quæ profeſſionis inſtinctu crimen abſciderint, ab Eccleſia & ſacris Myſteriis arceri voluerint: & Epiſcopum, qui id permiſerit, gradu moueri l. 27. C. de Epiſcop. & Cleric. in Codice Theodoſiano. Athanaſius in vita S. Syncleticæ, quam periiſſe querebatur Baronius, & quam ex regia excuriali Bibliotheca à Dauide Coluillo erutam & latinam factam edidit Bollandus 5. Ianuarij narrat hanc virginem defunctis parentibus, & facultatibus ſuis in pauperes erogatis iuſſiſſe ſibi à quodam ſene comam præcidi. *Tunc autem primum dicitur*, inquit, Athanaſius *abieciſſe omnem* κόσμησιν, *hoc eſt mundum & compturam: nam in vſu erat apud mulieres, vt comam vocarent* κόσμον, *& cum comam ponerent, dicebantur poſuiſſe mundum & compturam. Erat autem præciſio illa comæ ſymbolum iam animum purum eſſe & expurgatum ab omnibus ſuperfluitatibus & excrementis, & tunc primum dignata eſt, vt ſolemni nomine vocaretur Virgo.* Quæ omnia maximè conueniunt iſtis fœminis pœnitentibus, de quibus agimus: cum enim caſtitatem profeſſæ fuiſſent, & coniugiis abſtinerent, & mundum omnem exuerent, non mirum, ſi comam quoque ponerent ex recepto alicubi more, qui etiam iam apud omnes poſterioribus ſæculis inualuit

ualuit in virginum conſecratione, grauiſſimas ob cauſas in noſtra ſcientia canonica adductas.

49. Sextò iſti pœnitentes monaſteriis includebantur, vnde ſi quando ad ſæculum redibant, ad illa reduci iubentur etiam inuiti à Toletan.6. c.7. vbi etiam donec ad dimiſſum ordinem reuertantur, excommunicati & anathemate condemnati habentur. Non dubitarim tamen aliquos in domibus priuatis pœnitentiam profeſſos fuiſſe eadem ratione, qua & virgines & viduæ, atque Sanctimoniales vitam religioſam domi ſuæ extra monaſteria inſtituebant, vti diſquiſitione prima fuit à nobis obſeruatum.

50. Septimò, diuerſa pœnitentiæ opera vſurpabant hi pœnitentes, ieiunia, humicubationes, aliáſque ſimiles corporis afflictationes: quod inſtituti pœnitentiæ ratio ſatis oſtendit.

Atque hactenus de pœnitentibus incluſis in monaſteriis vel ſponte ſua, vel per ſententiam Eccleſiaſticam ad illa detruſis.

Cap. III.

De Incluſis Lauritis & Celliotis.

EGimvs hactenus de his, qui in monaſteriis includebantur, pergo ad alteram incluſionis veluti ſpeciem in Lauris & Cellis.

§. I.

Quid eſſent Lauræ & quomodo à Cœnobiis differrent.

1. LAuram à Cœnobio diſtinguunt aliqui penes multitudinem perſonarum, quod in Lauris pauciores, in Cœnobio plures continerentur, cum è contrario recentiores quidam Græci Lauram eam eſſe velint, quæ contineret mille Monachos: Cœnobia, quæ aut pauciores, aut ſanè multò etiam plures millenos cenſerent: quæ omnia gratis & ſine veterum teſtimonio confinguntur. Nam Laura S.Euthymij, quæ nominatiſſimæ Lauræ Pharam non cedebat, quinquaginta tantũ Monachos continebat, vt Cyrillus Monachus in eius vita accuratiſſimè ſcripta, quam capitibus & numeris diſtinctam exhibet Bolland. 20. Ianuar. teſtatur num.45. Qui numerus deinde ſub S.Saba creuit, primùm ad ſeptuaginta, deinde ad centum quinquaginta, & deinceps quotidianis incrementis auctus eſt; non tamen vnquam aut millenarium attigit, aut propiùs ab illo abfuit. S. quoque Geraſimus, vt ibidem dicitur, ab eodem Cyrillo num. 89. maximam in Iordanis ſolitudine Lauram conſtruxit, quæ ſeptuaginta Anachoretas haberet. Lauræ igitur & Cœnobij diſcrimen in eo erat, quod vt affirmat idem Cyrillus in vita S. Sabæ in Cœnobiis viuerent, qui vitam communem exercebant; in Lauris verò, qui à cõgreſſione ſeparatam & quietam: vnicuique enim erat ſua cella ſeorſim ab aliis. De Laura ædificata ab Euthymio, Cyrillus ſic habet num.45. *Cœpitque proſpera, & fœlix eſſe Laura, & eius amplificari multitudo* (propter multiplicatæ annonæ miraculum, quod numer. 44. narratur ibidem) *& deductus eſt fratrum numerus ad quinquaginta, & vnicuique eorum fuit ædificata cella.* Et num.98. de Eudocia Auguſta, quæ cum ædificaſſet templum Principi Apoſtolorum ſacrum è regione Lau-

tæ S. Euthymij, & iuſſiſſet, ingentem quamdam ciſternam ad illius templi vſus ædificare, *cum aliquando veniſſet ad illam ſpectandam, videt Lauram S. Euthymij poſitam in media ſolitudine, & quemadmodum cellæ fratrum erant à ſe inuicem ſeiunctæ, & cum illud ſcripturæ apud ſe cogitaſſet, quàm pulchri ſunt pedes Iacob, Tabernacula Iſrael.* Geraſimus magnus & ipſe Monachorum parens ab Eutychiana hæreſi ad verã fidem ab Euthymio traductus maximam Lauram in Iordanis ſolitudine, vti iam diximus conſtruxit, quæ ſeptuaginta Anachoretas contineret. Cœnobium verò in medio eius collocauit. Denique quando Laura Euthymij diuino iuſſu mutata eſt in Cœnobium, deſtructæ ſunt cellæ Monachorum, vti Cyrillus in vita S. Euthymij num. 113. fuſiùs explicat. Vides itaque Lauram fuiſſe deſtinatam Anachoretis, qui in ſeiunctis cellis ſinguli degebant, quæ cellæ tum Lauræ dicerentur, tum ipſe quoque locus, qui ſuo ſinu omnes illas Lauras continebat, Laura nominabatur: quod poſtremum liquet ex iis, quæ modò retulimus ex Cyrillo Monacho. Prius verò illud ex Suida, λαύρα ἡ στένη κατοικία τῶ μοναχῶν. Laura eſt anguſta Monachorum domus: ſic monaſterium pro cella vnius Monachi ſumitur à Ruffin. cap. 23. ait enim ſe vidiſſe Ammonium inter celliotas habentem monaſterium muro circumdatum, quod venienti fratri ceſſit; ipſe verò ſibi aliam cellam conſtruxit: quare in ea ſignificatione Laura non differt à cella, niſi dicas cellã fuiſſe cuiuſlibet Monachi Anachoretæ, ſiue ſolitarij domũ Lauram etiam ſignificare locum ipſum, qui eas omnes diuerſas cellas, & ſingulares domos, aut caſas continebat.

Qui etiam locus cellia dictus fuit, 2.
ſic Sozomen. lib. 6. hiſtor. cap. 31. de loco, qui à Nitria aberat ſeptuaginta ſtadia, & Cellia nominabatur, quod in eo cellæ Monachorum ſparſæ eſſent, quæ ita inter ſe diſtabant, vt Monachi ſeipſos nec videre, neque audire poſſent: quæ eadem habet Nicephor. lib. 11. cap. 38. & Caſſian. collat. 6. agens de Theodoro, qui morabatur in celliis: qui locus, inquit, inter Nitriam & Scytham ſitus eſt. Ruffin. cap. 22. lib. 2. de vitis Patrum illum locum poſt Nitricæ monaſterium deſcribens, ait eſſe in deſerto interiori, & pro multitudine cellàrum in eremo diſperſarum & longiùs à ſe diſiunctarum cellia nominatum, in quem qui prius in monaſterio fuerant imbuti, ſecederent ad vitam ſecretiorem ducendam, quibus non abſimilia tradit Pallud. c. 69. Caſſian. lib. 4. Inſtitut. cap. 36. agens de Anachoretis: *Huius propoſiti viros*, inquit, *comperientes circa Nili fluminis alueum commorari in loco, qui vno latere, eodem flumine, alio maris vaſtitate circundatus inſulam reddit, nullis aliis, quàm Monachis ſecreta petentibus habitabilem, nec enim cuiquam culturæ aptam eſſe, eam ſalſitas ſoli, ac ſterilitas patitur arenarum.* In ea itaque inſula Anachoretæ cellulis ſeiuncti degebant, vti patet ex facto Archebij viri inter illos probatiſſimi & humaniſſimi: quod ſubiunxit Caſſianus cap. 37. qui ſuam cellam cum omnibus inſtrumentis aduenientibus fratribus cedere ſolitus erat, fingens ſe aliò commigrare velle, & aliam ſibi deinde conſtruebat charitatis mendacio, vt loquitur Caſſianus, fratribus circumuentis. Simile aliquid refert Palladius in Lauſiaca cap. 1. de quodam Dorotheo, qui cellas continuò conſtruens

eas cedebat eis, qui non poterant ædificare, ſingulis annis cellam faciens: ipſe verò iam ſexageſimum annum habebat in ſpelunca. De Ammonio, qui nouas hoſpitibus cellas parabat, narrant quoque Ruffinus lib. 2. de vitis Patrum cap. 23. & Pallad. cap. 70.

Et quid ſi lubeat huius inſtituti originem altius repetere ab ipſis filiis Prophetarum: audi enim Eucherium de fuga ſæculi ad Hilarium: *Filij quoque Prophetarum relictis vrbibus expetebant gemino defluentem fonte Iordanem, extruebántque in abditis tabernacula remoto inuicem torrenti excubabat cohors ſecreti fluminis ripis, velut quibuſdam ſparſa tentoriis,* &c. Simile quid habemus vſurpatum in Galliis. Nam S. Maximus Cadurcis natus an. Chriſti 583. ex nobiliſſima familia, & deinde Abbas Vienenſis & Martyr, dum ad nuptias vitandas fugeret cum ſocio in Eremum, *inuenit locum ſuperfluentum Olio loco vocato ſubtus Rocca, habens in circuitu eius ſolitarios in ſingulis cellis ſuis ſeruientes Domino*, vbi & ipſe paruum domicilium inſtruxit. Ita illius acta ex M.S. Codice Treuirenſi in lucem data à Bollando 2. Ianuar. ſed illuſtrius, atque antiquius multò eſt, quod de Lerino inſula teſtatur Eucherius in opuſculo de laude Eremi ad Hilarium numer. 26. *Hæc*, inquit, *nunc habet ſanctos Senes illos, qui diuiſis cellulis Ægyptios patres Galliis noſtris intulerunt.* Floruit autem Lugduni Epiſcopus an. 435. ex Sigeberto & ſubſcripſit Concilio primo Arauſicano an. 441. ante ipſum vero diutius cultam fuiſſe Lerinum certum eſt ex ipſomet Eucherio: & ſanè Honoratus, qui primus illam incoluit, ſuffectus eſt in locum Patrocli Arelatenſis an. 426.

An verò eſſet aliqua differentia inter Cellia & Lauram non ſatis liquet; videtur tamen mihi in eo fuiſſe, quod in Celliis cellæ eſſent plurimæ inter ſe diſiunctæ, tertio videlicet, aut quarto lapide, vti etiam innuit Pallad. cap. 69. Et ideò in vaſtiſſima Eremo veluti diſſeminatæ. At verò Laura locus aliquis erat ſiue ſepto, ſiue muro, aut foſſa concluſus, intra quem Cellæ & Lauræ ſingulorum Monachorum erant, quæ proinde non poterant tanto interuallo ab inuicem diſtare, quanto in celliis diſtabant: id mihi neceſſario colligere videor ex Cyrillo in vita S. Euthymij. Cum enim ille ſanctus pertæſus curæ monaſteriorum & Aſceteriorum ſibi ab Epiſcopo Mitilenes, à quo ad ſacerdotium fuerat promotus impoſitæ, veniſſet Hieroſolymam, & Patres in ſolitudine conueniſſet, eorúmque inſtituta didiciſſet, ad nominatiſſimam Lauram Pharam peruenit, cuius meminit quoque tum idem Cyrillus num. 12. 41. 119. & 154. tum Ioannes Moſchus in prato ſpirituali cap. 40. 41. 42. & 139. diſtabat illa ſex millibus ab Hieroſolymis verſus Orientem via Hiericuntina. Cum itaque ad illam perueniſſet Euthymius, inuenit extra Lauram quandam cellam valde ad quietem & ſilentium commodam, in eáque habitauit quinque annos, vt conſtat ex num. 12. Laura igitur Pharan clauſa erat, cum extra illam aliquæ cellæ reperirentur, alioquin cellæ vicinæ in eadem eremo non dicerentur eſſe extra Lauram, ſicut neque extra cellia dicebantur poſitæ, quæ in tota illa ſolitudine Nittienſi monaſterio vicina conſtruebantur, quamuis inuicem plurimum diſtarent. 3.

Vnde verò Lauræ nomen fuerit deriua 4.

deriuatum, non alibi reperias, quàm in vita S. Quiriaci 29. Septembris: eillius enim author deducit à fluuio Laura, qui regioni, quam alluit & monaſteriis in ea extructis nomen dederit: *Diuinus*, inquit, *Quiriacus venit in eam partem ſolitudinis, in qua nullus Anachoreta nec manſerat, nec vnquam tranſierat: nominabatur autem locus ab acolis Huſacim, & in eo & noua Laura, & Succa fluuij ambo conueniunt, eorum, quos ſcimus, maximi & profundiſſimi: feruntur autem ij eſſe, de quibus Chriſto dictum eſt à Dauide: tu ſiccaſti fluuios Ethan.* De hoc loco Dauidis vide Iſidor. Peluſiotam lib. 2. Epiſt. 66.

5. Lauris ſua erant oſtia, quibus excludebantur mulieres: quod tradit Cyrillus in vita S. Euthymij n. 147. & in vita quoque Ioannis Silentiarij: quod de mandra quoque Simeonis Stylitæ dicitur in eius vita.

6. Tertiò, in ſingulis lauris ſua erat ſacra ædes, ſiue oratorium, in quo etiam diuinum ſacrificium agebatur. Euthymius enim vbi plurimos diſcipulos diuino iuſſu præter quam quod ſtatuerat, recepiſſet, Petrum Epiſcopum Saracenorum in Palæſtina hortatus eſt, vt eis paruas cellas conſtrueret, & templum ſcitè ordinaret, & ſic breui Lauram, quæ Pharanita inferior non eſſet, conſtruxit, vt teſtatur Cyrillus n. 41. num. verò 42. addit Iuuenalem Patriarcham Hieroſolymitanum vnà cum Paſſarione Coëpiſcopo, & Heſichio Presbytero ad Lauram acceſſiſſe, & ibi templum dedicaſſe anno 50. ætatis Euthymij. Petrus verò ille Epiſcopus, cuius modò memineramus, qui Lauram conſtruxit, Aſpebetus fuit Pater Terebonis Agatenorum Dux, qui ad fidem ab Euthymio propter eius filium Terebonē ſanctum diuina vi conuerſus, & vnà cum ſuis baptizatus fuerat: & cum vidiſſet Euthymium in ſolitudine extra monaſterium ſedentem, & domo carentem, vt aliquam accepti beneficij gratiam referret ciſternam habentem duo oſtia, & officinam ad panes coquendos, & tres cellas excitauit, atque inter ipſas Oratorium num. 37. vt videas etiam in exigua eiuſmodi Laura fuiſſe oratorium ex antiquo ritu. Nam idem Euthymius cum ad famam nominis ſui, & importunam ſe adeuntium hominum multitudinem propter ſanctum Terebonem, vitandam abiiſſet, in ſolitudinem Ruban, vnà cum Domitiano diſcipulo iuxta mare mortuum conſcendit montem Marda, de quo Moſchus in prato ſpirituali cap. 158. vbi reperto puteo, & ædificiorum fundamentis templum excitauit & altare erexit, quod etiam ætate Cyrilli, qui hæc ſcribebat, extabat, & ibi aliquandiu herbis vitam traduxit num. 28. Vbi verò agit Cyrillus de amplificata Laura num. 45. *Vnicuique*, inquit, *fuit ædificata cella, & quotidie ſacra peragebantur myſteria.* Non alibi ſanè, quàm in ipſa Laura, in qua templum, aut oratorium ad id deſtinatum foret: neque alibi, quàm in eo templo vnà cum ſuis Monachis in preces effuſus largiſſimum imbrem cœlo elicuit, vt votis immenſæ multitudinis, quæ ſiccitate & ſterilitate vexata ad eum in Lauram confluxerat, ſatisfaceret, vti narrat idem Cyrillus num. 69. num. verò 78. refert, quomodo Euthymius incruentum ſacrificium in Laura offerens, igne cœleſti dum triſagion occinebatur circumfuſus fuerit, *à Ruban ad Lauram redit magnus Euthymius, & aliquando quidem vno Sabbathorum Deo incruentum obtulit ſacrificium;*

Domi

Domitianus autem adſtabat ad dexteram cum myſtico illo ventilabro. (Diaconus quippè erat; illum enim vnà cum Domino ordinatum fuiſſe à Iuuenale Hieroſolymorum Patriarcha, vbi templum Lauræ dedicauit, dixerat num. 42.) *Cum verò iam eſſet concinendum triſagion, Terebonque Saracenus & Chryſippi frater Gabrielis alter quidem propè; alter verò ſtans ante aram vident ignem, velut in quodam diffuſum linteo deſuper deſcendentem, quin etiam ipſum magnum Euthymium & cum eo Domitianum intus complexum ſic circa ipſos permanſiſſe ab initio triſagij vſque ad completum ſacrum miniſterium.* Terebonem autem ait metu correptum ab ara receſſiſſe, & non amplius temerè eſſe ingreſſum in adyta, ſed in templi conſtitiſſe veſtibulo. Hæc ſe accepiſſe ait Cyrillus à Cyriaco Anachoreta, qui ab ipſo Terebone & Gabriëlio audierat. Denique num. 117. deſcribit quomodo Pheadius Diaconus diuino iuſſu Lauram in Cœnobium commutarit: vetus enim templum attribuit fratribus in cœnaculum, & aliud templum ædificauit: quæ vel ex vno Cyrillo integertimæ fidei ſcriptore excerpta, ne alios harum rerum tractatores percurram, ſufficiant ad docendum, & oratoria in iſtis Lauris fuiſſe, & in illis quoque ſacra myſteria peracta fuiſſe: & nugas illas, quas etiam retulimus diſquiſit. 1. cap. 2. de obligatione Monachorum adeundi parœcias ad myſteria percipienda ridendas eſſe.

7. Quartò Lauræ conſtruebantur in ſolitudine & Eremo vt de nominatiſſima Laura Pharam, S. Sabæ, ſancti Geraſimi, S. Euthymij de inſula Nitrienſi, de celliis & aliis eiuſmodi conſtat. Cum enim in illis habitarent Anachoretæ ab vrbibus & oppidis in loca remota ſecedebant, & ſolitudines implebant, cuius rei obuia teſtimonia paſſim in vitis Patrum occurrent.

Quintò Lauræ vicinæ ferè erant 8.
Cœnobiis: Geraſimus in medio Lauræ ſuæ Cœnobium conſtruxit ex Cyrillo in vita Euthymij numer. 89. Laura Euthymij non aberat à Cœnobio Theociſti, immò vbi noua aliqua vel Laura, vel domus, & cella ad ſeceſſum ædificabatur à magnis illis viris, ſtatim diſcipulis, qui fama ſanctitatis exciti ad eos confluebant, monaſterium in eodem aut vicino loco erigebant, vt in actis Euthymij, Theodoſij Cœnobiarchæ, Simeonis Stylitæ, aliorúmque ſimilium facile fuerit obſeruare. Cyrill. in vita S. Sabæ: *Theodoſius iam receſſerat ab Eccleſia Cathymatis, & in parte Lauræ, quæ vergit ad Occidentem, conſtituerat monaſterium, quod vitæ communiter degendæ conueniebat diſtans à Laura trigintaquinque ſtadiis.* Id eſt, quatuor ferè paſſuum millibus. Huius celeberrimi Cœnobij locus diuinitùs Theodoſio monſtratus fuit, vt in eius vita ab authore anonymo ipſi ſynchrono, non Cyrillo, vti malè ſuſpicabatur Baronius anno Chriſti 491. num. 14. & an. 511. numer. 21. ſcripta ex fide Græci M. S. Codicis Bibliothecæ Vaticanæ à Bollando 11. Ianuarij edita dicitur numer. 26. nam frigidis carbonibus thuribulo impoſitis ſolitudinem percurrit, & cum in ſpeluncam tandem ſuam rediret, vbi propius ab ipſa abfuit, diuinitùs ſucceſi ſunt carbones, qui locum ædificandi monaſterij prodiderunt. Sozomenus. lib. 6. cap. 31. de Nitrienſibus Monachis agẽs ait fuiſſe quinquaginta circiter monaſteria contigua,

gua, quorum pars erat ſimul degentium; alia ſeparatim ab aliis viuentium, *μοναςήρια, τὰ μὲν συνοίκων τὰ δὲ καθ' ἑαυτὲς οἰκέντων*. Lerinus nec habebat cellulas.

Hæc porrò Laurarum & monaſteriorum vicinitas ſapienter inſtituta eſt ex mente S. Baſilij, vt vita ſolitaria & communis ac ſocietate gaudens, quæ plurimum inter ſe diſſident, placidè conciliarentur & permiſcerentur, neutráque omnino vel commoda, vel incommoda ſua pura & impermixta haberet vti obſeruauit Nazianzenus orat 20. in laudem Baſilij, dum ait: *Qui idcirco pietatis gymnaſia & monaſteria erexit non longo interuallo ab ijs, qui in ſodalitio viuunt remota, nec velut muro quodam interiecto ea diſtinguens, atque à ſe inuicem ſeparans; verùm propè coniungens ac dirimens; vt nec contemplatio communicationis expers eſſet, nec actio contemplatione careret; ſed quemadmodum terra & mare; ita etiam hæ duæ vitæ commoda ſua inter ſe communicantes, ad vnicam Dei gloriam concurrerent.* Quare iſti Lauritæ tum Anachoreticam, tum Cœnobiticam vitam communicabant & veluti in confinio ipſarum poſiti erant. Vnde S. Auguſtin. lib. 1. de morib. Eccleſiaſt. cap. 31. inter Cœnobitas numerat: alij verò ſolitariis adſcribunt: quæ omnia ex ipſorum legibus & inſtitutis faciliùs definientur.

§. II.

Ratio viuendi Lauritarum & celliotarum.

9. IN primis vnius Patris, aut Abbatis imperiis ſuberant, & ſub eius inſtituebantur diſciplina: quod affirmat S. Sulpitius Dialog. 1. cap. 4. & 5. & ex vita S. Euthymij, S. Sabæ, Geraſimi, & aliorum oſtenditur. Nam Euthymium ſuæ Lauræ præfuiſſe, quis dubitet. S. verò Sabam, *ijs qui cum nullo congrediebantur, & erant inuicem ſeparati.* Theodoſium autem Cœnobitis, *& communiter viuentibus* præfectum fuiſſe à Salluſtio Patriarcha Hieroſolymitano, amotis Anaſtaſio quodã & Lazaro, & qui ipſis ſucceſſerat Marciano, qui paruam, aut nullam monaſticæ perfectionis curam gerebant, tradit Cyrillus Monachus in vita S. Sabæ, qui etiam in vita Euthymij num. 89. deſcribit inſignem Geraſimum iura præſcribentem tum Lauritis, tum Cœnobitis ſuis. Monachi Lerinenſes ſiue in cellulis, ſiue in Cœnobio degerent, vni eidémque ſuberant Patri, vt videbis apud Eucherium opuſcul. de laude Eremi ad Hilarium, vbi num. 26. *Digna, quæ Honorato authore fundata ſit, quæ tantis inſtitutis tantum nacta ſit Patrem, Apoſtolici ſpiritus vigore & vultus honore radiantem, digna, quæ illum ſuſcipiens ita emitteret, digna, quæ præſtantiſſimos alat Monachos & ambiendos proferat ſacerdotes. Hæc nunc ſucceſſorem eius tenet Maximum nomine clarum, quia poſt ipſum meruit adſciri.* Et non aliter ſanè intelligendum eſt quod aliquando legitur vnum eundémque pluribus Monachorum millibus præfuiſſe. Neque enim illi includebantur Cœnobio, ſed in ampliſſima ſolitudine diſpergebantur, ſiue in Cœnobiis viuerent, ſiue in ſeparatis cellis. Sic Tabéna inſula velut quoddam grande monaſterium erat in viginti quatuor turmas diſtinctum ad litterarum Græcarum numerum, & appellationem; atque etiam ſignificationem

aliquam. Singulis præerant præpoſiti, ſiue Archimandritæ, quos Pachomius in Epiſtola ad ipſos ſcripta, cuius meminit Gennadius de ſcriptorib. Eccleſ. cap. 7. ſuos collegas vocat: illi ſingulis quidem inuigilabant, & priuatas collectas, de quibus ſtatum habebant; omnia verò ad monaſterij Principem, ſiue Abbatem referebant, neque eo inconſulto pœnitentiam vllam imponere poterant, vti monuiſſe me memini diſquiſitione ſuperiori, cum de Monachorum pœnis diſputarem. Omnibus itaque præerat Pachomius, & qui deinde ipſi ſucceſſit Petronius, cui ſuffectus fuit tertio loco Orſieſis, à quo egregium tractatum de inſtitutionibus Monaſticis habemus. Hic monaſterij princeps ſingulos Archimandritas interrogabat de iis, qui ſub eius cura viuebant: ſingula interdum cœnobia, ſiue potius ſingulas domos viſitabat: quod de Pachomio legimus in eius vita cap. 22. vbi de diſtinctione turmarum viginti quatuor, & quomodo Archimandritas interrogaret in viſitatione monaſteriorum cap. 43. vbi cum in eius occurſum venirent Monachi, vnúſque infantulus queſtus eſſet, ex quo aliàs Pachomius à monaſterio receſſerat, ſibi non fuiſſe cocta olera: Pachomius coquum, qui prætextu abſtinentiæ fratrum, ſuum munus neglexerat, & ne interea tempus perderet, Pſiathos, ſiue tegetes quingentos confecerat, acriter increpitum, ſuos omnes Pſiathos in medium afferre iuſſit, illóſque flammis dedit, & cap. 47. de viſitatione monaſterij Tabennenſis, cui præerat Theodorus, vbi ſilentij violationem, quam etiam abſens diuinitus cognouerat, vehementiùs arguit: & cum ipſemet Pſiathos vnà cum fratribus texeret, à puerulo modum texendi magno humilis animi exemplo doceri ſe paſſus eſt. Eadem Euthymius cum Lauram ſuam luſtraret, ſicut & Sabas ac Geraſimus, aliique, qui illis præerant, quod ad promouendum, & ſtudium perfectionis in ſingulis excitandum præſtabant. Neque enim alia de cauſa vnius Præſidis imperiis ſe ſubmiſerant. Sic Ruffinus cap. 21. Hiſtor. Patrum, ait in Nitria fuiſſe quinquaginta ſibi vicina, & ſub vno poſito patre tabernacula, (μοναστήρια dixit Sozomenus lib. 6. cap. 31.) in quibus aliqui plures ſimul, alij pauci, nonnulli ſingulares habitarent, & manſione quidem aliqui diuiſi: animo autem & fide, & charitate coniuncti, & inſeparabiles manerent, capite ſequenti agit de celliis, ad quæ ex priori illo monaſterio tranſibant, vt ſtatim dicam; ſed omnes ſub eodem patre vixiſſe certum eſt.

10. Illius etiam Præpoſiti, ſiue Abbatis cura erat omnium iſtorum Anachoretarum neceſſitatibus prouidere, quod diſertè tradit Sulpitius Dialog. 1. cap. 4. & 5. vbi & cibos illis, qui in ſolitudinem ſe receperant ab Abbate ſubminiſtratos & miſſos fuiſſe narrat: quod etiam cap. 1. retulimus: idcirco gnauum & prouidum Lauræ œconomũ creabat Abbas. Inde factum, vt cum quadringenti Armeni aliquando à ſancta Ciuitate ad Iordanem deſcenderent, & fœlici errore ad Euthymij Lauram diuertiſſent, eóſque Domitianus Lauræ œconomus egeſtatẽ cauſatus, vt cui non eſſet, vnde fratres ne per vnum quidem diem aleret, ægerrimè exciperet, Euthymij precibus domum tanta panum multitudine repletam reperit, vt ne quidem oſtium ſolus aperire potuerit: quæ narrat Cyrillus in vita Euthymij num. 43. cui

ſubiicit

ſubiicit & aliud de Auxentio quodam, qui cum mulionem agere iuſſus eſſet ab eodem œconomo ad conuehenda Lauræ neceſſaria, & ne ab ipſo quidem Euthymio id ſibi perſuaderi paſſus eſſet, in pœnam recuſati muneris graui de repente morbo perculſus eſt, & eiuſdem Euthymij precibus ſanatus ſuo damno obedientiam didicit. Fuit & eiuſdem Lauræ œconomus Chryſippus, quem de aduentu Anaſtaſij Coëpiſcopi, & ſociorum admonuit Euthymius, qui illum præuiderat. Quæ itaque neceſſaria erant, ad vitæ ſuſtentationem curabat iſtis Lauritis, & celliotis Præpoſitus per œconomos, ita tamen, vt ſinguli quique pro more recepto victum ſibi pararent, atque etiam ſibi quærerent. Lauritæ S. Geraſimi: *Laborem manuum ſuarum, qui per hebdomadam ab eis factus fuerat, Sabbatho ferebant in cœnobium,* (quod in medio Lauræ collocatum fuiſſe diximus) *circa veſperam Dominicæ hebdomadæ ſumptus rurſum accipiebant, panes, inquam, & dactylos, & aquam in vaſe aliquo, & palmas rurſus redibant in cellam.* Accipiebant igitur iſti Lauritæ à cœnobij œconomo victum in hebdomadam ex Cyrillo in vita Euthymij num. 90.

11. Secundò ſinguli & ſolitarij viuebant in ſuis cellis: nam & cellulas tanto inter ſe ſpatio diremptas fuiſſe in celliis referebamus ex Ruffino cap. 22. *Vt neque in conſpectu ſibi inuicem, neque in auditu vocis eſſent poſitæ.* Quod idem affirmat Palladius cap. 69. *Vt & nullus,* inquit, *poſſit procul agnoſci ab altero, neque citò videri, neque vox audiri.* Quibus addit: *Degunt in multa quiete vnuſquiſque per ſe incluſus. Ita vt non niſi in Eccleſiis, & in ſynaxi ſe videant.* Ruffinus verò cap. 22. cit. *Singuli per cellulas commanent, ſilentium ingens & quies magna inter eos: die tantum Sabbati & Dominica in vnum ad Eccleſiam coëunt, & ibi ſemetipſos inuicem tanquam cælo redditos vident.* Nũquam porrò alterius cellam inuiſunt, niſi duplici ex cauſa, prima eſt ægri viſitandi & ſubleuandi cauſa: vbi enim aliquem à conuentu & ſynaxi abeſſe vident, illum *inæqualitate aliqua corporis detentum* ſuſpicantur, & ipſum omnes viſitant, non tamen ſimul, ſed ſuis ſinguli temporibus, & quæ leuando ægro faciunt, conferunt. Altera cauſa eſt, vt illos verbo inſtruerent, & velut athletas in agone poſitos ſermonis conſolatione perurgere poſſent. Extra hos caſus nullus audet proximi ſui interturbare ſilentium. Geraſimus eos, qui in cellis erant, ſub hac iubebat viuere regula, vt quinque dies hebdomadæ vnuſquiſque in ſua cella ſileret. Cyrillus in vita Euthymij num. 89. Ab hoc ſilentio & quiete iſtos in cellis habitantes ἡ συχαςὰς vocauit Iuſtinian. Nouella 5. & 133. quam vocem olim vſurparet Baſil. in Regulis Breu. art. 33. vbi priuat benedictione illum, qui loqui inuentus fuerit in cellis præter eos qui in illis ſecum commorantur & quieſcunt εἰς τὰ κέλλια ἐκτὸς τῶν ἐνικέντων, ἢ τῶν ἡσυχαςῶν.

Sabbatho & Dominica conueniebant in Eccleſiam ad ſynaxim, & collectam. Ita Ruffin. Pallad. & Cyrill. locis ſuperiùs adductis. In ea ſynaxi fiebant orationes: modum autem deſcribit Caſſian. lib. 2. inſtitut. cap. 10. & 11. de Ægyptiorum Monachorum moribus agens, tanto ſilentio agebatur, vt nemo præter illum, qui Pſalmum canebat, audiretur: & ſanè qui tunc ſilentij legem 13.

 frange

frangerent, per ſeptem dies cunctis intrantibus & exeuntibus proſterni ante fores Eccleſiæ iubentur, apud Climach. 4. gradu ſcalæ. Pachomius verò eiuſmodi loquacem ſoluere cingulum & inclinata ceruice, manibus ad inferiora depreſſis, ſtare ante altare, atque à Principe Monaſterij increpari voluit, idémque denuò præſtare in conuentu fratrum, cum ad conueſcendum conuenirent.

Claudebatur oratio à ſacerdote vt cap. 10. citato obſeruat Caſſianus, quam orationem dictam collectam vult Microlog. cap. 3. obſeruat. Eccleſ. eo quod Sacerdos, qui apud Dominum legatione fungitur, omnium petitiones colligat, quamquam addat ex vſu Romano collectam appellari eam orationem, quæ fit ſuper collectam populi, dum colligitur, vt procedat de vna Eccleſia ad aliam ad faciendam ſtationem. Indę ipſa populi congregatio & conuentus collecta nominatur.

14. Habebantur præterea in collecta iſta, ſiue ſynaxi cohortationes, lectiones & collationes, ſiue diſputationes: ſic enim iubet Pachomius art. 7. Regulæ: *Mane per ſingulas domos, finitis orationibus non ſtatim ad cellas ſuas reuertentur, ſed conferent inter ſe, quæ Præpoſitos audierint diſputantes: Diſputatio autem à Præpoſitis domorum per ſingulas hebdomadas tertiò fiet.* Hieronym. Epiſtol. 22. *Poſt horam nonam in commune concurritur, Pſalmi reſonant, ſcripturæ recitantur ex more & completis orationibus, cunctiſque reſidentibus, medius, quem patrem vocant, incipit diſputare*, &c. Poſthæc *concilium ſoluitur.* Similia habet Auguſt. lib. 1. de moribus Eccleſ. cap. 31. aitque conuenire ad ſingulos Patres ternâ vt minimum hominum millia. Idem omnino factum ait in ſynaxi iſtorum Lauritarum nemini dubium eſſe poteſt.

In eadem quoque ſynaxi & congregatione, ſiue collecta impoſitas fuiſſe pœnitentias pro culpis admiſſis liquet ex omnibus, quæ de impoſitione pœnarum diſputauimus diſquiſitione ſuperiori cap. 4. §. 3. vbi diximus neque inconſulto Abbate, neque alibi, quàm in congregatione fuiſſe inflictas.

Denique celebrabatur ſacrificium & ſacris Myſteriis participabatur à fratribus, eáque tunc nominabatur maior ſynaxis, ad quam videlicet omnes vndique confluerent, cum aliæ minores, & veluti priuatæ collectæ forent, ad quas ſingulæ turmæ concurrerent, vt de Tabennenſibus ſuperiùs referebamus in vita Pachomij cap. 24. *Cum ſolemnitas ex more depoſceret, vt myſteriorum cæleſtium participes fierent, ex proximis viculis Presbyteros conuocabant, qui eis feſtiuitatem lætitiæ ſpiritualis implerent: non enim patiebatur idem ſenex*, Pachomius, *inter eos eſſe quempiam, qui clericatus officio fungeretur.* Ex quibus vides non niſi in ſolemnitatibus quibuſdam Pachomij Monachos cæleſtium participes myſteriorum factos fuiſſe: Lauritæ tamen Geraſimi ſingulis Dominicis ea capiebant. Ait enim Cyrill. in vita Euthymij num. 89. illos quinque dies hebdomadæ in ſua cella ſiluiſſe, nihilque guſtaſſe, quod eſſet eſculentum, niſi panem & aquam & dactylos; Sabbatho autem & Dominica venientes in Eccleſiam cum participarent ſanctificata, coctis vſos eſſe in Cœnobio, & ſumpſiſſe parum vini. Vnde colligo ſingulis dominicis iſtos participaſſe ſanctificata: Deinde tum qui in Cœnobio, tum qui

qui in cellis manebant, ſimul in Eccleſiam conueniſſe, quæ erat magna ſynaxis: & denique iſtos etiam Celliotas eo die in Cœnobio cibum ſumpſiſſe, illúmque coctum. Nam addit Cyrill. in cella nulli permiſſum fuiſſe ignem accendere, aut coctum guſtare. Vides quoque peculiare fuiſſe illud Pachomij inſtitutum, vt inter ſuos Monachos nullum pateretur ad clericatum promoueri. Nam quis dicat ſingulis Dominicis euocatos fuiſſe è vicinis oppidis in ſuam Lauram & ſolitudinem, vt illic ſeptuaginta Anachoretis ſacra miniſtrarent? Ipſe ſanè Euthymius & initiatus ſacris erat, & plures è ſuis à Iuuenale Hieroſolymitano Patriarcha initiari paſſus eſt, vt dicitur in eius vita num.42. habes quoque ex Caſſiano apud Ægyptios ſacerdotem ſemper oratione concluſiſſe ſynaxim, quæ fiebat etiam quotidie. Neque ſanè ille Sacerdos aliunde accerſebatur, quàm ex ipſo Monachorum cœtu, & ſæpiùs Patres, ſiue abbates Monachorum erant ſacerdotes, vt colliges ex eodem Caſſiano collat. 4. cap. 1. & collat. 18. cap. 15. de ſolitudinis ſcythioticæ Presbytero, & eius Diacono Daniele, de Comprete Presbytero, qui monaſteriũ in Eremo haberet Ruffin. lib. 2. de vitis Patrum cap. 9. & Pallad. cap. 54. de Macario Alexandrino Presbytero cellarum. Pallad. cap. 19. Id tamen perpetuum non fuit, quod de Dauide, qui præerat monaſteriis, obſeruat Theodoret. cap. 4. Philot. in Euſebio. Narrat Palladius cap. 59. de Helleno, qui cum reperiſſet quoſdam Monachos die Dominica defectu Presbyteri, qui flumen tranſmittere non poterat, non celebraſſe ſynaxim, Crocodilo vectus ſtupentibus omnibus fluuium tranſmiſit ad quærendum Presbyterum; qui tamen timore coërcitus tali cymba vehi noluit. Eadem referunt Sozom. lib.6.c.28. Caſſiodor. lib.8. cap.50. Nicephor. lib.11. c.34. Ruffin. lib.2. de vitis Patrum cap.11. Inde tamen habes in eiuſmodi ſynaxibus celebratum fuiſſe ſacrificium, alioquin cur ſine Presbytero haberi non potuiſſent.

Quartò Monachi Geraſimi cum ad ſynaxim Sabbatho properabant, 16.
quidquid per hebdomadam manibus ſuis laborarant, in Cœnobium deferebant, & exeuntes ſuas cellas relinquebant apertas, vt ſe nihil proprium habere ſignificarent. Cyrill. in vita Euthymij n. 90. 91.

Quintò in cellis ſuis vitam aſperam admodum & duram degebant: 17.
illis non erat ſecundus amictus, ſtratum ſtaurea; veſtis centaunium & embrymium, de quo vide Caſſian. collat. 1. cap. 23. ſunt enim embrymia groſſiores papyri in longos graciléſque faſciculos coaptatæ, quæ & ſedem fratribus in ſynaxi, & dormientibus ceruical ſuppeditent. De nominis Ethymo plurima nugantur aliqui, & vocem germanicam eſſe volunt; ſed qua ratione tranſuolarit ad Ægyptios non docent. Redeo ad iſtorum Anachoretarum ſuppellectilem, quæ tota erat vas fictile ad aquam, quæ & potui & irrigandis palmis ſufficeret. Cum quidam ex Anachoretis à Geraſimo petiiſſent, vt liceret eis aquam calefacere, coctum aliquid ſumere & ad lucernam legere: Reſpondit Geraſimus ſatius fore, ſi viuerent in Cœnobiis: ſe enim has delicias nunquam Anachoretis conceſſurum, Cyrill. ibidem num.91.

Sextò diuerſæ quidem erant eiuſ- 18.
modi Lauritarum leges & inſtituta in

in vniuerſum tamen omnibus communis erat vitæ aſperitas, ſolitudo & ſilentium in cellis, niſi vbi ad ſynaxim certis diebus conueniebant. Baſilius ſuas conſtitutiones monaſticas, tum ſolitariis & Anachoretis, tum Cœnobitis ſcripſit & primam partem prioribus illis tradidit; poſterioribus verò alteram, vt ipſemet fatetur cap. 19.

19. Septimò communi more receptum erat, vt primum Monachi admitterentur in cœnobio, & deinde, vbi iam prouecti erant, ad Lauram migrarent. Audi Cyrill. de Geraſimo, poſt Lauram in Iordanis ſolitudine excitatam, & cœnobium in eius medio collocatum, vti monuimus, *curabat, vt qui introducebantur quidem Monachi, manerent in cœnobio, & vitam monaſticam exercerent; qui autem crebris & longis ſe laboribus exercuerant, & ad perfectionis menſuras iam peruenerant: eos in ijs, quæ vocantur, cellis collocans ſub certa eâque rigida regula,* quam deſcripſimus, *viuere iubebat.* Nitrienſes quoque Monachi non tranſibant ad cellia & vitam illam ſecretiorem, niſi prius monaſterio fuiſſent imbuti, & inibi veluti initio ſuas ſordes eluiſſent: quod obſeruat quoque Ruffinus lib. 2. de vitis Patrum cap. 21. & 22. Ideóque S. Euthymius Sabam adoleſcentem, cuius eximiam ſanctitatem prædixerat, miſit ad monaſterium S. Theoctiſti, & S. Quiriacum ad monaſterium S. Geraſimi, quod inſtitutum deinde ſeruauit magnus ipſe Sabas: nam iuuenes ablegabat ad monaſterium ſancti Theodoſij, vt in vita Theodoſij dicitur num. 22. Et ſanè Theodoſius primò ſe in cœnobium abdidit, vt ibid. narratur n. 6. & deinde in ſpeluncam ſeceſſit, num. 10. quod idem de Simeone ſtylita, antequam columnam aſcenderet, & ſecederet, factum eſt, quin immò è monaſterio eiectus eſt, quod eius auſteram vitam molliores alij Monachi ferre non poſſent, vti in eius actis ab Antonio ipſius diſcipulo conſcriptis fuſè narratur: huc denique pertinent quæ de vita cœnobitica, & anachoreticæ antiquitate ac præſtantia c. 1. diſputauimus.

Octauò, aliqui non contenti hac Anachoreſi in Lauris, & cellis in interiorem aliquando ſolitudinem diſcedebant; vti diximus cap. 1. Euthymius vltimo die Theophaniorum ſecedebat; vti à Cyrillo traditur; ſed ad id venia à præfecto impetranda erat, vti ex Sulpitio Dialog. 1. ibid. obſeruabamus: aliquando etiam mutabant cellas: nam de Macario Alexandrino habet Paradiſus Heraclidis illi diuerſas fuiſſe cellas, vnam in Scite, quæ eſt interior in ſolitudine; vnam in Lybia; & vnam in celliis; & vnam in monte Nitriæ; & aliæ quidem carebant oſtio, in quibus dicebatur ſedere in Quadrageſima in tenebris; alia autem erat anguſtior, in qua non poterat pedem extendere; alia autem latior, in qua conueniebat eos, qui ad ipſum ventitabant. 20.

Hanc Anachoreſim, & incluſionem cum vita cœnobitica aliqua ex parte coniunctam, æmulati deinde ſunt Eremitæ fontis Auellani, quibus præerat Petrus Damiani, qui circa annum 1060. florebat & ſcribebat, illorum rigidius inſtitutum deſcribit ipſe Petrus opuſc. 15. *In hoc,* inquit, *loco, qui fons Auellani dicitur, plerumque viginti plus minus Monachi per cellulas, ſiue in aſſignata cuique obedientia degimus,* &c. *In cellulis continuum tenetur, ſicut reuera in* 21.

Oratorio

Oratorio ſilentium, niſi Priori viſum fuerit, vt nouitijs eorúmque Inſtitutoribus ad tempus aliquantulum loquendi licentia concedatur: Si qui autem loqui indigent, ad Eccleſiam prodeuntes quæcumque ſunt neceſſaria manifeſtant. Et poſt pauca: *Taceo de vilitate ſpontanea, & aſperitate veſtium, de duritia, de auſteritate cubilium, & de diſtricta cenſura ſilentij, de amore perpetuæ incluſionis.* Denique dum ad perſeuerantiam hos Eremitas hortatur. *Non itaque ad monaſterialem laxitudinem ab eremitica vos libeat diſtrictione deſcendere, & relicta lege ſpiritus carnis illecebris, & lenocinijs conſemire.* Hos tamen etiam cœnobitas fuiſſe, cum & Eccleſiam, & clauſtrum & capitulum, & refectorium communia haberent, vnique Priori ſubeſſent, vt ibidem explicatur, perſpicuum eſt.

Non paucis etiam poſt annis vix diſſimilem Anachoreſim, & incluſionem Bruno, eiúſque ſocij in aſperrimis Carthuſiæ montibus aggreſſi, eam mirabili conſtantia in ſuos poſteros, in quibus hodiéque perſeuerat, tranſmiſerunt; non ſine totius Chriſtiani orbis ſtupore. Damianus loco nuper adducto de ſuis Eremitis agens mirabatur, *defluente ex maxima parte monaſtico ordine Deum ſeruos ſuos in perferendo tentationum labore corroboráſſe.* Quis verò non ſtupeſcat ad tam inſolitam PP. Carthuſianorum in ſeruando primæuo inſtituto conſtantiam, & in retinenda veteri diſciplina acre ſtudium, vt cum cæteri omnes ordines monaſtici ſiue illo antiquiores, ſiue ſuppares, aut poſteriores magnas clades ſubinde acceperint, fuerítque ſæpius opus à magnis viris non ſine labore eas reſarcire, & ruinas reparare, atque ferè nouos ordines ex antiquis cudere. Carthuſianus ordo illæſus, integer, infractus, ruente toto orbe monaſtico in tanta morum licentia, & ætatum conſequentium mutationibus ſteterit. Hoc illud ſanè miraculum diuinæ virtutis eſt; quod in ſuis Eremitis laudabat Damian. *Et quid mirum*, inquit, *ſi fragilia corporum veſtrorum vaſcula ad portandam poſt ſe crucem fortiter roborat, qui cuncta mundi horrea in leuibus culmorum ariſtis mirabiliter librat? & quorum pondere lapidea ſæpè ædificia corruunt, ad hæc ferenda, volatiles ſpicarum thecæ tenuibus miſtæ paleis non ſuccumbunt? Quid mirum*, inquam, *ſi debilibus ſeruorum ſuorum membris vires attribuit, qui in tenuiſſimis vuarum folliculis omnium vbique regionum vina ſuſpendit; & quod ex tumnis operosè, & cum magno labore compactis ſæpius effluit, hoc per exilis corticis quaſi quoddam fidele depoſitorium ſine diminutione cuſtodit, imò quod illic, vel guttatim frequenter effunditur; hic non minuendo, ſed augendo potius per incrementa ſeruatur*; quæ pluribus ibidem proſequitur Damianus, vt diuinam potentiam efferat, quæ ſuis Monachis vires ad Eremiticæ vitæ labores ferendos ſufficeret, quod in ſacro Carthuſienſium ordine potiori ratione Chriſtianus orbis miratur.

CAPVT IV.

De Incluſis.

INCLVSIONES de quibus hactenus diſputauimus in monaſterio, aut Lauris eiuſinodi erant, vt neque perpetuæ ferè exiſterent, ne-

que omni hominũ cõſortio, priuarẽt, neque vno eodémque loco ſemper incluſos continerent; quare non erant niſi partiales vt ita dicam incluſiones, ideoque qui illud vitæ inſtitutum amplectebantur non dicebantur ſimpliciter, & abſolutè incluſi; qua etiam voce Græci vſi ſunt & ἐγκλείστους, dixere vti videbis apud Theodorum Studitam. Reſtat itaque tertia illa eaque perpetua, & omnimoda incluſio explicanda, qua aliquis ita vno loco includitur; vt neque ex illo exeat vnquam; neque alios ad ſe venientes paſſim admittat à qua nominati ſunt incluſi, recluſi, clauſi eorumque cellæ incluſoria, recluſoria, & clauſuræ, de cuius incluſionis omnimodæ origine, cauſis, loco, & incluſorum viuendi ratione pauca quædam placet ex antiquis delibare.

§. I.

Origo Incluſorum.

1. ET quidem ſi primam horum Incluſorum repetamus originem, illam antiquiſſimam eſſe comperiemus: nam Antonius natus anno Chriſti 251. anno 268. in ſepulchro ſibi domicilium elegit & anno 285. in Eremum relicta Patria ſeceſſit, iuxta Aphroditon, ibique in veteri caſtello in monte extructo, inter rudera ſe incluſit per annos viginti vſque ad initium Conſtantini; quo tempore conuerſis plurimis monaſteria extrui cœperunt. De qua incluſione audi Athanaſium capite 4. *Ad montem vſque perrexit, ibique fluuio*, Nilo ſcilicet, *tranſuadato inuenit caſtellum deſertum & obſtructo lapidibus introitu panes menſium ſex vt Thebais mos eſt ſecum recondens: nam crebro per annum incorrupti durare ſolent nec non & exiguum habens aquæ ſolitarius perdurabat.* Sed Græca non ſatis expreſſit Euagrius ὥσπερ ἐν ἀδύτοις ἐν καταδυόμενος ἐν τῷ μοναστηρίῳ μόνος ἦν ἐν ἔνδον. Tanquam adita ingreſſus monaſterium, ſolus ſeſe intus continuit nuſquam inde procedens nunquam aliquem ſuſcipiens: ita vt bis in anno panes per tectum acciperet, & nullum cum deferentibus ſermonem haberet. Vides arctiſſimam incluſionem. In Oriente eiuſmodi incluſos vidiſſe ſe narrat Hieronymus cap. 5. vitæ Pauli *Ieſum teſtor*, inquit, *& ſanctos Angelos eius in ea Eremi parte, qua iuxta Syriam Saracenis iungitur, vidiſſe me Monachos de quibus vnus triginta iam per annos clauſus, ordeaceo pane, & lutulenta aqua vixit, alter in ciſterna veteri, quam gentili ſermone Syri cubam vocant, quinque caricis per ſingulos dies ſuſtentabatur.* At vero ea deſerta Syriæ luſtrauit Hieronymus anno 378. venit enim in Syriam & Antiochiæ cõſedit aliquantulum anno 370. vt diligenter expendit Roſuueidus in præfatione ad vitas Patrum de Hieronymi peregrinatione diſputans; quare cum iam triginta annos vnus ex illis Monachis clauſus fuiſſet, conſtat illum anno 340. ſe incluſiſſe. Et ſanè poſt annum 300. frequentiorem fuiſſe iſtam viuendi rationem in Oriente colligimus ex Theodoreto, qui in ſuo Philotheo eiuſmodi incluſo plures recenſet: ſcribebat autem ille anno quadringenteſimo trigeſimo ex Bellarmino ipſeque Epiſt. 82. ad Euſebium Ancyranum ait ſe vitas Patrum poſt Epheſinam Synodum ſcripſiſſe, eſt autem habita illa Synodus anno Chriſti 431.

Circa eadem ferè tempora in Occidente, 2.

cidente, atque adeo in Galliis vſurpata fuit ſimilis incluſio, nam Sulpitius Seuer. Dialog. 2. ſcribit virginem quandam ita ſe penitus ab omnium virorum oculis remouiſſe, vt ne ipſum quidem Martinum, qui illam officij cauſa depoſito parumper propoſiti rigore, viſitare voluerat admiſerit: *Itaque vir Beatus accepta per aliam fœminam excuſatione laudabili, ab illius foribus quæ videndam ſe ſalutandamque non dederat lætus abceſſit*, & deinde *cum xenium Beato viro Virgo tranſmiſiſſet, fecit Martinus quod antea non fecerat. Nullius enim ille vnquam xenium, nullius munus accepit, nihil vero ex ijs quæ Virgo venerabilis miſerat, refutauit dicens, benedictionem illius à Sacerdote minimè reſpuendam eſſe, quæ eſſet multis Sacerdotibus præferenda.* Vtriuſque egregium factum Martini ſcilicet, & virginis pluribus eo loco commendat Sulpicius, obiit verò Martinus anno 402. ex Baronio. Eucherius Senatorio genere nobilis diu in agro ſuo ſuper fluuium Durantiam, intra ſepta ſpeluncæ concluſus, & ad inſulas Lugdunenſes diuino monitu quæſitus, ab Archidiacono Lugdunenſi, & ſociis, non niſi effracto muro ſpeluncæ, & ligatus Lugdunum perduci potuit. Eius deinde ſpeluncam ſubiit vxor in eaque vitam ſanctiſſimè egit. Ita Ado in Martyrologio decimoſexto Nouembr. quod ſi vnum tantum faciamus Lugdunenſem Eucherium, vti reuera faciũt omnes indices Lugdunenſes, cum ille ſederit Lugduni anno 435. ex Sigeberto, iam antea ſpecum ſuam habitauerat. Si vero diſtinguamus duos Eucherios eoſque etiam Lugdunenſes Epiſcopos, quos omnino agnoſcendos eſſe eruditè oſtendit Theophilus Reynaudus, in indiculo Sanctorum Lugdunenſium, & poſteriori tribuenda ſit hæc ſpelunca, aliquot annis recentior erit iſta incluſio Eucherij, hic enim coæuus fuit Cæſario Arelatenſi; imò & cum eo aliquando iter egit, atque ſubſcripſit Concilio ſecundo Arauſicano anno Chriſti 529. vnde ducitur validiſſimum argumentum illum alium longè eſſe à priori Eucherio qui primo Concilio Arauſicano ſubſcripſerat anno 441. quidquid vero de gemino Eucherio ſentias, certum eſt ab eius ætate viguiſſe Lugduni, in eiuſque tractu hanc incluſionem, & plures eam ſectatos fuiſſe: cum Lugduni decem eiuſmodi incluſoria forent, virorum ſeptem, tria fœminarum, quibus ſingulis ab ipſo Eucherio deſtinata fuerat certa annonæ menſura, quam conſequentes deinde Pontifices & ratam habuerunt, & tum ex decimis, tum ex iure Epiſcopali in forum frumentarium, pendi voluerunt: quæ omnia conſtant ex diplomate Guillelmi Dethureio Lugdunenſis Epiſcopi an. 1269. qui hanc annonam frumenti, & pecuniæ incluſis reſtituit, quam ab ipſo vſque Eucherio ſolutam fuiſſe teſtatur, & malè à ſuo deceſſore peruerſorum hominum artibus ſublatam, ſimile aliud edictum Archiepiſcopale datum anno 1503. decimonono Maij Ludouici duodecimi ſexto refert Paradinus libro ſecundo Hiſtoriæ Lugdunenſis cap. 80. vt videas hæc incluſoria ad noſtra ferè tempora Lugduni perſeueraſſe.

In aliis quoque Galliis celebris fuit ea inſtitutio vt ex iis quæ Turonenſis tum in Hiſtoria Francorum, tum in lib. de vitis Patrum de incluſis ſcripſit, certum manet: obiit autem Gregorius anno 596. perſeuerauitque hæc Anachoreſis non in 3.

Gallia modo, ſed & in reliquo Occidente : nam frequentem fuiſſe ſua ætate ſignificat author opuſculi, de vita Eremitica ad ſororem inter opera Auguſtini; Auguſtinum enim non eſſe iampridem obſeruauit Bellarminus : nam & ſanctum Benedictum laudat, cap. 14. & 19. & ſanctum Gregorium cap. 46. qui Auguſtino poſteriores fuere; meminit quoque hic author officij Beatæ Virginis poſt orationem perſoluendi, cum commemorationibus Sanctorum cap. 14. quod officium à Petro Damiani Inſtitutum fuiſſe traditur in eius vita, & à Baronio anno 156. ipſéque Damiani lib.6. Epiſtol. 33. ad Eremitas Gamuquenſes, narrat ſe in monaſterio ſancti Vincentij prope Petram pertuſam ſtatuiſſe, vt cum horis Canonicis quotidie Beatæ Virginis officia dicerentur, quod poſt triennium intermiſſum fuit opera Gozonis cuiuſdam Monachi, qui ſufficere dicebat, *quod ſanctus Benedictus inſtituiſſet, neque noua adinuentionis pondus adyciendum eſſe.* Vnde tot caſibus afflictum fuit illud monaſterium, vt prætermiſſum officium Virginis reſumere, authore ipſo Damiani, coacti fuerint. Sicque tota illa tempeſtas facillimè poſuit : ex qua narratione colligis hanc inſtitutionem officij recentem omnino fuiſſe, *quam nouitiam inuentionem vocabat* Gozo negabátque à ſancto Benedicto impoſitam; vnde etiam confutatur quod aliqui Gregorium III. & Zachariam, qui vixerunt ante annum 752. Caſſinenſibus Monachis huius officij recitationem imperaſſe ſcribunt; ſi enim iam per trecentos annos vigebat ea inſtitututio in Caſſinenſi Cœnobio, quomodo in alia inducta non fuerat, qua ratione Gozo nouam adinuentionem obiiciebat, & perſuadebat Monachis ne ſe exiſtimarent antiquis Patribus ſanctiores, *Qui hæc ſuperſtitioſa ac ſuperuacua iudicantes pſallendi metam omnémque viuendi regulam præfixerant hac ſe debere eſſe contentos ne ab illa incautiùs declinantes per amphractus, & inuia ducerentur erronei.* Vrbanus ſubinde ſecundus in Concilio Claramontano ann. 195. ad exorandam Virginis opem pro ſacris expeditionibus aduerſus infideles hoc officium à Monachis Damiani, ad Clericos traduxit; quod etiam Bruno, qui eidem Concilio interfuit, iam in ſuum Carthuſienſem ordinem induxerat, ex quibus vides authorem hunc de vita Eremitica ad ſororem incluſam, multò recentiorem Auguſtino fuiſſe, & circa tempora Damiani vixiſſe. Vir ſanè eruditus fuit, & ſatis oſtendit ſua ætate frequentem fuiſſe anachoreſim, & incluſionem, etiam fœminarum, quæ ad noſtra ferè tempora perſeuerauerit : nam hodie ferè vbique deſiit ſaltem quoad fœminas, quis verò primus hanc viuendi formam ſectatus fuerit, non liquet, verùm ſicut anachoreſim, atque cœnobiticam vitam ab ipſis Eccleſiæ incunabulis inductam fuiſſe coniiciebamus cap. 1. ita etiam tunc inter anachoretas, aliquos incluſos ſaltem diutiùs fuiſſe, veroſimile eſt, à quibus deinde ſenſim ea vita ad alios propagata fuerit, & ſuis aucta incrementis, vti in omnibus aliis ferè contingit.

§. II.

De Perſonis ſe includentibus.

QVinam verò huic vitæ ſe addixerint ex antiquis monumentis 41
facilè repetes, neque enim animus eſt

eſt ipſorum aut Indicem texere, aut acta ſcribere, aliquos ſelectiores dabit Raderus 3. part. Viridarij cap. 5. illud dumtaxat in vniuerſum obſeruo tum laicos, tum ſacros homines hoc inſtitutum ſectatos eſſe. Salamanem in vico Caperſana ad ripam Euphratis cellula incluſum effracto pariete Antiſtes loci Sacerdotio initiauit, & deinde diſiectam cellæ partem reſtaurari iuſſit apud Theodoretum in Philotheo cap. 19. Gregorius Turonenſis lib. 5. Hiſtoriæ Francorum cap. 7. agit de Benedicto quodam Senocho Presbytero, genere Theifalo, qui in Turonico Clericus factus, *in cellam ſe remouit*, & deinde collectis Monachis, antiquum Oratorium dirutum reparauit. Eodem lib. 5. cap. 10. de quodam Patroclo, in Biturico Termino recluſo Presbyterij honore prædito, qui & octogenarius magnæ virtutis commendatione obiit. lib. 6. c. 8. de Eparchio recluſo Engoliſmenſi, *qui Petragoricæ vrbis incola fuit, ſed poſt conuerſionem Clericus factus Engoliſmam veniens cellulam ſibi ædificauit*; libro de vitis Patrum cap. 5. narrat idem Turonenſis Fiardum, cum Abbate Sabaudo, qui quondam Clotharij Regis miniſter fuerat, & Secundello Diacono in Vindatinenſem Nannetici Territorij Inſulam receſſiſſe, atque paulo poſt Abbate monaſterium repetente, atque occiſo, Fiardum & Secundellum ſe in ſeiunctis cellulis abdidiſſe; quare ipſi etiam Clerici, atque Presbyteri ſeſe includebant vt vides.

5. Neque viris tantum ſolemnis fuit incluſionis huius receſſus: fœminæ quoque illum amplecti voluerunt, ex quo enim vti obſeruat Theodoretus in Philotheo cap. 30. Chriſtus ex Virgine naſcens Virginitatem honorauit, Virginitatis flores natura profert creatori; haud quaquam in maſculum & fœminam virtutem diſtinguens, neque in duas differentias partiens Philoſophiã: corporis enim, non animarum eſt differentia: itaque in eo opere celebrat Theodoretus Maranam Cyram, & Domninam, incluſas. Monegundem Turonenſis cap. 11. de vitis Patrum; Alexandram Raderus loco nuper allato, nobilem virginem Germanam Cæſarius lib. 4. cap. 29. Iuettam Belgium agnoſcit, ſúntque aliæ innumeræ, quarum aliquas dabimus in curſu diſputationis. Lugduni, quod nuper referebamus, erant tria recluſoria fœminarum; denique communis adeò fuit aliquando ea inſtitutio, vt author de vita Eremitica ſuperiùs laudatus, eiuſmodi fœminis incluſis viuendi leges ſuo illo opere fuſiùs proſequutus fuerit; non omittam verò cum Theodoreto de Marana, & Cyra diſputante obſeruare maiori dignas laude eſſe hac in parte fœminas, quæ infirmiorem naturam, & molliorem ſexum ſortitæ, eandem cum viris alacritatem, & προθυμίαν oſtenderunt, genúſque ſuum ab auito dedecore vindicarunt τῆς προγονικῆς αἰσχύνης τὸ γένος ἐλευθερῶσαι.

§. III.

Cauſæ Incluſionis.

VEnio ad cauſas, quæ id vitæ genus hominibus perſuaſerunt: 6.
atque in primis exiſtimo idem hac in re contigiſſe, quod de Paulo narrat Hieronymus cap. 4. eius vitæ, vbi enim prudentiſſimus adoleſcens intellexit ſe à ſororis marito prodendum Decij ſatellitibus, ad montium deſerta confugiens, dum perſecu-

tionis finem præſtolaretur, neceſſitatem in voluntatem vertit, atque vbi ad radicem ſaxei montis grandem ſpeluncam reperit, cuius veſtibulum aperto deſuper cælo patulis diffuſa ramis vetus palma contexerat, & ſimul fontem lucidiſſimum, adamato, quaſi quod à Deo ſibi offerretur habitaculo, omnem ibidem in orationibus & ſolitudine duxit ætatem. Quod igitur tūc Paulo contigit vt in ſolitudines, & montium, cauernas metu quodam, & neceſſitate incitatus ſe ſubduceret, idem quam pluribus aliis Chriſtianis, eadem ſæuiente perſecutione Decij accidiſſe, diſertè teſtatur Dionyſius Alexandrinus Epiſtol. ad Fabianum Antiochenum apud Euſebium lib. 6. cap. 34. vt in ſolitudinibus, & montibus vagi errarent, aut in ſpecus & antra ſe abderent, quorum aliqui ſine dubio, ſicut & Paulus neceſſitatem in voluntatem vertere. Quod ipſum de primis Anachoretis obſeruaſſe me memini cap. 1. ex Caſſiano collat. 18. cap. 6. qui tamen fortaſſis initio non ſemper delituerunt cum nemo foris eſſet, ſed vbi ſolitudines frequentes eſſe cœperunt, ſua ſe etiam caſula voluerunt aliqui continere, atque ea vagandi licentia mulctare.

7. Atque hæc fuit altera huius incluſionis cauſa, vt ſe facilius periculis omnibus peccandi ſubducerent; quod author vitæ Eremiticæ iam adductus, hanc eandem quæſtionem verſans, eleganter explicat: *Sunt quidam, quibus inter multos viuere pernicioſum eſt: ſunt & alij quibus etſi pernicioſum non eſt, tamen diſpendioſum eſt; ſunt & nonnulli, quibus nihil horum timendum eſt, ſed potius habitare magis aſtimant fructuoſum. Itaque antiqui vel vt vitarent periculum, vel ne paterentur diſpendium, vel vt liberius ad Chriſti anhelarent & ſuſpirarent amplexum ſingulariter viuere elegerunt. Illi vero qui nec hoc ſecurum ſibi inter ſolitudinis & vagandi libertatem, arbitrabantur, includi potius & infra cellam obſtruſo exitu contineri tutius exiſtimabant.* Nempe in quadam veluti arce ſe collocabant, vnde facilius non modo hoſti reſiſtere, ſed illum etiam expugnare poſſent: nam vt de Eremi cultoribus aiebat Eucherius lib. de fuga ſæculi num. 18. *Nec magis abſunt à voluntate peccandi, quam à facultate.* Et num. 23. *Fremit fruſtra circumiens aduerſarius, tanquam intra caulas ouibus ſeptis lupus:* addit Angelos per ſcalam Iacob commeantes Eremum frequentia abditæ viſitationis illuſtrare. Deinde hæc ſubiicit: *Peculiarius Chriſto propugnatore munitur, qui tanquam murorum obiectu, ita Eremi ambitu hoſtes ſuos ſubmouet; vt adoptiua Deo gens quantum ſecreti ſpatiis expoſita, tantum hoſtibus ſuis clauſa ſit.* Quæ paucis mutatis aptiſſimè in hos incluſos quadrant: nam & illi cuſtodia ac viſitatione Angelica cinguntur, & à Chriſto murorum illo ambitu aduerſus hoſtes teguntur; & quantum in ſecreto loco abduntur, tantum hoſtibus ſuis clauduntur. Quam verò fœlici ſucceſſu, & exiguo periculo ab his incluſis, qui ſe rerum omnium vſu, atque etiam fere aſpectu priuarunt, pugnetur, docet ſapientiſſimè Euſebius apud Theodoretum in Philotheo cum enim poſt diuturnam incluſionem in Cella nullis peruia feneſtris habitaſſet, & tandem Ammiani precibus, ex voluntario illo carcere exiens, Cœnobij quod idem Ammianus circa Telodam excitarat, curam

curam ſuſcepiſſet, contigit aliquando vt in ſaxo quodam conſidens cum eodem Ammiano, codicem Euangeliorum legente, ſubiectam planitiem diſpiceret, & agricolis arantibus delectatus, ad lectionem animum non aduerteret: in cuius curioſioris aſpectus pœnam, neque campum illum neque cælum & aſtra ſpectare ſtatuit, ſed anguſtiſſimam vnius palmi ſemitam, qua ad oratorium pergeret ſibi definiuit, zona ferrea lumbos præcinxit, ceruicibus collare ferreum impoſuit, & altero ferro cum zona coniunxit, vt eo pondere inclinatus terram perpetuò ſpectare cogeretur, & annos pluſquam quadraginta hoc habitu & ſchemate vixit. Rogatus verò à Magno Accacio, qui iſta Theodoreto narrauit, cur hoc vitæ genus ſectaretur, reſpondit, ne de magnis rebus mihi bellum inferat dæmon, temperantiam & iuſtitiam auferre nitatur, iram exacuat, concupiſcentiam excitet, faſtu & ſuperbia mentem inflet, aliáque aduerſus animam moliatur: ad hæc parua certamen traducere conor, in quibus ſi hoſtis vicerit, non magno damno vicerit; ſi vincatur derediculo erit, vt qui ne in paruis quidem vincere potuerit. *Quoniam ergo bellum hoc minore periculo geri ſentio, quod leue damnum accipiat, qui in eo feritur: (quid enim damni eſt, campum aut cælum intueri?) Ad hoc illum pugnæ genus tranſtuli, in qua ipſe nec perimere poteſt, nec ferire lethali vulnere.* Cuius dicti ratio mihi perſpicua videtur: quia Dæmon ſuam omnem vim aduerſus homines exerit, vt vel pedem è cella extrahere, vel aliquid ſoliti rigoris remittere perſuadeat: cùm alios ad crimina grauiſſima impellat, eo quod ne illa quidem facinora iſti incluſi committere poſſint, ſi maximè velint: atque, vt monebat Eucherius, tam abſint à voluntate peccandi, quàm à facultate.

8. Tertia cauſa huius incluſionis fuit maximè fœminis, amor ſeruandæ caſtitatis & continentiæ. Sic Alexandra Virgo, vti narrat Palladius in Lauſiaca cap. 3. ſæpiùs à proco ſollicitata, ne læderet amantem, aut aſpectu torqueret, oris venuſtatem cum pudore ſepulchro clauſit, nuſquam rata tutiùs, inquit Raderus, hos theſauros poſſe condi, quàm inter emortualium caluas, & cineres, arentes, ex quibus nulla flamma erumpat, quæ florem honeſtatis poſſit populari. Duodecim igitur annos in illo ſitu & ſqualore horrentium tenebrarum tenerrima Virgo, nulli nec viro, nec fœminæ viſa, porrecto per foramen alimento traduxit, donec compoſito ad honeſtatem corpuſculo dormienti ſimilis requieuit. Nobilis Virgo Germana apud Cæſar. lib. 4. 29. cæleſtis ſponſi nuptias ambiens, & ſibi tandem à parentibus permiſſa, condito ſeorſim domicilio ſe incluſit. Maranam & Cyram, iam per quadraginta duos annos dum ſcriberet perſeueraſſe incluſas narrat Theodoretus, *ſponſi pulchritudinem cogitantes, & in meta certaminum ſtantes, illum, quem diligunt cernentes, oſtendentem victoriæ coronam.* S. Bertilla Virgo eadem & coniux cum importunis parentum deſideriis perſuaſa Gunthlando nobiliſſimo iuueni nupſiſſet, & in eo coniugio ſuam integritatem ſeruaſſet, illo defuncto; ne ſimile diſcrimen adiret, facultatibus in pauperes, & in pia loca diſtributis, in proprio fundo Marcolo propiùs ab Attrebate Eccleſiam ſancto Amando condidit, & cellulam Baſilicæ hæ-

rentem, in quam ſe abdidit: ita eius acta, quæ ex M. S. Codice Mareolenſi deſcripſit Bollandus 3. Ianuarij. Hiltrudis Lætientium patrona repudiatis Hugonis Burgundiæ Principis nuptiis, è parentum domo profugit, relicta ſorore Berta, quæ Hugoni nuberet, ſuam ipſa virginitatem illibatam Chriſto ſponſo, ab Epiſcopo Cameracenſi rite velata, conſecrauit: quia verò virginibus latere tutiſſimum eſſe didicerat, delegit humilem cellam oratorio Religioſorum contiguam, in qua per annos ſeptemdecim recluſa ad obitum vſque vixit, fratris ſui Guntardi Abbatis eximia ſanctitate viri, piis adhortationibus accenſa: adſcribitur faſtis eccleſiaſticis. Tarſitia, ſiue, vt alij dicunt, Tarcilia è Pipini Regio ſanguine prognata, cuius genus deſcripſit Henricus Caniſius tom. 5. antiqua. lection. 2. part. & cum M. S. Codice Monaſterij S. Maximi Treuirenſis contulit Bolland. 15. Ianuarij, ad tuendam caſtitatem in Aquitaniam profugit, ad Caſtrum Rutenula dictum, atque in ſpelunca montis proximi delituit, vbi diutiùs capræ quotidie ad illam venientis lacte nutrita eſt, & ſanctiſſimè obiit, atque in æde S. Vincentij magna pompa ab Epiſcopo Rutenorum collocata, miraculis claruit. Illuſtre quoque eſt, quod narratur de Agnete virgine Hiſpana & Moncada vico: Ea enim Valentiæ S. Vincentij Ferrerij concionibus ad amorem caſtitatis accenſa, ne ſponſo traderetur, virili habitu profugit, atque in ſpecu iuxta monaſterium Carthuſienſe, quod *portam cæli* appellant, viginti annos ſanctiſſimè vixit ſoli Deo, & cœlitibus nota, variis poſt mortem illuſtrata prodigiis. Faſtidioſæ porrò foret operæ cæteras percenſere, quæ ſtudio ſeruandæ integritatis ſe in eiuſmodi latebris abdidere. Cum hæc vna cauſa ferè communis omnibus fuerit, quæ certo loco ab hominum conſpectu ſemoto, ſe incluſere: nam vti monuiſſe me memini diſquiſit. 1. cap. 1. perſuaſum ſemper fuit omnibus ſapientibus diuagationem noxiam eſſe virginibus, latebras verò tutiſſimas. Quare ſanctam Neophytam virginem nobiliſſimam, cum nuptias repudiaſſet, parentes, quos in ſuam ſententiam, inuitos licet pertraxerat, ne à proco nobili raperetur, virginum monaſterio incluſerunt: quæ tamen vbi aliquando ad ædem vrbi proximam cum octo ſodalibus egrederetur, proci inſidiis abducta eſt, & cum eius coniugium conſtanter auerſari pergeret, ab impio & ſacrilego amatore cum ſodalibus, confoſſa fuit, voluítque Deus ita virginis ſanctiſſimæ conſtantiam martyrij laurea donare, vt ſimul doceret, quàm periculoſus foret virginibus ſacris ex ſuo veluti lariario exitus, quamuis bona mente ſuſceptus. Quod etiam celeberrima virgo apud Hybernos Ida monuit ſanctiſſimam virginem Rethnam ad ſe vnà cum Epiſcopo Columnano diuertentem, affirmauítque ſancti Epiſcopi præſentia à dæmonibus eius iter, quamuis ex pietate ſuſceptum deffenſum fuiſſe. Atque vt inſigni aliquo miraculo proderet Deus non tutius eſſe præſidium virginitatis quàm incluſionem, cum S. Marcianæ nobiliſſimæ virginis, anno 307. ſæuiente Diocletiano, Cæſareæ in Mauritana propter cõfractam Dianæ ſtatuam, ſpurcis gladiatoribus expoſitæ, pudorem variis modis ſeruare potuiſſet; non aliter tamen id præſtare voluit, quàm de repente extructo muro, qui gladiatorem à virgine prohiberet, quod

tribus conſequentibus noctibus contigit, & trium gladiatorum impia libido à virgine repreſſa eſt. Ita eius acta num. 3. quæ ex M.S. Andreæ du Cheſne retulit Bolland. 9. Ianuarij.

9. Quàm verò in latebris tuta ſit pudicitia, ſignificat Salomon Prouerb. 30. dum ait ſibi tria eſſe difficilia, nempe viam Aquilæ in cælo, colubri ſuper terram, & nauis in medio mari; quartum verò ſe penitus ignorare, vtpote omnium difficillimum; viam viri in adoleſcentia *Vehhalmah*, hoc eſt vi vocis Hebrææ in Virgine abſcondita: nihil videlicet tam eſſe difficile, quod non tentetur, vt in aëre patet, in aquis & in petra; at cuſtodiam, & ſeceſſum ſic virginem tutam reddere ab amatorum inſidiis, vt non ſolum non expugnari, ſed neque tentari, aut ambiri eius pudicitia poſſit; ideóque nulla via viri apparet ad clauſas abſconditæ virginis, & ignotas fores, faciliúſque inuenies in aëre viam Aquilæ, & in mari viam nauis, quàm veſtigia virorum ad ianuam illius, quæ nunquam ſe viris videndam offert: Ita ſubtiliter Sanct. in cap. 7. Iſa. n. 32. qua de cauſa apud Hebræos virgines concluſæ erant, vt quod habes Machabæor. lib. 2. cap. 3. vbi enim totius ciuitatis, omniúmque Ordinum comploratione ad Heliodori templum ſpoliantis conatum deſcribit verſ. 19. ſic habet: *Accinctaque mulieres cilicijs pectus per plateas confluebant; ſed & virgines quæ concluſæ erant, procurrebant ad Oniam; aliæ autem ad muros; quædam verò per feneſtras aſpiciebant.* Hoc eſt, non modò mulieres lugubri habitu, & hirſutis indutæ cieiliis ad publica loca gregatim conuolabant: quin ipſæ etiam virgines, quæ concluſæ erant, & pro ſua modeſtia ad publicam lucem, hominúmque conſpectum aut nunquam, aut non niſi perquàm rarò prodierant, relicto virginali conclaui, aliæ aliò amentes, & prorſus attonitæ ferebantur: atque hoc conclaue virginale in priuatis ſingularum domibus fuiſſe cenſent, ex gentis recepto more, Lyran. Dionyſ. Hugo. S. Thom. & Serrar. in hunc locum. Vnde Hebræis virgo dicta ſit Halmah, id eſt, abſcondita, vti monuimus, & Gynecæum, in quo cum puellis ſuis morabatur Iudith, ſeparatum erat cap. 8. Ex illo igitur veluti clauſtro vix vnquam prodibant virgines, & non ſine graui occaſione, qualis erat ingens periculum, aut ciuitatis perturbatio. Hæ porrò virgines diuites, & nobiles erant: alias enim tenuitas, ac vilium natalium conditio, non permittebat in ſeceſſu, & vmbra molliorem, & delicatam vitam degere; ſed ancillarem operam præſtabant, etiam foris, & nonnumquam ruſticum opus & paſtoritium miniſterium obibant, quod de Rachele Geneſ. 29. & de filiabus Raguel Exod. 2. ver. 16. conſtat. Vt earum porrò pudicitiæ caueretur, graue indixit ſupplicium Deus illi, qui virginem in agro compreſſiſſet, Deut. cap. 22. ver. 15.

Erant & quædam virgines, quæ in templi aliquo loco liberæ ab interpellatoribus pietati vacarent, ibique concluſæ viuerent: quod ex multis patribus oſtendit Caſtro in hiſtoria Deiparæ cap. 3. ex eiuſque præſentatione fit manifeſtum: atque ex illis fortaſſis virginibus fuerunt, quæ concluſæ dicuntur eo cap. 3. lib. 2. Machab. & foris prodiiſſe: nam ibi habetur, τὰς κατακλείσους τῶν παρθένων clauſas virginum, id eſt, eas, quæ ex numero virginum clauſæ erant, in templo ſcilicet. Cum igitur tam firmum 10.

firmum ſit ad virginitatem tuendam præſidium, in receſſu & clauſura, quid mirum ſi plures in obſcuras etiam latebras ſe coniecerint, atque omnium hominum oculis ſe ſubtraxerint, & voluntario, vt loquitur Theodoretus damnarint carcere ſeruandæ caſtitatis amore incitatæ?

11. Quarta cauſa incluſionis ſuſcipiendæ, eáque frequentior fuit pœnitentiæ ſtudium. Narrat Climachus quemdam in Chorebi ſolitudine multis annis ſine magna ſalutis & inſtituti ſui cura vixiſſe, cúmque graui tentatus valetudine ad extrema deductus eſſet, & vita functus ab omnibus, per horæ ſpatium crederetur, de repente receptis viribus iuſſiſſe, omnes è ſuo cubili exire, & obſtructis cellæ foribus ſolum & clauſum per duodecim annos perſeueraſſe, neque aliud quàm panem & frigidam adhibuiſſe, mœſtóque ſilentio, immoto vultu, lachrymantibus oculis defixum iis, quæ viderat, reuoluendis hæſiſſe, & demum morientem fratribus, qui in cellam irruperant, hoc vnum dixiſſe, neminem in cogitationem mortis feriò ingreſſum poſſe vnquam peccare. Turonenſi cap.5.de vitis Patrum, de receſſu & incluſione Fiardi Abbatis Sabaudi, & Secundelli Diaconi agens ſic ait: *Ipſe quoque*, (Fiardus ſcilicet) *& Abbas Sabaudus, qui quondam Regis Clotharij miniſter fuerat, pœnitentiam accipientes*, &c. Cum igitur pœnitentiam acciperent, antequam ſe includerent; ſanè pœnitentiæ cauſa ſe includebant: Inde quoque fuſiùs oſtendimus cap.2.§.3. ſtatum pœnitentiæ religioſum fuiſſe, & diuerſum à pœnitentia canonica, atque etiam ritum huius incluſionis, de quo inferius. Theodoretus ſcribit cap.28. Philoth. cum adiiſſet Thalelæum, qui ſibi tugurium in monte Gabalis vicino, Dæmonum delubro celebri, & ſimul infeſto extruxerat, eóque ſe incluſerat, & ab illo nouæ vitæ, quam ibi deſcribit, cauſam rogaſſet, reſpondiſſe Thalelæum ſe hoc vitæ genus excogitaſſe, vt exiguo cruciatu grauiſſimos impédentes redimeret: illi enim & quantitate & qualitate ποσότητι ἀλλὰ καὶ τῇ ποιότητι, acerbiores ſint: quia inuoluntarij eodem pertinent, quæ ex mortis, & diuinorum iudiciorum conſideratione ad fugam ſæculi ſuadendam, & Dei timorem ingenerandum tradunt Patres, maximè S.Ephrem. & Baſil. homil. de timore Dei. Neque fortaſſis abs re fuerit in re ſeria lepidum aliquid intermiſcere: Placet quod narrat Raderus 3. parte viridarij c.5. §.9. de duobus hiſtrionibus, quorum vnus eiuſmodi vitæ pertæſus, vt facinorum ſuorum pœnitentiam lueret, in cauernam medio in nemore ſe recepit, neque potuit vnquam à colluſore ſuo perſuaderi, vt vitam ſuam præteritam repeteret; quin immò ſocij ſalutem ipſe curare aggreſſus, cum nihil proficeret, pio aſtu ipſum deluſit: finxit enim ſe importunis tandem precibus victum, antiquas artes reſumere velle: quare demiſſo fune extrahi ſe ſinit; atque cum ſocio aliquandiu progreſſus fingit ſe zonam nummis plenam, quos ex piorum eleemoſynis collegerat in cauerna reliquiſſe: quare rogat ſocium, vt qui valentior robuſtiórque eſſet, demitti ſe per finem pateretur, & crumenam ſub thoro culmorum latentem acciperet: ſimul ergo ille per funem delapſus eſt; ingens ſaxum ad os ſpeluncæ admouit, monuitque vt ſuo exemplo noxarum pœnas à ſe expeteret: & licet initio nihil euinceret; infundente ſe tandem numinis

nis gratia, vitæ mutationem ſeriò perſuaſit, & ſalutari arte Ludionem deluſit. Atque vt hanc incluſionis cauſam abſoluam, cum auſtera & rigida fuerit omnium incluſorum vita, vti dicam inferius, nemini dubium eſſe poteſt illam pœnitentiæ faciendæ gratia ſuſceptam fuiſſe.

12. Quinta Cauſa, eáque non multùm priori diſſimilis fuit ad mortem obeundam præparatio. S. Tillo relictis Monachis Sollemniacenſibus, quibus a S. Eligio fuerat Præpoſitus, & in nemus quoddam Aruernorum fugiens, vbi aliquamdiu vitam Ægyptiorum Monachorum æmulatus, confluentibus ad ipſum diſcipulis monaſterium extruxit, Sollemniacenſe monaſterium repetiit, & cum venia Abbatis Gundeberti cellam ſibi quinque ſtadiis à monaſterio ſancto Eligio dicatam ædificat, vbi ſe ad mortem præparauit, vt habet Anonymus eius vitæ Author, quem ex M. S. refert Bolland. 7. Ianuarij. Neque alia fuit S. Brunoni cauſa ſecedendi in montem Carthuſiæ, & fundandi celeberrimi ſui Ordinis, quàm mortis & diuini iudicij cogitatio, quam ex mortuo illo Pariſienſi, qui ſe damnatum pronunciauit in ſuis exequiis, ſuſcepit: quam hiſtoriam eruditè ſuo more confirmauit Theophylus Raynaudus aduerſus blatteronis neſcio cuius ineptias.

Vltima Cauſa, eáque omnibus communis fuit, ſilentij, quietis & orationis ſtudium, vt liberius Deo, ſibique, atque diuinorum contemplationi vacarent, abſque vlla hominum interpellatione, & ſenſuum phantaſmatis, quod de S. Acepſima Theodoret. in Philoth. Menæa, atque Nicephor. teſtantur. Ita enim 60. annos in tuguriolo incluſus vixit, vt neminem neque conſpiceret, neque alloqueretur, inquam, ſed in Deo contemplando intentus perpetuò hæreret, ὁ εἰς ἑαυτὸν νεύων, καὶ τὸν θεὸν φανταζόμενος, πᾶσαν ἐκεῖθεν ψυχαγωγίαν ἐδέχετο. Omnes inde animi voluptates, & doctrinam accipiebat: ait enim Propheta: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Iuetta vti tradit Author vitæ eius cap. 14. omiſſo Marthæ miniſterio in partem Mariæ ſe totam dedit: ideóque ſe fecit includi. Cogitabant hi omnes, qui à mundo in latebras ſecedebant, illud Ambroſij de fuga ſæculi cap. 1. *Quis inter tot paſſiones huius corporis, inter tantas illecebras huius ſæculi tutum atque intemeratum ſeruare poteſt veſtigium? Reſpexit oculus, & ſenſum mentis euertit: audiuit auris, & intentionem inflexit: inhalauit odor, & cogitationem impediuit: os libauit, & crimen reddidit: tactus contigit, & ignem adoleuit.* Qui igitur ſaluus eſſe velit, extra mundum ſe conſtituat, oportet.

§. IV.

Locus Incluſionis.

DIuerſus & multiplex fuit. Nam primò quidam domi ſuæ aliquando veluti Lararium ſibi extruebant, quod de virgine quadam germana referebamus ex Cæſario lib. 4. cap. 29. propriam cellam Choribita ille ad viuos veluti reuerſus de quo nuper, muro obſtrui curauit, donec ea effracta morientis vltimas voces ſocij fratres poſt duodecim annos exciperent apud Climach. 13.

Secundò narrabat Hieronym. ſuperius laudatus in vita Pauli cap. 5. vidiſſe ſe in Syriæ ſolitudine inhabitantem ciſternam veterem quam Syri gentili ſermone Cubam vocant, 14.

alij Gubam legunt, ipſéque Hieronym. in cap. 6. Ieremiæ, ait, Syro, & Hebræo ſermone nominari Gebe. Similem habitationem habuit Macedonius cuius laudes Theodoretus, qui ipſum probè nouerat, proſequitur in Philoth. cap. 13. annos quinque & quadraginta duxit nullo vtens tabernaculo, aut tugurio; ſed in profunda foſſa manens, ἐν ὀρύγματι βαθεῖ. Vnde illum quidam Gubam cognominabant, quæ vox Syris ſignificat lacum, ſiccum videlicet, vt monebat Hieronym. Deinde amicorum perſuaſus precibus tugurium καλύβην extruxit, ac demum domunculis vſus eſt non propriis, ſed alienis, eáque ratione alios viginti quinque annos traduxit. Mirum eſt quod narrat idem Theodoretus in Simeone ſeniore, qui cum relicta ſua primùm ſpelunca, & deinde Anano monte, ad Sinam cum ſociis properaret, in Sodomorum deſertis offendit virum in profunda foſſà, qualem ſibi vulpes effodiunt, latitantem, agreſti aſpectu, coma ſqualida, facie corrugata, membris omnibus exſuccis, & exhauſtis, lacero, ac vili amictu ex palmarum foliis contexto, qui narrauit ſe cum ad Sinæum quoque montem pietatis cauſa, cum ſocio pergeret, ſocio vita functo in eo loco tumulum qua potuit arte condidiſſe, ſibique ſepulchrum alterum fodiſſe, ne ab eo etiam poſt mortem diuelleretur, vti ſacramento ſe inuicem obſtrinxerant; veſci ſe palmarum fructibus quos ſibi quidam œconomus diuino iuſſu miniſtraret; quæ cum diceret Leo adfuit botrum dactylorum afferens, qui abire iuſſus illico paruit; & Simeonem, comitéſque metu, quo perculerat, liberauit; illóſque ſenex dactylis donatos, & ſalutatos dimiſit. Euſebius quidam diſcipulus Marciani cuius vitam, idem citato opere Theodoretus fuſiùs proſequitur, habuit tribus annis domicilium lacum quemdam aquis vacuum ἔχε ζ οἰκηθῆναι λάκκον τινὰ ὑδάτων ἀπηλλαγμένον. Simeon qui primus Stylita fuit è monaſterio eiectus ob vitam aſperiorem, ne illum ſupra vires ſuas æmulari conantibus ſociis damno eſſet, in ciſternam vacuam ſe demiſit ex qua poſt aliquot dies à fratribus facti pœnitentibus ægrè extractus eſt.

Tertiò, plures in ſpeluncas, cauernas, antra, & cubilia ferarum ſiue ad montium radices, ſiue in opacis nemoribus ſe abdiderunt. Eiuſmodi fuit 15.
Pauli ſpelunca, quam in eius vita deſcribit Hieronym. cap. 4. qui addit, *Circa exeſum montem fuiſſe non pauca habitacula in quibus ſcabræ iam incudes, & mallei quibus pecuniæ olim ſignatæ, viſebantur; quem locum Ægyptiorum litteræ ferebant, furtiuæ monetæ officinam fuiſſe, ea tempeſtate qua Cleopatra iunctus Antonius fuit.* Verum feras quoque ad Pauli ſpeluncam irrepſiſſe patet, quod Antonius Lupam ſecutus ad illam peruenerit. Simeon ſenior longiſſimo tempore vitam in breui ſpelunca duxit ἐν βραχεῖ διαιτώμενος ἄντρῳ, inquit Theodoret. fuit & celebre S. Seuerini, & Victorini fratrum antrum in quo quinquennio vixerunt, vbi deinde cùm conſilio Victorini ſeorſum viuere deliberaſſent, & Seuerinus aliò Duce Angelo migraſſet, Victorinus pia fraude errabundam fœminam in cellam admittens, & ad libidinem incitatus atque irriſus à dæmone; vbi ad fratrem Seuerinum reptando perueniſſet pedibus, manibúſque filiæ arbori inſertis peccati pœnas à ſe popoſcit. De Antro Tarſiliæ Virginis ad Caſtrum Rutenulam

lam nuper ſcripſimus. Menæa 3. Ianuar. narrant S. Zoſimum in Cilicia Eremum cum feris habitaſſe, atque comprehenſum & ad Domitianum præfectum adductum inſolitis prodigiis liberatum fuiſſe, & Leone in Theatro apparente, atque Chriſtum prædicante Athanaſium Commentarienſem ad fidem conuertiſſe, indéque ad montes rediiſſe, atque hiantes, diſruptáſque petras cum Athanaſio, quem inibi baptizauit ingreſſum, in illis ferarum antris, & cubilibus reliquam vitam duxiſſe. Victorianus peragrata Italia ex Gallia in Hiſpaniam Theodorico, illam pro Amalarico nepote adminiſtrante venit, & ſpeluncam è latere aſperrimi montis incoluit, non procul à vico Aſanio, neque procul Oratorium S. Michaëli ædificauit, in quo ſacrum ipſe faceret, ſed à turbis confluentibus ad plana deſcendere coactus monaſterium Aſanenſe diſiectis cellis in quibus Monachi viuebant ædificauit Imperante Rege Teuda hæretico, & Ariano, qui proinde ineptè Chriſtianiſſimus nominatur à Franciſco Didaco de Aynſa, in vita Victoriani Hiſpanicè ſcripta. Circa ann. 1430. Mansfredus Mediolanenſis ſeceſſit in montes, qui ripæ S. Vitalis imminent in Diœceſi Comenſi ad oram lacus Cugani, ibique in ſpelunca, ſeueriorem, pluribus annis vitam, duxit.

16. Quartò fuit nonnullis ſepulchrum pro domo, vt viuentes mundo morerentur. Notum eſt Antonium ad ſepulchra non longè à villa ſua diſſita, initio ſuæ conuerſionis diuertiſſe, & in vna *memoria* incluſum fuiſſe à fratre quodam, qui ſtatutis diebus illi alimenta deferret, vt ait Athanaſius cap. 3. vitæ, vbi μνῆμα vocat ſepulchrum, eo ſenſu quo ſepulchra Martyrum memoriæ dicuntur, etiam apud Latinos vt Auguſt. lib. 22. de Ciuit. c. 8. In eo porrò tumulo Antonius à dæmone grauiter aliquando pulſatus, vbi ſequenti die, prout habet Græcus textus Athanaſij, familiaris eius ὁ γνώριμος, panes offerens ianuam aperuiſſet, & humi iacentem reperiſſet, humeris impoſitum in pagi templum ſiue Dominicum κυριακὸν detulit, ſed ſibi redditus Antonius ne dæmoni ceſſiſſe videretur ad ſuum ſepulchrum referri voluit. Iacobus exercitator, cuius meminere Menæa 28. Ianuarij, & Metaphraſt. vitam incerto Authore refert, in ſpelunca quadam quindecim annos prope Porphyreonem habitauit. Eſt autem Porphyreon vrbs Phœniciæ ex Stephano lib. de vrbibus, cuius etiam meminit Polyb. lib. 5. Tyrius lib. 9. de bello ſacro cap. 14. & lib. 10. cap. 6. & 10. dixit Caipham, fortaſſis à Caipha quondam inſtaurata fuerit; iuxta mare ad radices Carmeli, in parte Aquilonari ſita fuit, in ea ſpelunca meretricem à Samaritanis ad ſe ſubmiſſam, & in exteriorem cellam admiſſam, ad meliorem frugem, ſua conſtantia adduxit, ſiniſtram manum flammis amburens, ne dum animi deliquium fingentem fouet, libidinis igne ipſe torreretur. Deinde cum ſe à Porphyreonis accolis honorari videret fugiens abiit ad quadraginta milliaria, cumque apud petras, quæ ſunt ad ripam fluuij ſpeluncam magnam inueniſſet, triginta annos eam habitauit, herbis quæ ad ripam naſcebantur vitam tolerans donec hortulum quemdam conſeuiſſet; fluuium illum Ciſonem, alij Iordanem eſſe contendunt; in ea ſpelunca, vt humanæ mentis inconſtantiam mireris fœdum facinus admiſit; nam puellam quam à dæmone liberarat

compreſſit & vt crimen celaret illam cum adoleſcentulo fratre occidit, & in profluentem proiecit, indeque deſperatione fractus ſæculum repetiit, ſed tãdem Monachorum in quorum monaſterium diuerterat precibus, & ſenis cuiuſdam cuius cella exceptus fuit exhortationibus, in ſpem veniæ erectus, cum in via vetus quoddam ſepulchrum, in modum ſpeluncæ grandioris compoſitum inueniſſet, in eo ſe incluſit, & inter mortuorum Caluarias, ac cineres pœnitentiam egit per decem annos; bis in hebdomada ianuam ſpeluncæ aperiens, olera quæ circum illam erant, colligebat in cibum, donec Epiſcopus vnà cum clero illum diuino iuſſu adiit, vt eius precibus pluuiam è cælo eliceret, vti factum eſt, & poſt paulo accerſito Epiſcopo, à quo in eadem ſpelunca ſuum corpus ſepeliri poſtulauit ſanctiſſimè obiit, clarus miraculis, eáque ſpelunca ſiue tumulus in ſacram ædem compoſita fuit: Petrus ille Galata quem Theodoretus ter & ſæpiùs beatum appellat in Philotheo cap. 9. vbi Palæſtinam luſtraſſet, vt in illis locis quæ Chriſtus ſuis veſtigiis triuerat veluti vmbram aliquam ſponſi cuius amore languebat reperiret, Antiochiam venit, ibique non tabernaculum extendit, aut tugurium fixit, aut domunculam excitauit, ſed in alieno ſepulchro, ἐν ἀλλοτρίῳ τάφῳ, totum vitæ tempus tranſegit cuius pars ſuperior prominens habebat tabulatum cui connexæ ſcalæ aditum iis dabant qui aſcendere vellent. Zeno relictis ampliſſimis opibus, & Ponto patria, magni Baſilij Cappadociam irrigantis fluentis imbutus, Valente ſublato, cingulum militiæ poſuit, & ex palatio in ſepulchrum quoddam ſe conferens cuiuſmodi in vicino Antiochiæ monte ſunt plurima, ſolus ibi, degebat animam purificans eiuſque aciem expurgans, & diuinæ vacans contemplationi, Deique aſcenſiones in corde ſuo diſponens, & alas optans inſtar columbæ, in diuinam requiem euolare cupiens. Ita Theodoret. cap. 12. Philoth.

Quintò S. Gerlacus Traiectenſis, poſt varias peregrinationes patriam repetens, in proprio ſui iuris fundo, inquit Anonymus in eius vita cap. 5. *Quercum veternoſam magna groſſitudine circa radices diſtentam ampla capacitate cauari, & in eam magnam congeriem lapidum fecit comportari, deſuper autem mattam compons, & in hoc lectiſternio membra dedit ſopori ad carnem cilicio indutus, & deſuper lorica ferrea coopertus.* 17.

Sextò, nonnulli ita ſe ſepto, aut maceria includebant; vt tamen ſub dio omnibus cæli, & tempeſtatum iniuriis expoſiti incredibili tolerantia permanerent. De Baradato, Marana & Cyra, dicam inferius. Euſebius vbi aliquando ſub aliorum diſciplina vixiſſet dorſo montis occupato, quod prægrandi vico Aſicha adiacet, maceria contentus, cuius lapides ne luto quidem compacti erant ſub dio reliquum vitæ ſpatium eſt emenſus. Limnæus ſæpiùs viſitatus à Theodoreto diſcipulus admirandi Thalaſſij, qui in colle aſpero, & difficili circa vicum Tillimam aſceteriũ habitaculũ τὸ ἀσκητικὸν καταγώγιον, extruxerat, vbi eius virtutẽ expreſſit, ad magnum Maronem acceſſit, eiuſque æmulatus vitam alterum cacumen occupauit imminens vico quem Targulam vocauit, vbi ætate Theodoreti adhuc perſeuerabat nec domunculam, nec tugurium nec tabernaculum habens, ſed maceria nuda circundatus, ex lapidibus ne luto quidem 18.

quidem copulatis, ianua ſemper luto obducta per exiguam quamdam feneſtram cum aduenientibus loquens. Maro porrò ille ad quem Limnæus ſe contulit cuiuſque vitam expreſſit, primus vitæ ſubdialis author fuiſſe videtur Theodoreto. Ille conſcendit verticem montis dæmonibus conſecrati, atque extructo inibi exiguo tabernaculo, quo raro admodum vſus eſt, ſub dio manens, vixit. Huius diſcipulus quoque fuit magnus Iacobus cuius adhuc viuentis virtutes deſcribit idem Theodoret. in Philoth. cap. 21. & magiſtrum ſuum Maronem laborum magnitudine, & conſtantia obſcuraſſe dicit: habuit ſiquidem Maro pro muro vetuſti erroris delubrum & ex pellibus ciliciinis tabernaculum cuius beneficio iniurias cæli arcere poſſet: at vero Iacobus cælum pro tecto habuit aëris diuerſis impreſſionibus expoſitus; aliquando frigore, gelu, & niue rigidus, aliàs ſolis æſtuantis ardoribus toſtus, tanquam in alieno corpore naturam corporis animi alacritate ſuperans: hic tamen non ſubitò difficile illud certamen ſuſcepit, ſed per minores labores ad illud ſe comparauit; in anguſta enim domo ſe primùm aliquandiu incluſit, & exercuit antequam montem illum ad vitam ſubdialem conſcenderet, nulla vero, aut maceria, aut ſepto circundabatur, aut oculis ſpectantium ſiue ſanus, ſiue æger, ſiue ſtans, ſiue quieſcens, aut orans ſe ſubducebat; ad neceſſitatem vero naturæ expectabat, donec concubia nocte turbæ diffluerent, narratque Theodoret. cum febri æſtuantem inuiſiſſet vix mediis ſolis ardoribus, perſuaſiſſe, vt ſecum qui æſtum ferre non poſſet vmbram aliquam tribus arundinibus defixis & duabus pellibus illis impoſitis, captaret, atque cum ſedente, & iacente iaceret ne iuuenis ipſe delicatior annoſo, & ægroto ſene videretur, annuitque Iacobus ne tantum hoſpitem deſpicere, aut rubore ſuffundere velle videretur. Aliquando niue obrutus per triduum iacuit, aliàs ligonibus niuem amolire vicinos neceſſe fuit. Eandem viuendi ſubdio rationem tenebat eodem tempore Ioannes quidam; cum enim aſperam crepidinem occupaſſet frigidam, & boreę aduerſam in ea cælo expoſitus viginti quinque annos cum ſcriberet Theodoretus, tranſegerat: & cum neſcio quis Amygdalum propè eius lectum plantaſſet, illaque grandior facta vmbram præberet, & viſum oblectaret, ab ipſo exciſa fuit. Numerat & alios Theodoret. in Ioanne iſto tunc etiam viuentes: Moyſem, qui in vertice quodam vico Ramæ imminente decertaret. Antiochum virum grãdæuum qui in deſertiſſimo monte maceriam extruxerat, & Antonium, qui in ſenili corpore iuuenum inſtar deſudabat, quos omnes inter incluſos, numero, quia licet nullo clauderentur loco, in cacumine tamen montis ita ſe ſub dio continebant, vt inde non deſcenderent, neque loco quem ſibi deſignarant, vnquam exirent.

Septimò qua etiam de cauſa inclusis ſtylitas accenſere poſſumus; illi enim columnæ cui inſiſtebant ambitu ita ſe includebant, vt ab illa nunquam deſcenderent. De ſtylitarum nomine Roſueid. in notis ad vitam Simeonis. Rader. cap. 4. 3. partis virida. Theophil. Raynaud. in Brunone ſtylita myſtico puncto. 1. num. 3. aliique diſputant. Certum eſt ſtylitam hoc loco eum eſſe, qui columnæ inſiſteret, vt dixit Suidas. ὁ ἐπὶ κίονος ἱστάμενος, fuit quidem ſtylo- 20.

 cypus.

cypus tumulis impoſitus cum inſcriptione; στήλαις etiam ignominiæ cauſa nocentum facta inſcribantur:quare στήλαι tabulæ ſeu columnæ pro ſcriptionum ſunt, ideoque λογὼν στηλευτικὸν & Epiſtolam στηλευτικὴν pro ſcripto famoſo, quo rei crimina publicè legenda proponuntur, accipiebant: quæ ſtylarum, & columnarum famoſarum ſignificatio aliena eſt ab hoc loco vt vides, vnde non dicuntur, ἀπὸ τῆς στήλης, ſed στύλους, noſtri iſti ſtylitæ.

20. Forma, & altitudo columnæ varia fuit; nam illa quam Simeon huius inſtituti Author aſcendit, fuit primo ſenum cubitorum, mox duodenum, poſtea vicenum duum, poſtremò tricenum ſenum, aut vt Niceph. aliique tradunt quadragenum. Modius, ſeu cella, ſiue domicilium columnæ impoſitum in quo conſiſtebant in omnem partem binos cubitos, ſeu tres pedes patebat, tecto nullo, vt liberè cælum contemplarentur, & omnibus cæli iniuriis expoſiti, maiorem haberent tolerantiæ ſegetem, & meſſem. Ianuas habebant nonnulli, nullas alij quod tempeſtatas violentia parietis partem diſieciſſet, ſcalæ admouebantur cum vel alij ad ipſos enitebantur, vel ipſi ad alios ſe demitterent; quod quidem vel nunquam, vel ad ſumma Reipublicæ pericula deuocati factitabant. Statione porrò æterna ſe cruciabant, nec enim iacendi vel decumbendi ſpatium erat: poterant tamen ſedere; ſediſſe verò nuſquam lego, nunquam puto. Nam primis quadraginta diebus Simeon ad trabem ſe alligari curauit, alteríſque quadraginta,mox liber abſque adminiculo conſiſtebat,medio corpore ſupérne veluti Eccleſiaſtes in ambone conſiſtebat, hæc compendio tradit Raderus, quæ inſtituto noſtro ſufficiunt. Obſeruo duntaxat aliquandò modio, ſiue, cellulæ ſupra columnam excitatæ fuiſſe tectum impoſitum; id enim Daniel Stylita indulſit lacrymis, & precibus Leonis Imperatoris. S. Alypius Cyonita eiuſmodi tectum à ſua columna diſiecit, ne lapides à Satana iactatos prohibere videretur, nullus erat illi medio peribolus, quod vermes è corpore Simeonis in columnam, indéque in terram decidentes arguunt, & extenſio dextri pedis, vt currum igneum illuſione dæmonis illi oſtenſum, conſcenderet; quem deinde pedem in pœnam ſuæ credulitatis, extenſum, & ſublatum tamdiu ſuſtinuit, donec tabes, & putrefactio ſiniſtri pedis, cui per annum inſtiterat dextrum illum ſublatum, & extenſum extra ambitum modij retrahere, vt illo niteretur,coëgit. Duæ aliquándo columnæ inuicem commiſſæ ſuſtentabant columnam, in qua conſiſtebat Stylita, quod in columna Danielis facilè fuerit obſeruare. Erat quoque circa colũnæ baſim ſeptum quoddam quo prohibebantur accedentes ad columnam; admittebantur verò quibus licebat propius cum Stylita agere, eo arcebantur mulieres. Circa illud monaſteria, & Baſilicæ ædificabantur nonnunquam, quæ omnia ex variis ſtylitarum actis annotaſſe me memini, diſquiſitione ſuperiori, neque hoc loco repetenda videntur. Antequam verò Simeon qui vti iam monui primus, columnam conſcendit, hoc vitæ genus amplecteretur,ad rupem præcelſam trecentis ſtadiis Antiochia diſtantem contendens, in ea vitam ducere ſtatuerat, faſtigiúmque montis vallo quodam in orbem cinxerat, intráque illud ferreis vinculis ſe alligarat; ita vt

ita vt extra ſeptum volens etiam veſtigium ponere non poſſet. Hac cuſtodia Simeonem exemit Meletius Antiochenus, negauítque opus eſſe compedibus ei quem diuinus amor loco affixiſſet, & affixum facilè teneret. Soluit itaque Catenam; ſed vt turbis ſe ſubduceret columnam aſcendit. Ex quibus vides Simeonem inter incluſos iure optimo cenſeri, cum ſemper aliquo ferè loco ſe incluſerit, licet incluſoria mutarit. Nempe primò ſubiit ciſternam, tum ad Zalameſſum vicum ad montis radices poſitum gurguſtio foribus obſtructis incluſus, quadraginta diebus ieiunus perdurauerit; donec Baſſus Presbyter effracta ianua vix ſpirantem repertum, quâ licuit arte fouit, & animam extremis labris inerrantem retinuit; inde in Antiochenæ rupis faſtigio ſe cathenæ deuinxit; & denique columnam conſcendit illique inſtitit.

Néſcio verò vnde Petrus Galeſinius ſumpſerit quod ſcribit, cauæ columnæ incluſum, quadraginta annis fuiſſe; neque veriùs Franciſc. Maurolicus in Martyrologio 5. Ianuar. in puteo ſicco pluribus annis vixiſſe dixit, cum paucis diebus illo hæſerit.

21. Octauò maximè tamen communia incluſoria, vel recluſoria fuere cellæ, aut domunculæ ſiue in ipſis pagis & vrbibus, ſiue in locis vicinis, aut etiam remotioribus ædificatæ; quarum variæ quoque fuerunt ſtructuræ, vt incluſorum acta repetenti facilè fuerit obſeruare. Et quidem apud Theodoret. Baradatus primò quidem in domuncula ſe incluſit, ἐν οἰκίσκῳ ἑαυτὸν καθείρξας. Deinde ſuperpoſitam rupem aſcendens parua quadam arca, aut Caſa corporis menſuram non æquante ſe condidit; κιβωτὸν βραχεῖαν οὐδὲ τῷ σώματι συμμέτρον, vocat Theodoretus; quare cum altitudinem corporis proceritati parē non haberet dorſum perpetuo incuruare cogebatur; neque illa ex compactis aſſeribus conſtabat; ſed cancellata erat, ideoque neque pluuiam, neque ſolis æſtum arcebat illóſque æquè excipiebat, atque ſi ſub dio fuiſſet Baradatus, hoc vno ſuperior quod illi incluſionis moleſtia accederet. Marana & Cyra Beræenſes virgines prope eam vrbem locum quemdam circumſepſerūt, & in eum intrantes ianuam luto, & lapidibus obſtruxere, famulas autem eiuſdem inſtituti participes extra hoc ſeptum in paruo habitaculo collocarunt, illáſque per feneſtellam contuentes ad orationem excitabant; ipſæ verò & ſub dio manebant, & per feneſtram victum accipiebant, & per eandem cum fœminis aduentantibus colloquebantur. Domnina diuini Maronis cuius nuper meminimus vitam æmulata, paruum tugurium καλύβην in maternæ domus horto, ex culmis paucorum μελίνων ſibi excitauit. Marcianus relicto patricij generis ſplendore, atque palatio media in ſolitudine paruam ſibi domum, quæ corpus procerum non æquaret extruxit, illámque paruo ſepto cinxit, atque ita ſe incluſit, & ab omni humana conſuetudine ſubmouit; vt neque ſtare, neque iacere totus, atque pedes extendere poſſet ob domus anguſtias. Magnus Euſebius incluſus fuerat cum fratre, nec vlli loquens, neque lucem aſpiciens, quod nimirum omni feneſtra careret eius cella. Publius ex ſenatorio ordine procreatus in editiore quodam colle triginta ſtadiis diſtante à natali vrbe quam Zeugma à ponte, quem ex nauibus connexis Euphrati Xerxes in Græciam tranſmiſſurus, impoſuerat, dixerant

xerant Incolæ, domunculam extruxit in qua omnibus diuenditis facultatibus, ita ſolus habitauit, vt ne vllum quidem diſcipulum ſecum accipere voluerit, ſed eos in proximis cellis ſolos etiam habitare iuſſerit. Palladius incluſus vixit in cellula in vico maximo, & populoſo πολυανθρώπῳ, cui nomen Imma. Aphraates illuſtri genere Perſa, abiecta patria Edeſſam Religionis cultu inclytam venit, atque extra eius mœnia domunculam nactus in ea ſe incluſit, indéque Antiochiam aduerſus hæreticos, pugnaturus veniens eodem modo ſe incluſit, neque vllum ſecum habere ſuſtinuit, vti dicam iterum inferiùs. Theodoſius Antiochenus in ſaltu quodam circa mare ad Rhoſum vrbem Cilicum, in domuncula ſe condidit. Romanus Rhoſi genitus extra vrbem, & Antiochiæ mœnia in monte ſedem fixit, & aliena in cella, eáque anguſta perpetuò vixit. Acepſimæ cella foramen habebat per quod cibum caperet, ſed per Mæandros, & ſinus inſtar incuruæ lineæ flexuoſum, vt contra ſtanti eſſet inaſpectabilis. Salamanes in vlteriore vico Caperſana ad Euphratis ripam cella latuit, nec oſtio, nec feneſtra relictis. Mares ad vicum Homerum in domuncula per annos triginta ſeptum, ſe continuit ex vicino monte ſtillantibus perpetuò aquis plurimum incommoda. Hæc compendio reddidimus ex Theodoreto: Turonenſis verò lib. de vitis Patrum cap. 8. Martium in monte lapideo ſibi cellulas habitandi cauſa excauaſſe narrat; & cap. 11. Monegundem orbatam duabus puellis, quas ex coniuge ſuſceperat, cellulam exiguam relicta feneſtella ſibi præparari iuſſiſſe, in qua reliquam peregit vitam. Iuetta nobilis, apud Belgium fœmina in leproſorio primum cui inſeruierat ſe abdidit; deinde vicina cella clauſit. Ex quibus omnibus, neque enim plura attinet percenſere, quam ingenioſi fuerint iſti incluſi in cellis ædificandis ne commodè in illis habitarent, comperies.

§. V.

Ritus, & modus Incluſionis.

VEnio ad ritus, ſiue vt aiunt ad ſolemnia huius incluſionis. Initio quidē huius inſtituti nihil aliud ferè video obſeruatum quàm quod plures prius, aut in vita Cœnobitica, aut ſub alicuius magiſtri diſciplina erudirentur antequam ad eam aſceſim, & incluſionem peruenirent: neque abſque venia ſui Præpoſiti illud vitæ genus amplecterētur; quamquam & aliqui, & maximè primi Authores eiuſmodi inſtituti ſpiritu diuino incitati nullo alio poſito tyrocinio in eas latebras ſe abdiderunt, atque inſolitæ vitæ, hominum conſuetudinem omnem fugientes, primi duces fuere, quos deinde alij ſunt æmulati vti dicebamus cap. 1. huius diſquiſitionis de Anachoreſeos initiis diſputantes. Vti tamen frequentius fuit, hoc vitæ genus & in medias vrbes inductum, ſeruata ſunt aliqua veluti ſolemnia in eo amplectendo; tum vt horum incluſorum veluti initiatio ſanctior, auguſtiorque redderetur; tum vt fraudes omnes & pericula facilius vitarentur. 22.

Turonenſis agens de S. Fiardo, Sabaudo Abbate, & Secundello Diacono incluſis in inſula Nannetici territorij, ait illos, *pœnitentiam accepiſſe*. Vnde colligi videtur eadem omnino ſeruata fuiſſe in hac veluti ſolemni incluſione, quæ in profitendo 23.

do pœnitentium ſtatu, de quo cap. 2. fuſiùs diſputauimus. Trull. Synod. cap. 41. eum qui ſiue in vrbibus, & vicis, ſiue alibi in clauſuris ἐγκλείστοις, ſolus manere voluerit iubet prius in monaſterio Anachoreticam vitam triennio agere ſub prælati obedientia: atque ita probare ſe illud inſtitutum ex animo, & pietatis ſolius cauſa amplecti velle; deinde vno anno probari vult extra clauſuram, vt manifeſtum fiat omnibus illum non propter inanem gloriam, ſed propter *ipſum pulchrum, & honeſtum* eiuſmodi ſilentium ambire. Et tunc demum includi ab Epiſcopo nempe, vt benè obſeruat in ſcholiis Balſam. vbi ait in externis regionibus è veſtigio, & ſtatim includi abſque Epiſcopali permiſſione, & ſolitis canticis. At cum ibidem Synodus prohiberet hos ita incluſos è ſuis cellis abſque Epiſcopali benedictione egredi, vt dicam §. ſequenti, ſatis ſignificat, neque includi inconſulto Epiſcopo debuiſſe. Sanè in occidente Agathenſe Concilium quod ducentis ferè annis præceſſerat Trullanum; habitum enim eſt anno Chriſti 516. Symmacho Pontifice; Trullanum verò an. 690. iam pridem edixerat cap. 38. ne liceret Monachis ad ſolitarias cellulas à congregatione diſcedere, niſi fortaſſis probatis poſt emeritos labores, aut propter infirmitatis neceſſitatem aſperior ab Abbatibus regula permitteretur. Quo etiam caſu voluit eas cellas ſeparatas intra ſepta monaſterij conſtitui, atque ita hos incluſos ſub Abbatis poteſtate manere. Quæ eadem iiſdemque omnino verbis ſanciuerat Concilium Veneticum, Leone I. Pontifice an. 400. cap. 7. eſt autem hæc Venetia in Gallia ad Oceani Gallici littus de qua Plin. lib. 4. c. 18. & Strabo lib. item 4. eius Epiſcopus Venetienſis dictus, Turonenſi Metropolitano ſubeſt. Toletan. 7. quod etiam Trullanum præceſſit, coactum enim fuit an. 652. ſextò, aut quintò Chindaſiundi Regis inuehitur contra eos, qui antequam in Cœnobiis inſtituerentur includebantur, & ne deinceps, id fiat ſeueriſſimè cauet cap. 5. *Iubemus eos, quos in cellulis propriis recluſos ſanctæ vitæ ambitio tenet, quoſque eiuſdem ſancti propoſiti & merita iuuant, & probitas ornat, hos & Dei auxilio, & noſtro fauore tutos exiſtere: Illos verò quos in tale propoſitum ignauia impulit, non prudentia cognitio deputauit, quoſque nulla vitæ dignitas ornat, ſed quod eſt deterius, & ignorantia fœdat, & morum execratio turpat, decernimus ab his abijci cellulis, atque locis in quibus, aut feruntur, aut tenentur incluſi.* Deinde vult ab Epiſcopis, aut rectoribus monaſteriorum à quibus diſceſſerunt, aut qui illis propinquiores ſunt ad monaſteria reuocari. Et ne deinceps vllus permittatur, id vitæ genus amplecti, niſi in congregatione probatus, & eruditus fuerit. Neceſſaria igitur erat, vt vides, tum Epiſcopi, tum Abbatis permiſſio, ſiue monaſteria ſubeſſent Epiſcopo, ſiue ab eius iuriſdictione immunia eſſent ſaltem ſi extra ſepta monaſterij, fieret incluſio. 2. ſuberant hi incluſi, aut Epiſcopo, aut ſuo ſaltem Abbati, aut vtrique. 3. incluſio fiebat ab ipſo Epiſcopo, vel Abbate. B. Iuetta, *in cella quam patri quondam ſuo propè Eccleſiam conſtruxerat, per manum venerabilis viri Abbatis Aureæ vallis, qui præſens, tunc aderat ſe fecit includi, colũba Chriſti iam reipſa, & quaſi ſpecie tenus fieri incipiens in foramine Petræ, & in caverna maceriæ*, inquit, Hugo Flo-

reſſienſis Canonicus in eius vita c.14. n.42. & c.21. num.60. *Cellulas duas extra muros Eccleſiæ ad Occidentem fieri inſtituit, vnam ſibi, alteram cuidam Iuuenculæ eximiæ virtutis & gratiæ Agneti nomine, quæ eodem tempore, vt ſibi viueret, mundo moriens in ea de benedictione, & de licentia Domini Leodienſis Epiſcopi incluſa eſt.* Addit & famulam de licentia eiuſdem Epiſcopi in eadem cellula incluſam fuiſſe, vt ſeneſcenti iam Iuettæ miniſtraret. Denique cap.44. num. 113. narrat Epiſcopum Leodienſem eo quod plures in ſua ditione recluſas haberet duriorem ſe in aliis admittendis exhibuiſſe, cuius tamen animum diuinitus Iuettæ precibus mollitum fuiſſe dicit, vt virginem quamdam quæ ad Iuettam confugerat, recluderet.

24. Quartò præter licentiam Epiſcopi, illius quoque benedictio accedebat, quam vti opinor appellabat nuper Balſamon in ſchol. ad Can. 41. Trullan. *Conſueta cantica*: nimirum certis precibus fiebat ea incluſio, vel ab ipſomet Epiſcopo, vel ab Abbate, aut alio quopiam de eorum licentia, & authoritate, erantque hi ritus, vt exiſtimo affines illis quibus benedicebantur Monachi & fœminæ, quæ ſe religioni & monaſteriis, aut alia quapiam ratione diuino cultui deuouebant, de quibus omnibus fuſius in noſtra ſcientia Canonica.

§. VI.

Incluſorum vita.

25. AD extremum quænam foret vitæ forma in iſtis clauſuris, paucis ex antiquis monumentis repetendum eſt. Et primò quidem, aut nunquam, aut rarò admodum egrediebantur. Immò vix ſe conſpiciendos præbebant, cum & cellas haberent nullis feneſtris peruias; aut ita efformatas vt adeuntibus inaſpectabiles forent, aut nullo lumine vtebantur, vt de Euſebio, Acepſima, & aliis diximus. Leumanus ſiue Leomanus cuius obitus 12. Nouemb. colitur ex Pannonia in Gallias, *Captiuus ductus non ſolum in Viennenſium, ſed etiam in Auguſtodunenſium vrbe multo tempore clauſtro peculiaris Cellæ concluſus eſt, ita vt amplius quadraginta annis in vtraque ciuitate coercitus nulli hominum ex prima recluſione vultu, aut corpore præterquam ſola ſermonis voce noſceretur.* Turonenſ. cap. 11. de vitis Patrum narrat Monegundem cum aliquando contiguum Cellæ ſuæ viridarium animi leuandi cauſa ſubiret à fœmina, quadam quæ triticum ſupra tectum ſuum ſiccabat, curioſius inſpectam fuiſſe, atque in pœnam curioſitatis oculorum vſu, & lumine priuatam donec Monegundis impreſſa ipſius oculis cruce viſum illi reſtituit. Non leuiore pœna punitum narrat Theodoret. illum, qui vt deprehenderet quid in ſuo tugurio ageret Aſcepſimas, Platanum maceriæ vicinam conſcendit, nam ſtatim medio corpore tabefactus errati veniam petere coactus fuit, negauitque Acepſimas illum ſanitatem recuperaturum niſi Platanum excinderet, quod & factum eſt. Quibus artibus dæmon Nathaëli egreſſum è ſua cella perſuadere fruſtra tentauit, narrat Pallad. cap. 18.

Aliqui tamen grauibus ex cauſis nonnumquam è ſuis illis carceribus egreſſi ſunt. 1. quidem pietatis ergo: 26.
ſic Marana & Cyra ſacra loca contuendi cauſa Hieroſolymam adierũt nullo cibo ſumpto, niſi oratione inibi

inibi completa, & deinde idem iter quod eſt viginti dierum omnino ieiunæ remenſæ ſunt. Aliàs etiam ad S. Theclæ templum in Iſauria iuerũt, redieruntque ieiunæ, vſque adeo, inquit, Theodoret. diuinum Philtrum illas extra ſe rapiebat. Et diuinus erga ſe ſponſum amor dementabat, ἐξῄμαινεν. Domnina è ſuo tugurio cottidie ſub Gallicinium ad proximum templum ſe conferebat, ſancta Bertillia è ſua cella in Eccleſiam itabat. S. Valericus recluſus in Lemouicenſi tractu in loco quem à Clericis S. Martialis acceperat, ad S. Iuliani Martyris vicinam Eccleſiam diebus feſtis, & aliàs ad ſepulchrum S. Martialis accedebat reliquo tempore perpetuò clauſus. De Tillone cuius ſuperiùs meminimus qui aliquando etiam ſuos Monachos inuiſebat, traditur in eius vita. Benedictus vallis vmbroſæ Monachus, qui annnente ſuo Præſide ſibi tugurium in ſylua conſtruxerat, interdum Cœnobium reuiſebat, Paſchæ diebus præſertim, aliiſque celebrioribus, vt fratrum congreſſu frueretur: & cum ad natale Domini veniſſet, perceptis rite Sacramentis de ſuo exitu monens vſque ad Epiphaniam ſubſtitit, & ad cellam reuerſus ſanctiſſimè obiit, ita Euſebius Locatellus in eius vita. Aliqui vt nominis celebritatem vitarent cellas mutaruntinterdum, quod etiam de Monegunde habet Turonenſis; ſed illam deinde ſuam antiquam repetiit.

27. Secundò alij, vt periclitanti fidei ſuccurrerent, & contra hæreticos pugnarent ſolitudinem abiecerunt, quod de Euthymio, qui fidem Concilij Chalcedonenſis acerrimè propugnauit pluribus habet Cyrillus Monachus in eius vita. De Iuliano, qui è ſolitudine venit ad pugnandum contra Arianos Theodoret. & de Aphraate, qui ſuo voluntario carcere eadẽ de cauſa egreſſus, vbi in Gymnaſio quodam Antiochiæ proximo pauca verba Græca didiciſſet, vrbem ingreſſus illam ſua mirabili eloquentia permiſcuit ſemibarbara licet lingua loquens, & omnium ordinum homines in fide inſtituit, confirmauítque. Eius aduerſus Valentem certamina deſcribit fuſiùs Theodoret.

Tertiò alij, vt ſuam probarent pontificibus obedientiam exierunt è latebris ſuis; ita Baradatus iuſſu Theodoti Antiocheni aliquando exiit è cella ſua. Quod ſi aliqui hunc egreſſum ſibi perſuaderi paſſi non ſunt ab ipſis etiam antiſtibus; id factum imprimis quod ipſi eos precibus inuitarent, potius, quam vrgerent præceptis, neque eam inſtituti conſtantiam improbarent quod de Martino, qui virginis incluſæ ad quam diuerterat, & quæ ad ipſum ſalutandum non exierat, immò neque in colloquium admiſerat, inſtitutum laudauit, nuper referebamus. Deinde quia ex ſpelæis illis euocabant nonnunquam Antiſtites quos ſacris initiarent, & in luce populi, cuius curam illis demandare volebant, ipſos collocarent. Quem honorem non ſine laude plerique recuſarunt, vt de Marciano narrat Theodor. & Menæa 3. Nouembr. quem Flauianus Antiochenus, Iſidorus, Acacius, Euſebius Chalcidienſis, Iſidorus Cyrenſis, & Theodotus Hieropolytanus Epiſcopi non potuerunt educere è ſuo tugurio, vt Sacerdotem crearent. Alij verò quidam diuino concitati ſpiritu tandem vim ſibi fieri permiſerunt quod contigiſſe Euchero Lugdunenſi dicebamus, qui effracto oſtio 28.

ligatus ad Inſulas Lugdunenſes per vim raptus eſt.

29. Quartò, nonnulli ad vitæ neceſſaria conquirenda exibant. Zeno è ſuo ſepulchro non modò ad Eccleſiam die Dominico, vbi cum populo diuinos audiebat ſermones, ſed etiam ad aquam hauriendam, ex fonte longius diſſito, itabat. Acepſimas ſingulis noctibus ne à quoquam conſpiceretur, ibat adaquatum. Aliqui prætextu pietatis, aut iuſtitiæ, vel charitatis nonnunquam ſuo periculo, & dæmonis arte deluſi relictis cellis ſuis in lucem populorum venerunt, quod de Secundello Diacono in vita Fiardi narrat Turonenſ. & nos de deluſione Victorini fratris ſancti Seuerini diximus. Quæritúrque de his deluſionibus Sulpitius Dialog.1. c.15. habes illuſtre exemplum in Iuettæ vita cap.24. Clericus enim inſano virginis incluſæ amore captus, illam prætextu vanæ gloriæ vitandæ è ſuo cluſorio abduxit, ſed precibus B. Iuettæ ſeruata diuinitùs fuit; vbi enim diutius cum perdito Clerico profuga errallet, ſimul atque illius impudicum animum aduertit, ſe quoque deluſam agnouit, & conſtanti animo ſe integram ſeruauit donec Metas peruenirent, vbi virgo ad incluſum quemdam magni nominis profugit, qui re audita, ipſam apud incluſam aliam ſeruari iuſſit, & Clericum qui ſuam eſſe vxorem mentiebatur probris oneratum expulit, & tandem virginem reduci in patriam curauit. Vt porrò omnes iſti vani, & periculoſi prætextus egrediendi incluſis præſcinderentur, ſtatuit Trullana Synodus can. 41. ne qui ſemel ea ratione quam ibi præſcribit Synodus, & quam nos illuſtrauimus §.ſuperiori, incluſi fuerint, è ſuis cellis exeant ſine benedictione Epiſcopali, & duabus tantum ex cauſis, nimirum propter vtilitatem communem, vel aliquam neceſſitatem ad mortem vrgentem, alioquin etiam inuiti ea clauſura coërceantur, & ieiuniis, aliiſque afflictionibus σκληραγωγίαις caſtigentur.

Quintò neminem, aut non niſi infrequenter admodum inſignes aliquas perſonas, aut omnino neceſſarias in ſua tuguria admittebant. Euſebius quidem cum fratre Germano incluſus initio fuit, ſed eo decedente neminem admiſit; donec Ammiani precibus, palæſtræ quam ipſe inſtituerat curam admiſit. Publius cum in Zeugmate prope Euphratem vti diximus, domuncula ſe incluſiſſet, & multos qui ſub eo virtutis tyrocinia ponere vellent ſui fama nominis excitaſſet nullum omnino paſſus eſt ſecum ſub eodem tecto habitare, ſed exiguas cellas ſuæ proximas ſingulis ædificauit, quas etiam ſubinde luſtrabat, malebátque ipſe exire è cella ſua quam quemquam in illam admittere. Aphraates quem referebamus è ſua cella ad impugnandam hæreſim Antiochiam veniſſe; ſolus tamen habitabat, nullóque miniſtro vtebatur; nam & illum cuius maximè obſequiis fouebatur aduerſus Valentem pugnaturus, dimiſit. Et ſanè plerique obſtructa habebant cellarum, atque etiam ſuarum maceriarum oſtia; quare non poterant etiamſi voluiſſent aduenientes admittere. Eucherius diſiecto ſpecus oſtio eductus eſt. Iuettæ murus ſubruendus etiam fuit ad eius extremam confeſſionem excipiendam. Mirum eſt, quod de Palladio Immæ incluſo, refert Theodoret. cum enim quidam prædones redeuntem è nundinis mercatorem occidiſſent, vt eius auro potirentur, illius 30.

cadauer

cadauer ad cellam Palladij abiiciunt de nocte, vbi verò illuxit circumfuſa multitudo effracto oſtio Palladium reum cædis depoſcit. Palladius verò apprehenſa hominis occiſi dextera iuſſit illum ſuæ necis authorem deſignare, qui ſtatim erecto corpore reſidens, & omnes circumſpiciens intento digito ſicariūm demonſtrauit, qui & aurum adhuc habere, & gladium cruore tinctum deprehenſus eſt.

31. Dixi tamen aliquos nōnumquam fuiſſe admiſſos ab incluſis, ſed cum maximo delectu, & grauibus ex cauſis, primò quidem eos, qui eandem vitam ſectari vellent aliquando non recuſarunt; Marcianus enim duos admiſit contubernales, Euſebium qui illius tugurij fuit hæres, & Agapetum, qui leges ab eo latas tranſtulit Apamæam, & Nicertæ duo maxima Philoſophiæ gymnaſia poſuit. Ita tamen hos admiſit ſocios, vt in eodem tecto cum illo non habitarent; neque eodem voluntario carcere clauderentur: erat enim ita anguſtus, vt ne ipſi quidem ſiue ſtanti, ſiue iacenti ſufficeret; aliud itaque tugurium extrui paſſus eſt in quo ipſi degerent, atque nouis deinde confluentibus diſcipulis tertium, ſed remotius in quo, qui vellent habitarent, cui præfecit Euſebium, qui ſolus haberet poteſtatem magiſtrum adeundi, & quæ vellet interrogandi. Petrus in alieno ſepulchro degens furibundum quem ad mentem ſanam ſuis precibus reduxerat, & qui eius ſe obſequiis mancipauit ſuum fecit contubernalem συνόικον. Theodoſius admiſit quoque ſocios, & eiuſdem inſtituti ſectatores, & illos diutius ad vitam religioſam erudiit; itaque monaſterium extruxit, quod pluribus aliis quoque contigit, quorum cellæ deinde in Cœnobia commutatæ ſunt, alij verò ſuos diſcipulos in proximis cellis habitantes regebant, quod alibi monuimus. Leomanus ſeu Leomanus de quo nuper, Monachis iuxta cellam ſuam aliquot præfuit: Monachas verò procul intra vrbem monaſterioque conſeptas vltra ſexaginta admirabili ordinatione gubernauit, ita Author vitæ ſancti Eugendi cuius fuit coætaneus, & cui Caracallam, vel ſcapulare Cilicinum dono miſerat. S. Seuerinus iuſſus eſt diuinitùs relicta cella monaſterium ædificare, quod de Publio, Euthymio aliiſque huiuſmodi notum eſt.

Secundò admittebant quandoque viros, aut dignitate, aut ſanctitate illuſtres; nam Marcianus Auitum, qui in altera ſolitudine primus fixerat tugurium, & illius fama accitus illum inuiſebat, oſtio aperto ſuſcepit, & tres dies retinuit. Ipſe Theodoretus narrat ſe à Zenone habitante ſepulchrum exceptum fuiſſe, dum adhuc Lector foret, ipſique vix prima lanugo ſuccreſceret, ægréque à Zenone iam grandæuo, & qui quadraginta annos in exercitatione peregerat obtinuit benedictionem, quod Clericum eſſe Theodoretum exciperet. Admittebat & hic Zeno alios ad diuinos de Philoſophia ſermones quantum ex narratione Theodoreti licet coniicere; ait enim ſe in eius ſepulchro vidiſſe lectum ex fœno ſtratum, & ſtoream lapidibus impoſitam, ne læderentur qui in illis conſiderent: dum nimirum Zenonem conueniebant. Frequente quoque conſuetudine maris ſe vſum fuiſſe teſtatur idem Theodoretus, qui obſtructam ianuam eo volente aperiebat, & in illius nonagenarij ruebat amplexus, atque vt aliquando eius 32.

deſiderio ſatisfaceret in ipſius cella diuinum, & myſticum ac ſalutare ſacrificium obtulit Diaconorum manibus vtens pro altari; τῶν διακόνων χερσὶν ἀντὶ θυσιαστηρίου χρησάμενος. Quod mirum videri non debet cum feratur Lucianum Martyrem ſuo ipſius vſum pectore in carcere ſacrificaſſe. Redeo ad Theodoretum, cui vni Limnæus ianuã ſuæ maceriæ, in qua ſub dio degebat, licet luto ſemper obſtructam aperiebat, aliis nunquam; quam etiam quoque humanitatem, & reuerentiam eidem Theodoreto Marana & Cyra, & Iacobus recluſus prope Nemuzam vicum exhibuere. De Euſebio quoque qui aliàs Cœnobita fuerat, & deinde factus ſubdialis, ait Theodoretus cap. 18. Philoth. *Paucis quibuſdam notis fores recludere, & intrare permittebat quos diuinorum eloquiorum diſciplina inſtructos dimittens ianuam luto iterum obſepire iubebat.*

34. Tertiò, nunquam viri mulieres, neque fœminæ viros in ſua cella excipiebant, ſed aliquando graui neceſſitate vrgente in exteriore aliqua cella, aut mandra quod de ſtylitis alibi monuimus, & de Marciano ſcribit Theodoretus, ne quidem ſororem ſuam videre ſuſtinuiſſe, & nec eius munera accipere. Imò addit ſolemne fuiſſe monaſteriorum præſidibus nunquam cum mulieribus loquĩ; ne verò prætextu hoſpitalitatis incluſa fœminas recipiat prohibet author de vita eremitica; cap. 6.

35. Quartò, nonnunquam ad grauiſſimam neceſſitatem admittebant eos quorum opera indigebant; quamquam ſæpius opus fuerit ipſum effringere aut oſtium, aut murum; quod de aliquibus ſuperiùs indicauimus; famulos autem in vicino habitaculo conſtituebant, quod de Marana & Cyra ait Theodoretus; quæ etiam ſuas famulas per feneſtram inſpicientes ad orationem incitabant. De Monegunde ait Turonenſ. eam aliquando à famula deſtitutam, quæ durioris illius vitæ pertæſa per plures dies abiit, & abſque aqua reliquit, quam impetrauit diuino ferè miraculo Monegundis.

Tertiũ caput incluſorum, vitæ erat 36.
ſeuerum ſilentium. Salamanes nulli vnquam loquebatur, neque Acepſimas apud Theodoretum. Cyram nemo loquentem vidit, Marana ſola cum aduentantibus agebat. Adeóque fuit obſtrictum Salamanis ſilentium, vt Antiſtes effracta domuncula illum Sacerdotio initiarit, neque vllam ab eo vocem expreſſerit, ſicut neque ipſius ciues qui fluuio tranſmiſſo, & domuncula perfoſſa illum in ſuum vicum detulerunt, & in ſimili cella incluſerunt perpetuò ſilentem. Quod paucis poſt diebus alterius cuiuſdam vici incolæ præſtiterunt, neque ille in vocem vllam vnquam erupit. Alij non niſi ſtatis quibuſdam diebus cum aduentantibus colloquebantur. Marcianus præſcripſerat tempus poſt feſtum ſalutaris paſſionis, & Dominicæ reſurrectionis; tota quadrageſima ſilentium ſeruandum præſcribit, author vitæ eremiticæ ad ſororem cap. 13. Marana & Cyra Feriis Pentecoſtes, ſolum cum externis loquebantur. Alij alias etiam definitas horas habebant; quidam ita loquebantur, vt tamen neque viderent ſibi loquentes, neque illis ſe videndos permitterent; ſed per feneſtras aut foramina, aut obliqua, aut ita compoſita, vt loquentes aſpici non poſſent, quod iam obſeruauimus de Acepſima; de Marana, & Cyra quoque refert Theodoretus, ſicut & de Limnæo Euſebio atque Iacobo, & Aſcle-

pij

pij diſcipulis, de Iuetta cum filio agente, vt illum ad meliorem frugem reduceret in eius vita traditur, num. 55. de Lupicino Gregor. Turonenſ. cap. 7. de vitis Patrum. Sermones verò horum hominum non niſi de Philoſophia, vt ait Theodoretus, hoc eſt de ſacra exercitatione erant.

37. Quare ludicra, & confabulationes inutiles reiectæ ab illis perpetuò fuerunt, quas etiam fuſiùs author vitæ eremiticæ ad ſororem damnat, cap. enim 2. quæritur incluſas, *tota die per vices, & ciuitates per fora, & Nundinas lingua diſcurrere*, cap. 3. vix aliquam incluſarum ſolam inueniri, *& ante cuius feneſtram non anus garrulla, vel nugigerula mulier ſedeat quæ eam fabulis occupet, rumoribus aut detractionibus paſcat, illius vel illius Monachi, vel Clerici, vel alterius cuiuſlibet ordinis viri formam, vultum, moreſque deſcribat, illecebroſa quædam interſerat, puellarum laſciuiam, viduarum, quibus licet quidquidlibet, libertatem, coniugum in viris fallendis, explendiſque voluptatibus aſtutiam depingat: os interea in riſus cachinnóſque diſſoluitur, & venenum cum ſuauitate bibitum per viſcera membráque diffunditur.* cap. 4. pergit explicare quid eiuſmodi colloquia relinquant in recluſa, & quæ tandem fœditates inde ſequantur: *Cella vertitur in proſtibulum, & dilatato qualibet arte foramine, aut illa egreditur, aut adulter, ingreditur.* Quæ vtinam non conuenirent aliquibus ſacris Parthenonibus ad quarum clathros non mulierculæ modò vt querebatur hic author, ſed compti, etiam iuuenes totos dies aſſident. Plurima alia pia, & ſalutaria tradit citatus author, quæ in colloquiis ſeruari, deberent ab incluſis, cap. 7. 8. & 10. de horis verò quibus loquendum ſit cap. 13. Sed his querimoniis, quæ aliò pertinent omiſſis, cætera quæ ad incluſorum vitam pertinent paucis abſoluamus.

Quartò igitur amictus, ſiue veſtitus vilis & ſeuerus, qualis Monachorum, & pœnitentium ferè fuit, cilicium nimirum & ſaccus. Ita de Martiano Theodoretus. Aphraates tunicam ſibi ab Anthemio è Perſica legatione redeunte allatam recuſauit, eo quod cum duos ſocios habere non ſuſtineret, contubernalem antiquum, quo cum ſexdecim annis vixerat, deſerere popularis ſui cauſa, qui nuper aduenerat, æquum minimè videretur, neque proinde nouam patriam tunicam accipere, abiecta illa qua per totidem annos fuerat vſus; Euſebius pellicea veſte amictus erat, quam nulla alia arte paratam fuiſſe exiſtimarim, idem faciebat Baradatus, qui ſolum circa naſum, & os meatum relinquebat ad ſpirãdum communem aërem. Theodoſius comam nutriebat ſqualidam infra pedes demiſſam, & lumbis alligatam; atque præter veſtem Cilicinam ferri pondus collo ac lumbis adiecit; Romano fuit Cæſaries, magno Theodoſio par veſtíſque & ferrum ſimiliter; pluréſque alij eiuſmodi ferreo pondere, ſe cruciarunt veluti Aceplimas, Iacobus ſubdialis, de quo nuper; narrat ipſe Theodoretus ſe manu in eius veſtem immiſſa deprehendiſſe ferri grande pondus, quod lumbos collumque vinciebat. Cathenæ quatuor à circulo, qui circa collum erat, ad inferiorem circulum pertingentes, ante ac retro decuſſatæ duos inter ſe circulos connectebant.; cubitis quoque ſimilia iniecta erant vincula. Maranam & Cyram, aduertit quoque Theodo 38.

Theodoretus, in ipſarum ianuam Sacerdotij reuerentia admiſſus, tam ingenti ferro grauatas, vt ne ſtrenui quidem viri illud ſuſtinere poſſent, ideoque Cyra, quæ imbecillior erat corpus erigere nequibat, & quamuis hortante Theodoreto pondus illud aliquandiu depoſuerit, paulo poſt idem reſumpſerunt, & ceruici collare, lumbis cingulum, pedibus & manibus vincula denuo iniecere: nudipedes quoque fuere nonnulli: de quodam Abbate nomine, meminit in Euſebio Theodoretus, is pedes nunquam calceis texit quamuis vehementi frigore vreretur.

39. Fœminæ ampliſſimis, & oblongis velis operiebantur; audi Theodoretum in Philoteo cap. 29. de Marana & Cyra quas ſæpius obſeruarat. *Amictus habent oblongos, ita vt à tergo trahantur & pedes prorſus tegunt; anterius verò vſque ad zonam ipſam deſcendunt, faciem & collum, pectus & manus penitus occultantes*, cap. verò 30. de Domninæ, quæ etiam ſub dio in ſuo tugurio viuebat, cilicino veſtitu agens. *Omnium*, inquit, *oculis expoſita eſt, qui conſpicere eam volunt tum viris, tum fœminis; nec faciem vllius aſpiciens ipſa, nec faciem vlli ſpectandam præbens, ſed amictu penitus contecta, & ad genua incuruata.* Author operis de vita Eremitica, cap. 20. incluſarum habitum deſcribens, quem hyeme vult eſſe *Ex groſſioribus pelliceis & pellibus; æſtate vnam tunicam, & præterea ſemper duas de ſtupacio camiſias vel ſtamina*, de velo ſic addit. *Velamen capitis non ſit de panno ſubtili vel pretioſo, ſed mediocri nigro ne videatur colore vario affectare decorem.* Hoc porrò velum vides fuiſſe ſumptum, ne cum externis agens incluſa illis ſe conſpiciendam daret, ideoque ex ſubtiliori panno eſſe non debuit, idémque Author cap. 10. affirmat incluſam facie velata loqui debere cum viris.

Quintò victus incluſorum, non modò vilis fuit, ſed etiam parciſſimus, quam præterea longiora, & ferè continua ieiunia duriorem reddebant. Potum frigida miniſtrabat, imò Theodoretus, ait, illum Abbatem nomine, de quo nuper aquam non guſtaſſe licet ſolitis, & communibus cibis vteretur. Domninæ cibus fuit lens aqua madefacta, ſicut & Acepſimæ, Martiano quarta pars libræ panis in ſingulos dies. Exiſtimabat enim ſatius eſſe veſci quotidie, & nunquam ſatiari, quam longiora ieiunia ſeruare, cùm perpetua illa eſuties ieiunium foret, & tamen vires ad exercitia ſuppeditaret, quæ à ieiunis languidè fiebant. Quæ fuit etiam Publij mens: nam diſcipulos, quos in vicinis cellis erudiebat iubebat bibere, & comedere, ſed nunquam ad ſatietatem, & trutinam circumferebat, vt expenderet definitam panis menſuram; quod ſi farinam ſecretam à furfuribus deprehendiſſet, Sybariticas delicias eſſe exiſtimabat. Aphraates in extrema tantum ſenectute olera ad panem adhibuit, quem illi vnus familiarium ſub ſolis occaſum miniſtrabat. Romanus ad panem ſal quoque addidit. Zeno panem vnum in duos dies accipiebat ab amico, & aquam è remotiori fonte hauriebat ipſe, & coactus aliquando importunis precibus vrnas ſuas alteri tradere, ad tugurij ianuam aquam effudit, vt ad fontem redire cogeretur. Macedonium dicere χριθοφάγον, quod hordeo aqua madefacto veſceretur, in morbo tamen non ægrè alium ſumebat cibum,

bum, ſicut & Euſebius, qui ad cicerem, & fabas aqua maceratas, caricas interdum valetudinis cauſa adiiciebat. Salamanes qui tugurio ſe incluſerat nec oſtio relicto, nec feneſtra, quotannis terram ſuffodiens totius anni annonam capiebat, de ieiuniis autem nihil attinet ſingularius afferre. Moneo duntaxat illa fuiſſe ſolemnia, imò Marana & Cyra ter quadraginta dies, Moyſem æmulatæ, ſine vllo cibo tranſegerunt, de ſtatis ieiuniis habet author de vita Eremitica cap. 16. 17. 18. & 19. de potus & cibi quantitate atque qualitate.

41. Sextò plurima alia pœnitentiæ opera vſurpabant. Domnina continuo lachrymabatur. Romanus neque igne, neque lumine vtebatur, ſed perpetuis ſe damnarat tenebris; Martianus etiam lumine caruit cæleſti ſydere dum legeret de nocte illuſtratus; quidam ſub dio degebant cæli omnibus iniuriis expoſiti, alij perpetuò ſtabant, vt Zabinus, Polichronius, aliíque apud Theodoretum, quidam incurui incedebant ſiue propter ferri pondus, quo ſe onerabant, ſiue propter tugurioli anguſtias, cùm neque ſe erigere, neque ſe extendere iacentes poſſent. Thalelæus duabus rotis, quas deſcribit Theodoretus, corpus ſuum librabat, ita vt in perpetuo quodam eculeo torqueretur. De incluſorum vili, & paupere ſupellectili nihil attinet dicere; eam deſcribit Theodoretus in Zenone.

Septimò, quid porrò agerent in illis ſuis clauſuris incluſi coniicere facilè fuerit, diem videlicet oratione, & labore manuum diſtinguebant, vide quæ de Theodoſio, Publio, aliiſque ſcribat Theodoret. in ſuo Philotheo, atque author de vita Eremitica cap. 11. 42.

Octauò, denique eximiæ charitatis erga proximos opera minimè præteribant, in excipiendis hoſpitibus, inſtruendis diſcipulis, & hæreticis confutandis, quod vidimus in Martiano, Aphraate, Theodoſio, Limnæo, qui cæcos circa ſuam cellam erudiebat, in aliiſque licebit obſeruare, neque diutius in his pietatis operibus recenſendis immorandum videtur, ne lectori iam longioris diſputationis tædio laboranti moleſtiam faceſſamus: claudat ſapientiſſimus Theodorus Studita iſtam de incluſorum inſtituto tractationem, iambis non inelegantibus quos Latinos fecit eruditus Sirmundus in notis ad Gofridum Vindocinenſem: 43.

Incluſus ille eſt qui procul ab affectibus
Toto recluſit in Deum ſe pectore,
Fræno coërcens mentis errores vagos,
Animúmque curis erigens cæleſtibus,
Precibus inhærens, quæ perurunt dæmonas,
Et quo retruſæ res patent ſilentio,
Spe, gaudióque, neſcius fatiſcere;
Labore corpus, & fame exercens graui

Hymnos gemente ſpiritu iuges canens,
Hic Angeli ritu ore conſpicuo nitens
Dia intuentum corda colluſtrat face,
Nil vnquam inane ſuetus ad riſum loqui;
Sed quo iuuari ſentiant ſe qui audiunt,
Nec ſic profuſæ vela dans loquentiæ,
Hæc aſſequi ſi potis es, in tuto eſt ſalus;
Sin ad gregalem protinus vitam: redi,
Vbi porro agonas excolas aſceticos.

FINIS.

INDEX

INDEX
PRÆCIPVARVM
Rerum huius Operis.

Diſquiſitionem, Caput, Numerum, atque aliquando §. velConſectarium primis litteris deſignamus.

A.

Abbatiſſa.

AN ſit ſuperior monaſterij, & an poſſit dare licentiam ingrediendi monaſterium. diſquiſ.1. cap.5. n.13. & 17
Non niſi vrgente neceſſitate. n. 18. 19. 20.
Illi tamen poſſet delegari, n. 21
Eius quoque conſenſus ordinariè requiritur. n.22
Abbatiſſa exire poteſt è monaſterio ad homagium præſtandum ibid. n.54
Non tamen ad viſitanda monaſteria ſibi ſubiecta. n.58
Neque ad externa ædificia monaſterio coniuncta. ibid.

Abſtinere & abſtentio.

Quid ſit in ſacris? diſq.2.c.4.n.6.& 7

Acceſſus.

Acceſſus ad monaſteria Monialium diſtinguitur ab ingreſſu.d.1.c.9.n.1
Quinam eſſent ea in parte veterum mores. ibid. §.1.toto
Iura poſteriora circa idem. §.2
An ſit peccatum & quare accedere ad monaſteria Monialiũ.§.3

Anachoretæ.

Eorum laudes. diquiſit.3.c.1.n.10
Duo ipſorum genera. ibid.
Diuerſæ ſpecies. n.24. 25
Prius vulgò in Cœnobiis exercebantur, antequam ad Anachoreſim tranſirent. n.10.17.&.18
Aliquando tamen ab Anachoreſi incipiebant. n.11
An forent olim Religioſi.n.19.20. 21. 22. 23
An ſint iidem cum Eremitis.n.25
Duplex Anachoreſis, perpetua & temporaria. n.26
Anachoretæ incluſi. n.28

Alluuio.

Cauſa eſt ſoluendi clauſuram Moniali. diſquiſit.1. cap.6. n.52

Appellatio.

Non eſt licita à correctione regulari, diſquiſit.2. cap.2. n.47
Licita tamen eſt in iniuſto graua-

uamine. n.48.49
An Religioſus egredi poſſit, & ire ad ſuperiorem ad appellandum. n.50
Quis ſit Superior, ad quem appellandum eſt. n.52

Apocriſiarius.

Quiſnam eſſet. diſq.2. c.1.n.2

Apoſtaſia, Apoſtata.

Quid ſit Apoſtaſia. diſquiſit.2.cap.3. num. 1
An ad illam neceſſarius ſit animus deſerendi Religionem in perpetuum. n.2. & 3
Eſt eiuſdem ſpeciei Phyſicæ, & moralis cum fuga. n.4
Diſtinguuntur tamen iure quoad pœnas. n.5.6.& 7
Malitiæ Apoſtaſiæ. n.17
Apoſtata non eſt, qui dimittit aut occultat habitum ſuæ Religionis ex eo præcisè. n.8
Neque Nouitius recedens à Religione. n.9
Nec qui diſcedit à Congregatione non Religioſa. ibid.
Nec qui à Religione ſtatim rediens. n.11
Nec aliam Religionem inualidè licet ingrediens. n.15.& 16
Neque denique Apoſtata eſt, qui fugit è triremibus. n.12
Apoſtata tamen eſt, qui fugit è carcere Religioſo. ibid.
Qui etiam recedit à Societate Ieſu, in qua emiſit vota ſimplicia, verus Apoſtata eſt. n.10
Obligantur Prælati Apoſtatas inquirere & reuocare, ſi poſſunt. n.13
Non tamen illos, ſicut neque fugitiuos alere tenetur Religio. n.14
Cooperantes Apoſtaſiæ peccant contra iuſtitiam & Religionem. n.18
Et ſi fraude, vel vi cauſant Apoſtaſiam, tenentur de damnis Religionis, & ipſi Religioſo Apoſtatæ, quem ſic abduxerunt. n.19.& 20
Si verò vis & fraus abſfuerit, non tenebuntur niſi Religioni, non autem ipſi Religioſo. n.21
Non obligatur tamen hic cooperator, aut ipſemet ingredi Religionem, aut alium quempiam loco illius, quem ſeduxit ſubſtituere. n.22
Pœnæ Apoſtatarum ex antiquo iure. n.23.24.25. & 26
Nouo iure communi nullæ ſunt ipſo facto impoſitæ, ſed imponendæ tantum. numer. 27. ad 33

Aquæ minerales.

An ad illas hauriendas ſoluenda ſit clauſura à Moniali diſquiſit.1.c.6. n.50

Auditorium.

Quid eſſet in monaſteriis Monialium. diſq.1.c.2.n.26

B

Balnea.

AN cauſa ſumendarum balnearum permittendus ſit Moniali exitus è ſuo monaſterio. diſquiſit.1. c.6.n.50

Beguinæ.

Quænam ſint. diſq.1.c.13
An obligentur clauſura. ibid.

Bellum.

An ſæuiente bello ſolui queat clauſura Monialium. diſquiſit. 1. c.6. num.53

Canonicæ

C

Canonicæ ſæculares.

QVænam eſſent, & an aliquando damnatæ fuerint. diſquiſit.1. cap.3. n.9.fusè.
An clauſura teneantur. ibid.

Cantor.

An Cantores conſtituerent gradum & ordinem diſtinctum in Eccleſia. diſquiſit.1. cap.9.n.8.& 9
Iidem dicti Confeſſores. ibid.
Cantorum ſcholæ quid.diſquiſ.1. cap.2. n.21

Capillus.

Decaluatio ignominiæ cauſa inflicta. diſquiſit.2. cap.4. n.44
Clerici & Monachi in modum coronæ attonſi. ibid.
Abraſio comæ in pœnam. ibid.
Attonſio comæ quando vſurpata à pœnitentibus diſquiſit. 3. cap.2.n.47. 48
An ſacræ virgines attonſæ. ibid.

Carcer.

Monachis & Clericis vſitatus. diſquiſit.2. cap.4. n.42
Duplex fuit, mitior vnus, durior alter, qui & ergaſtulum.ibid.

Carthuſienſes.

Eorum Anachoreſis & incluſio audatur. diſquiſit.3. cap. 3 .n.21

Cella.

Quid ſit. diſq.1. cap.2. n.14.
Cellæ quomodo à Laura differrent. diſq.3. cap.3. n.3.

Choreprſcopi.

An eſſent veri Epiſcopi, cur creati, & quando deſierint.diſq.3.c.3.n.7

Cibus.

Cibus Monachorum qualis. diſq. 2. cap.4. n.39. 40.
Panis pœnitẽtium execratus. ibid.
Panis hordeaceus fuit pœnitentium. ibid.
Panis buccellatus quid. ibid.
Paximatia quid. ibid.
Incluſorum Cibus. diſquiſit.3.c.4. n.36

Clauſtrum.

Quid eſſet. diſquiſit.1. c.2.n.9.& 10.

Clauſura Monialium.

Clauſura quid ſignificet in præfat. n.1. 2. 3. & 4
Clauſura Regularis quid. ibid.n.5
Clauſura Monialium non eſt de iure naturali, aut diuino. diſquiſit.1. cap.1. n.2
Eſt de iure Eccleſiaſtico tam quoad ingreſſum, quàm quoad egreſſum è monaſterio. diſquiſit. 1. cap.1. §.2. & 3
Potuit Eccleſia clauſuram Monialibus imperare. §.4
1 Ex poteſtate iuriſdictionis. n.12
2 Ex poteſtate dominatiua. n.15
Sapienter imperauit eiuſmodi clauſuram. §.5
1 Vt conſuleret caſtitati. n.14
2 Vt vitaret infamiam & ſcandalum. n.15
3 Vt quieti ipſarum proſpiceret. n.16
Principes illi fauere tenentur.eod. cap. Conſectar.3
Conſuetudo illi derogare poteſt. ibid. Conſectar.4. & 5
Clauſuræ limites. diſquiſit.1. c.2. n.29
Nullus eſt locus medius, in quem externi & Moniales conuenire valeant. n.30
Omnes profeſſæ obligantur. ibid. cap.3. n.2
Etiam Conuerſæ. n.5
Tertiariæ profeſſæ. n.7. & 8
Non obligantur clauſura Nouitiæ. n.17
Neque oblatæ. n.11
Neque Canonicæ ſæculares. n.9
Immò ne ipſæ quidem Profeſſæ habi

habitantes extra monaſterium. num.30
Pœnæ violantium Clauſuram. diſq.1. cap.8
Reliqua vide v. *ingreſſus*, & v. *egreſſus*, & v. *licentia*, & v. *morbi*, & v. *pœna*.

Clauſura Religioſorum.

Viris Religioſis aliqua clauſura fuit imperata. diſq.2.c.1.n.1
Quod conſtat 1. ex antiquis canonibus. n.2
Ex omnium Ordinum Regulis. n.3.4. & 5
Denique ratione. n.6
Qualis ſit obligatio Religioſorum ad Clauſuram. d.2. cap.1. §.2
Eſt iuris quidem poſitiui, oritur tamen ex naturali. n.7
Eſt venialis aut mortalis pro violatione Religioſæ ſubiectionis ad Superiorem. n.10
Omnimodam Clauſuram Religioſis nequidem Pontifex imperare poteſt. eod.c.8.& 9
Pœnæ violantium hanc clauſuram. d.2.c.5.§.4

Clericus.

Clericorum peccantium pœnæ. d.2. c.4. à n.6
Primò prohibebantur aliqua ſui officij parte. n.6
Secundò à fratrum communione, id eſt ſacra, & ciuili cum aliis eiuſdem Eccleſiæ conſuetudine. n.8
Tertiò ſuſpendebantur totaliter. n.9
Quartò detrudebantur ad gradum inferiorem. ibid.
Quintò amouebantur ab ordine Clericali. n.10
Sextò negabatur etiam laica communio, & inter pœnitentes abiiciebantur. n.11
Denique per excommunicationem è cœtu fidelium eiiciebantur. n.12
Quomodo Clerici ad diuina officia monaſteria Monialium ingrederentur. d.1.c.1.n.10
Clericorum ſcholæ & quid in illis doceretur. diſq.1.c.2.n.21.& 22

Cœnobium.

Ipſorum laudes. d.3.c.1.n.7
Variæ eorum ſpecies. ibid.
De Sarabaitis. n.8
De Rhemoitis. ibid.
De Gyrouagis. n.9
Vita Cœnobitica antiquior Antonio. n.13
An prior Anachoretica. num.13. & 14
An ſit perfectior. ibid.§.6

Communio.

Communio peregrina quid eſſet. diſq.2.c.4. n.8
Communio laica quid. ibid.n.10
Communio data mortuis. ibid.n.46

Confeſſarius.

Monialium Confeſſiones excipiebantur prope altare. diſq.1.c.2.n.6
Quando & quomodo Confeſſarius ingredi valeat monaſteria Monialium. diſq.1.c.7.n.4

Confeſſor.

Varia huius vocis ſignificata minimè vulgaria: pro iudice eccleſiaſtico nimirum, & pro Cantore fusè. diſq.1.c.9.n.6.7.8.& 9

Conſuetudo.

Conſuetudo derogat Clauſuræ. d.1. c.1. confectar.4. & 5.
Quid poſſit conſuetudo circa legem poſitiuam. ibid.

Conuerſio, Conuerſi & Conuerſæ.

Quidnam in iure Canonico ſignificet Conuerſio. d.3.c.2.n.41
Quinam eſſent conuerſi monaſteriorum. ibid.& 42
An Conuerſæ Moniales obligentur

tur Clauſura. d.1.c.3.n.5
An Conuerſæ hodie poſſint admitti, ibid.n.6

Correctio fraterna.

Quomodo ſit intelligendum Chriſti præceptum de corrigendo priuatim fratre. diſq.2.c.4.n.52
Quis ſit incorrigibilis, & an incorrigibilitas differat à contumacia. ibid.n.61.62.& 63
Quænam incorrigibilitas ſufficiat ad eiectionem. num.64.65.66.& 67

Curia,

An Religioſus permitti poſſit adire Curiam. diſq.2.c.2.n.29
Idem de Clericis. ibid.

D

Dormitorium.

QVidnam eſſet antiquis Monachis. diſ.1.c.2.n.11
Singuli in ſingulis lectis dormiebant. ibid.
Lucerna tota nocte accendebatur in Dormitorio, ibid.

E

Eccleſia.

ECcleſiam monaſterij, in quam externi ſubeunt, nequit adire Monialis. d.1.c.2.n.31
Vbinam eſſet Eccleſia & Oratorium Monialium. ibid. num.5.& 7
Partes Eccleſiæ. ibid. n.6
Quænam Eccleſiæ dicerentur oratoria. ibid.n.4
In Internam Eccleſiam Monialium ingrediebantur Clerici ad diuina officia & Miſſas,& quomodo id fieret. d.1.c.1.n.10

Egreſſus.

Vide v. *Clauſura*, & v. *licentia*, & v. *morbus*.
Egreſſus è monaſterio prohibitus Monialibus. diſq.1.c.1.§.2.toto.
Cauſæ legitimæ permittendi Moniali egreſſum è monaſterio. d.1.c.6.toto.
1 Eſt ineuitabile aliarum Monialium periculum. n.1.2.3.& 4
2 Cauſa Epidemiæ quomodo intelligenda. n.5.19.ad 29
3 Cauſa lepræ. n.28.& 29
4 Cauſa incendij. n.32
Aliæ ſimiles cauſæ. ibid.& n.3
Alij caſus liciti egreſſus. 1. totius conuentus tranſlatio. n.55
2 Bonum monaſterij,in quod Monialis mittitur. n.56.57
3 Mutatio ordinis. ibid.
Religioſi nequeunt egredi è ſuo monaſterio ſine licentia. d.2.c.1.toto.
Cauſa egrediendi debet eſſe rationabilis. c.2.§.2
Modus exeundi è monaſterio.n.3.4.& 5

Eiectio, Eiectus à Religione.

Eiectio à Religione comparatur excomunicationi. diſq.2.c.4.n.1.2.4.& 5
Comparatur quoque depoſitioni Clericorum. n.6
Quoſnam habeat effectus. n.4
Duplex fuit eiectio vna è monaſterio. n.48
Altera è ſocietate fratrum. n.49
Huius poſterioris æquitas contra vnum Iſidorum defenditur.ibid.
Eadem oſtenditur ex nouo iure. n.50
Modus in illa ſeruatus. à n.51.ad 56
Ritus reconciliandi eiectum Religioni & Congregationi.n.55.& 56

Cur

Cur licita ſit eiectio. n. 56. 57. 58. 59
Nunquam fuit impoſita Monialibus. n.70
Quis poſſit expellere Religioſum. n.61
Quænam cauſa requiratur. n.62
Culpa nempe grauis & publica. ibid.
Non eſt neceſſaria contumacia. n.63
Aliqua tamen incorrigibilitas requiritur. n.64. 65. 66
Quænam delicta ſic puniri debeant. n.68. 69
Leuiora ſufficiunt in Societate Ieſu. n.69
An licita ſit ob impedimentum in profeſſione. n.72
An ob ineptitudinem ad officia Religionis. n.73
Eiectus tenetur. 1. mores corrigere n.74
2 Tentare reditum ad ſuam Religionem. 75
3 Religioni ipſum reuocanti parere. n.76. 77
4 Religio tamen non tenetur ipſum etiam emendatum recipere. n.78
5 Eiectus ſpe redeundi ad ſuam Religionem poterit aliam quamlibet ingredi. n.79. 80
6 Ad id nihilominus minimè obligatur, ſed poterit in ſæculo manere. n.81
7 Non poterit Religio ipſi imperare, niſi diſiunctiuè & conditionatè, vt aliam ineat. n.82
8 Si ad ſuam redeat, non debebit profeſſionem iterare. n.84
9 Manet ſemper obſtrictus votis ſubſtantialibus Religionis. n.86
10 Sed non votis profeſſioni annexis ſiue ſolemnibus, ſiue ſimplicibus. n.87. 88
11 Neque vllis aliis in Religione emiſſis. n.89. 90
12 Manet quoad votum obedientiæ ſubiectus Prælato regulari, quamuis ob defectum materiæ illius ſubiectionis vſus ferè ceſſet; non tamen vi voti ſubiicitur Epiſcopo, aliter quàm cæteri Clerici, aut laici, ſi ipſe laicus eſt. n. 91. 92. 94
13 Iniuſtè expulſus deberet ali à monaſterio; non verò iuſtè eiectus. n.95
14 Habet vſum & adminiſtrationem rerum, quas ſibi iuſto titulo acquirit. n.96
15 Bonorum dominium acquirit monaſterio, ſi fuit iniuſtè expulſus. n.79
At iuſtè expulſus acquirit illi Religioni aut Eccleſiæ, cui fuit applicatus. n.98
Quod ſi nulli fuit applicatus, acquirit ſuo monaſterio. n.99.
16 Non tenetur petere licentiam ab Epiſcopo vtendi bonis, quæ ſibi comparat. n.100
17 Illa ſibi omnibus viis licitis acquirere, & in quæ libuerit validè expendere etiam in turpia, ita vt qui cum ipſo contrahunt, non teneantur ad reſtitutionem. n. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108
18 Non obligatur ad Regularum & diſciplinæ regularis obſeruationem. n.109
19 Ideo ſi non ſit in ſacris, non tenebitur ad horas canonicas. n.110
20 Non tenetur ad ieiunia, aliáſque regulares auſteritates. n.111
21 Neque in vno tantum loco habitare. n.112

22 Nec ſuæ Religionis habitum deferre. n.113
23 Ex iure communi poſſet ad ordines promoueri, niſi crimen, ob quod eiectus eſt induceret irregularitatem. n.114
24 Iure tamen nouo Vrbani VIII. ſuſpenditur ab exercitio ordinum. n.115
Ideóque neque ad illos, neque ad beneficium, quod ipſos requirit, promoueri poterit. numer.116. 117.
25 Ex quibuſdam Religionum priuilegiis eiecti ipſarum nequeunt vlla ſacra miniſteria obire. n.118
26 Ex ea incapacitate omnium miniſteriorum ſacrorum aliqui colligunt eos eſſe infames. n.119

Epidemia.

Quidam ſunt morbi Epidemij fuſiſſimè. diſq.1. c.6.§.3. toto.
Quandonam Epidemia ſit legitima cauſa ſoluendi clauſuram. ibid. §.4
Sæuiente lue omnium clauſura ſolui poteſt. n.27

Epiſcopus.

Poteſt indicere clauſuram Monialibus ſibi ſubditis. diſq.1. c.1.n.17
Quid ipſi Tridentinum & Pontifices ea in re conceſſerint. ibid. n.18. 19
Quid poſſit in Religioſos eiectos. diſq.2. c.4. n.92. 93
Dat licentiam egrediendi Monialibus ſibi, aut Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubiectis diſq.1.c.5 n. 2.
Eiuſdem eſt cauſam egreſſus approbare in monaſteriis Superiori Regulari ſubditis. ibid.n.5
Dat quoque licentiam ingrediendi in monaſteria ſibi ſubiecta. ibid. n.6. 7. & 23.
An poſſit pro arbitrio monaſteria Monialium ingredi. diſq.1.c.7. n.6. & c.5. conſect.6.
Epiſcoporum peccantium diuerſæ olim pœnæ. diſquiſit. 2. cap. 4. n.13.
An poſſit abdicato Epiſcopatu ſecedere in monaſterium pœnitentiæ cauſa. diſquiſit.3. cap.2. n.20
Non licebat mulieribus ad Epiſcopia hoſpitandi cauſa diuertere. diſq.2.c.5. n.2.& 3.

Eremitæ, Eremus.

An Eremitæ ſint Religioſi. diſq.3. cap.1. n.20. 23
An ſint iidem cum Anachoretis. ibid. n.25.

Excommunicatio.

Eſt eiectio ab Eccleſia. diſquiſit. 2. cap.4. n.1.
Non priuat bonis internis. num.2. & 3.
Sed externis tantum communibus. n.4
Quo iure licita ſit. n.57
Quænam eſſet excommunicatio minor & maior in veteri Eccleſia. diſq.3.c.2. n.26.
Monachalis fuit quoque duplex. n.36
Leuior priuabat menſa communi, & dignitate imponendi Pſalmum. n.36
Grauior ſeparabat à menſa communi & Oratorio. n.37. 38
Non tamen eximebat officio ſacro. n.39
Modus imponendi eam excommunicationem maiorem apud Monachos. n.51. ad 56
Modus reconciliandi Monachos excommunicatos. n.55
Excommunicatio maior, quæ erat Anathema. diſq.3.c.2.n.31

F

Fœminæ.

FOeminis prohibetur ingreſſus in monaſterim Monialium diſq.1. cap.4. n.1.
An aliquando in illa admitti queant. cap.7.n.11
De ipſarum ingreſſu in monaſteria virorum. diſquiſit.2. c.5. toto.
Vbinam exceptæ in monaſteriis. diſq.1.c.2. n.19
Ipſarum cum viris Religioſis familiaritas damnata. diſq.1.c.1. n.14
In fœminis laudabilior virtus. diſquiſit.3. c.4.n.2
Seruant incluſione caſtitatem. ibid. n.5. 6. 7

H

Habitatio.

AN habitatio extra monaſterium poſſit permitti Religioſis viris. diſquiſit. 2. cap. 2. n. 8. 9. 10. & 11
Requiritur ad id grauis cauſa. numer.12. & 13
Quænam ſit cauſa legitima ad hanc habitationem permittendam. n.14
An ad ſtudia concedi queat. numer.30
Habitans extra clauſuram ad quid obligetur. n.15

Habitus.

Habitus regularis fuit ſemper ab aliis diſtinctus. diſquiſit. 2. cap. 2. n.15.16
Nefas eſt Religioſos illum dimittere. n.17.18
Qui vagandi animo illum dimittit, excommunicatur & quomodo. n.19. 20. & 21
An occultatio habitus puniatur ea pœna. n.22
An dimiſſio habitus intra monaſterium ſit culpabilis. n.23
An induens habitum alterius Religionis excommunicetur. n.24
An Prælatus permittere poſſit habitus dimiſſionem. n.25
In quibus caſibus licita ſit eiuſmodi dimiſſio habitus n. 26. 27. & 28
Habitus Religioſus profitentium ſtatum ſolemnem pœnitentiæ. diſq.3. cap.2. n.46
Incluſorum habitus. diſq.3. cap.4. n.34. 35
Cilicium & Raſum veſtis pœnitentium. diſq.2. c.4. n.43
Nouitij laicalem veſtem retinebant aliàs Raſam ferebant. diſq.2. c.1. n.63

Horæ Canonicæ.

Quidnam eſſet apud veteres Monachos complere orationem. diſq.1. cap.2. n.18
Pſalmi & Horæ Canonicæ à ſacris Virginibus recitatæ etiam domi. diſq.1.c.9. n.10
Quænam hora eſſet Lucernarium. ibid. n.11
Quidnam eſſet apud Monachos Pſalmum imponere. diſquiſ. 2. cap.4. n.36
Excommunicati Clerici, aut Monachi tenentur ad horas Canonicas. ibid. n.39
Religioſus eiectus, qui non eſt in ſacris, non tenetur ad horas Canonicas. ibid. n.110
Horæ B. Virginis quando & à quo inſtitutæ. diſq.3.c.4. n.1.

Hoſpes.

Hoſpitum cella fuit in externo monaſterio. diſq.1. c.2. n.17

Quomo

Quomodo excepti in monaſteriis. ibid.
Differentia hoſpitum laicorum & Clericorum. ibid.

I

Ianua, Ianitor.

IAnitorum munus. diſquiſit.1. c.1. num.3

Incluſi.

Quidam ſe monaſteriis ſponte includebant inde non egreſſuri. d.3. c.2.§.1
Incluſi in monaſteriis pœnæ loco. d.3.c.2. n.5. & 8
Incluſi in cellis & lauris. d.3. cap.3. toto.
Incluſi perpetui. d.3.c.4.toto.
Huius incluſionis, ſiue inſtituti origo & antiquitas. illo cap.4. §.1
Non modò viri, ſed & fœminæ hoc inſtitutum amplexæ ſunt. num.5
Laici & Clerici item illud ſectati. 4
Cauſæ huius inſtituti fuerunt 1. neceſſitas. n.6
2 Securitas. n.7
3 Pudicitiæ ſtudium. n.8
4 Pœnitentiæ zelus. n.9
5 Quietis, ſilentij & orationis amor. n.12
Locus incluſionis diuerſus fuit. §.4
1 Propriæ ædes. n.13
2 Ciſterna. n.14
3 Speluncæ. n.15
4 Sepulchra. n.16
5 Arborum cauitates. n.17
6 Maceriæ ſine tecto, vt ſub dio viuerent. n.18
7 Columnæ. n.19
8 Denique cellæ Incluſoria nominatæ. n.20
Ritus incluſionis iidem qui ſolemnis profeſſionis ſtatus pœnitentiæ. §.5.n.21
Exigebatur licentia & benedictio Epiſcopi. n.22
Incluſorum vita. §.6
1 Vix vnquam egrediebantur niſi ob grauiſſimas cauſas. n.23. 24. 25. & 26
2 Vix vllum in cella admittebant. n.27.28.29.30.& 31
3 Nunquam viri mulieres, aut illæ viros admittebant. n.32
4 Silentium perpetuum, niſi illud pij ſermones abrumperent. bant.
5 Ipſorum amictus & veſtitus auſterus fuit. n.35
6 Fœminæ oblongis & amplis velis vtebantur. n.36
7 Victus durior fuit. n.37
8 Varia pietatis opera exercebant.
9 Nonnunquam ſaluti proximorum quantum ferebat illud inſtitutum vacabant.
Quiſnam ſit verus incluſus docetur eſt Studita ſub finem operis.

Ingreſſus in monaſteria Monialium.

Antiqui mores circa illum ingreſſum, & quomodo fuerit tunc prohibitus. d.1.c.1.§.3.toto.
Omnibus etiam mulieribus prohibetur ille ingreſſus. d.1. c.4. num.1
An prohibeatur Reginis. n.2
An fundatricibus. n.3
An externis Monialibus. n.4
An Infantibus. n.5
An fatuis. n.6
An dum monaſterinm ædificatur liceat in illud ingredi. diſq.1. c.2.n.40
Cauſa permittendi ingreſſum

iſtum eſt ſola neceſſitas moralis monaſterij, aut alicuius Monialis, aut externorum, cui neceſſitati aliter nequit commodè prouideri. d.1.c.7.n.1
Maior poſtulatur neceſſitas ad ingreſſum virorum, quam mulierum. n.2
Quinam operarij & artifices, aut baiuli ſiue famuli admitti queant. n.5.6.& 7
An reus & Iudex ingredi queant. num.6
An Confeſſarius Religioſus ducere queat ſuum ſocium. ibid.
Alij caſus eo loco adducuntur. ib.

Ingreſſus in monaſteria virorum.

Non prohibetur ille ingreſſus viris. d.2. c.5. n.1
Ex antiquo more & iure prohibetur fœminis. §.1
Antiquæ Synodi ea in re. n.2.3
Veterum Monachorum auſtera diſciplina in hac parte. n.4
Idem hodie prohibetur ex iure potius tradito & non ſcripto, quàm ſcripto. n.5.& 6
Quid nomine monaſterij intelligatur in hoc caſu. n.7
Cauſa permittendi hunc ingreſſum eſt 1. neceſſitas. n.8
2 Pietas. n.9.& 10
Pœnæ fœminarum ingredientium illa monaſteria. n.11

L

Laura, Lauritæ Monachi.

Laura vnde dicatur. diſq.3.cap.3. num.4
Quomodo differat à cœnobio. n.1.2
An differat à Celliis. n.3
Singulis Lauris erant ſacræ ædes. num.6
Conſtruebantur in ſolitudine. n.7
Propiùs tamen aberant à cœnobiis. n.8
Lauritæ & Celliotæ vnius Patris imperio parebant. n.9
Ille ſingulorum neceſſitatibus prouidebat. n.10
Singuli degebant in ſingulis cellis inuicem ſeparatis. n.11
Sabbatho & Dominica conueniebant in Eccleſiam. n.13
Quid fieret in illis Collectis. n.14
Fiebat Miſſæ ſacrificium. n.15
Penſum hebdomadarium deferebant & aliud accipiebant. n.16
Vitam ducebant aſperam. n.17
Priùs in cœnobiis probabantur, quàm ad Lauram mitterentur. n.19
Aliqui in interiorem ſolitudinem quandoque diſcedebant. n.20

Lepra.

Quid ſit & quotuplex. d.1.c.6.n.30. & 31
An coniugi leproſo debeatur cohabitatio. ibid.n.29

Licentia.

Licentia Moniali facta ad egreſſum è monaſterio non eſt diſpenſatio. d.1. cap.5. n.8
Exigit cauſam legitimam, alioquin nulla eſt. n.11
Scripto tradi debet. n.10
An Scriptura requiratur in caſibus ordinariis. n.32
An in caſibus repentinis. n.33
An facultas dandi licentiam ſcripto quoque tradi debeat. n.34
An omiſſio Scripturæ in ea licentia ſit lethalis. n.35. & 36
Quis dare poſſit hanc licentiam. diſq.1. c.5. n.2
Epiſcopus in ſolis monaſteriis ſibi, aut Apoſtolicæ Sedi ſubiectis. n.3. & 4.

In aliis exemptis debet cauſam approbare. n.4 & 5
Abbatiſſa illam licentiam dare nequit. n.13. & ſeqq.
Neque Vicarius Generalis Epiſcopi ſine ſpeciali mandato. n.24. & 25
Capitulum ſede vacante poteſt dare licentiam iſtam n.26
Epiſcopo iniuſtè cauſam egreſſus, non approbante, aut licentiam negante, licitus erit exitus Monachi. n.29. & 30
In repentina neceſſitate ſi Superior adiri nequeat, non eſt neceſſaria licentia. n.31
Licentia egrediendi & ingrediendi finitur vnico actu. n.37
Ceſſat licentia ceſſante cauſa. n.38
Quomodo id ſit intelligendum. à n.39. ad 48
Quænam ſint legitimæ cauſæ huius egreſſus ver. *egreſſus*, & diſq.1. c 8. toto.
Licentiam ingrediendi in monaſteria dare poteſt Superior regularis, aut Epiſcopus in monaſteriis ſibi ſubiectis, & quomodo id intelligatur. diſq.1. c.5. §.3. toto
Prælatus qui poteſt aliis permittere ingreſſum iſtum, ſibiipſi licentiam ſumere poteſt, ſed in iiſdem tantum caſibus. n.27. & 28
Licentia egrediendi è monaſterio dari poteſt viris religioſis à quocumque Superiore. diſq.2. cap.2. n.1
Sufficiet tacita licentia. n.3
Dari quoque poterit generalis. n.3. & 32. 33. & 34
Grauiſſima vrgente neceſſitate nulla exigitur. n.4
Aliquando eſt diſpenſatio, & non mera licentia. n.5
Mera licentia non requirit cauſam, vt ſit valida; ſed vt ſit licita. n.6

Lucernarium.

Quale officium eſſet. diſq.1.c.2.n.11

M

Manus.

MAnuum impoſitio diuerſa & multiplex circa pœnitentes. diſq.3. cap.2. n.41. 42. & 43.

Monachi.

Monachi nomen vnde ductum & quid ſignificet. diſquiſit.3. cap.1. n.5.
In varias diuiſi claſſes, quibus ſingulis vnus aliquibus præficiebatur, omnéſque ſuberant vni Superiori. diſquiſit.2. c.4. n.15
Omnes ad duo genera reuocantur. diſq.3. c.1. n.3
Monachi Sarabaitæ & Rhenoitæ quinam. n.8
Quinam Gyrouagi. n.9
Monachorum delinquentium pœnæ v. verbo *pœna*.

Monaſterium.

Nomen illud varia ſignificat. diſq.3. cap.1. n.6
Antiquæ Monaſteriorum ſtructuræ. diſquiſit.1. c.2. §.1. & 4. & ſequentib. fuſiſſimè.
Serui Monaſteriorum quinam. diſq.1. c.2. n.25

Monialis.

De clauſura ipſarum, Vide ver. *Egreſſus*.
An poſſint eiici è Monaſterio & Religione. diſquiſit. 2. cap. 4. n.70
Fornicantes & nubentes qua pœna plecterentur. ibid.

Morbus.

Quinam ſint Epidemij & Endemij &

& Endemij morbi. diſquiſit. 1. cap. 6. §. 5. toto.
Quinam morbi contagioſi. ibid.
Quinam morbi præbeant cauſam Monialibus ſoluendi clauſuram. diſquiſit. 1. cap. 6. §. 6. toto. Conſectar. 1
An morbus lethalis, ſed non contagioſus, qui nequit intra monaſterium ſanari, ſufficiat ad ſoluendam clauſuram. ibidem. Conſect. 2

Mortui.

Cur mortuorum corpora pallis inuolui prohibet Concilium Antiſiodorenſe. diſquiſit. 2. cap. 4. n. 46

N

Nouitius.

NOuitiorum cella in exteriori monaſterio aliquando collocata fuit. diſq. 1. c. 2. n. 16
Pulſatorium quandoque fuit appellata. ibid. n. 27
Nouitij olim veſtem laicalem adhuc geſtabant. diſq. 2. cap. 2. n. 63
Subinde Raſam & Cameluchium tulerunt. ibid.
An Nouitiatus poſſit peragi extra monaſterium. n. 61. & 66
Nouitius habitans extra monaſterium minimè interrumpit Nouitiatum. diſq. 2. c. 2. n. 61
An valeat quoque habitum dimittere abſque Nouitiatus inciſione. ibid. n. 62. 63. & ſeq.

O

Oblatio, Oblati.

OBlati & profeſſi quomodo differant. d. 1. c. 3. n. 11
An oblatio infantum facta Religioni à parentibus obliget illos deinde puberes factos fuſiſſimè. d. 5. c. 2. a n. 16. ad 21

Oarium.

Quidnam eſſet & quibus illud deſerere liceret. d. 1. c. 2. n. 4
Vnde dictum. ibid.

Oratorium.

Quænam Eccleſiæ dicerentur oratoria. d. 1. c. 2. n. 4
Fuit proprium Monachorum. n. item 4
Cur templa oratoria nuncuparentur. ibid.
Vbi ſitum foret Oratorium in monaſterio. diſquiſ. 1. cap. 2. §. 2. toto.
Quænam forent oratorij Monachalis partes. n. 6

Ordines.

An inuiti ordinati validè ordinarentur, & lege continentiæ tenerentur. d. 3. c. 2. n. 6

Oſculum.

Datum fuit ante commmunionem. d. 2. c. 4. n. 46
Cur prohibitum fuerit dari mortuis. ibid.

P

Parentes.

PArentum extrema neceſſitas impedit filium ab ingreſſu Religionis. d. 2. c. 2. n. 36
Imò illum tunc exire è Religione obligat. ibid.
Communis neceſſitas parentum non obligat filium, vt Religionem non ingrediatur, aut illam deſerat. n. 37
Grauis neceſſitas parentum eſt cauſa ſufficiens permittendi filio commorationem extra

tra monaſterium. n.38
Non tamen inuito Prælato id poterit profeſſus. n.38. & 40
Imò neque tenetur Prælatus eam facultatem dare, ſi parentis neceſſitas filij profeſſionem ſecuta fuit. n.41
Quod ſi ea neceſſitas filij profeſſionem præceſſit, tenetur Prælatus eam commorationem extra clauſtrum filio permittere, & ille, ipſo inuito exire poterit. n.42.43.44.& 45
Debebit in omni caſu filius illi neceſſitati parentum, quantum eius ſtatus patietur, ſubuenire. n.46
An parentes validè offerant filios impuberes Religioni, v. *Oblatio.*
An poſſint cogere puellas, vt intra monaſterium educentur, v. *Puellæ.*

Pauperes.

Pauperum domus collocata erat in exteriori monaſterio. d.1.c.2.n.18

Peccata.

Quænam eſſent leuia & grauia peccata apud Monachos. d.2. cap.4. §.4
Leuia non erant ſolum venialia, nec grauia quæcumque mortalia in ſenſu Theologico. n.17. & 18
Quæ fuit etiam mens veterum Patrum, dum leuia & grauia peccata diſtinguunt. n.19
Publica tantum peccata puniebantur pœna publica apud Monachos. n.20
Idem quoque fuit ſeruatum in veteri Eccleſia. n.21
Imò non omnia publica peccata, ſed ſolum grauiora crimina publicè emendauit Eccleſia. n.22
Pœna leuitati & grauitati criminis reſpondebat. n.14.& 16
Apud Monachos ſolius ſuperioris totius monaſterij erat pœnam imponere. n.15
Quæ impoſitio fiebat in collecta coram congregatione. ibid.
Duplex erat pœna, vna ſpiritualis, vindicta dicebatur; altera erat corporalis punitio. n.23
Quænam eſſent leuiorum peccatorum pœnæ. n.24.ad 37
Grauiorum peccatorum pœnæ. §.7. 8. & 9
Hæ pœnæ fuerunt 1. excommunicatio maior. n.37
2 Flagellatio. n.41
3 Carcer. n.42
4 Cilicium. n.43
5 Decaluatio. n.44
6 Priuatio Clericatus. n.45
7 Priuatio Euchariſtiæ. n.46
8 Priuatio gradus. n.47
Et demum eiectio omnium grauiſſima. §.8
Pœnam publicam ſemper præcedebat correctio priuata. n 52
Pœnæ Clericorum delinquentium v. *Clericus.*
Pœnæ Epiſcoporum v. *Epiſcopus.*
Rei aliquando detrudebantur in monaſterium pœnitentiæ faciendæ cauſa. diſquiſit.3.cap.2. §.2
Vide ver. *Pœnitentia.*

Pœnitentia Pœnitentes.

Rei detruſi in monaſteria Pœnitentiæ cauſa. diſquiſit. 3. cap. 2. n.3. & 11
Non fiebant tamen, neq ue fieri iubebantur Monachi. n. 12. 13. 14. 15. 21
Quinam ad eam Pœnitentiam deputarentur, Clerici, Monachi, rariùs vero laici. n.14
In quo conſiſteret Pœnitentia in monaſterio facienda. n.13
Ea pœnitentium intruſio in monaſteria

naſteria nihil ipſorum ſanctitati detrahebat. n.21.23.24
Diſcrimen Canonicæ & publicæ Pœnitentiæ à ſtatu ſolemni pœnitentiæ. diſq.3.cap.2.n.26. 27. 28. 29. 30. 38
Pœnitentia Canonica habebat annexam aliquam excommunicationem, ſiue maiorem, ſiue minorem. n.30. & 38
Gradus pœnitentiæ Canonicæ quatuor erant. à n.31. ad 37
Illos tamen omnes ſemper decurrere non oportuit. n.37
Modus reconciliandi pœnitentes. n.34
Quis eſſet ſtatus ſolemnis pœnitentium. diſquiſit.3. c.2.§.5
Perpetuam caſtitatem vouebat, neque ſinebat vxores repetere. n.29
Quinam profiterentur hunc ſtatum pœnitentiæ. n.40. 41
1 Viri & fœminæ. ibid.
2 Laici. n.41
3 Clerici. n.43. 44
4 Epiſcopi. n.39
Ritus huius profeſſionis pœnitentiæ. n.40
1 Tempus erat ferè articulus mortis. n.40
2 Imponebantur illis manus. n.41. & 45
3 Aqua cineribus mixta aſpergebantur. n.45
4 Veſtiebantur cilicio. n.44
5 Induebant habitum Religioſum. num.46
6 Comam attondebant. n.47
Non tamen fœminæ pœnitentes. num.45
7 Includebantur monaſteriis. n.49
8 Diuerſa pœnitentiæ opera vſurpabant. n.50

Profeſſio.

Profeſſio facta poſt Nouitiatum extra monaſterium peractum valida eſt. diſquiſit. 2. cap. 2. n.66. & ſeq. fusè.
Conſcius nullitatis ſuæ profeſſionis poteſt Religionem deſerere. diſquiſit. 2. cap. 2. num.54.
Etiam ſua authoritate. num. 55. & 56
Neque grauiter peccat. n.57
Non obligatur ad Religionem redire. n.58
Non incurrit Tridentini pœnas. num.58
Qui habitum dimiſſum reaſſumit ad reclamandum audiri debet. n.60
An inualidè profeſſo liceat è monaſterio diſcedere, atque etiam habitum dimittere ad reclamandum contra ſuam profeſſionem. d.2.c.2. conſ.6

Pueri. Puellæ.

An Pueri oblati à parentibus Religioni poſſint ab illa puberes facti diſcedere. diſquiſit. 3. cap. 2. à n.13. ad 18
An Puellæ & quomodo poſſint educari in Monaſteriis Monialium. diſquiſit.1. cap. 7. n.7. fusè.
An parentes poſſint cogere puellas, vt in monaſteriis educentur. n.8. & 9
An pueri poſſint ingredi monaſteria Monialium. diſq.1.c.4. num.5

Pulſatorium.

Quidnam eſſet apud Monachos & Moniales. diſquiſit. 1. cap. 2. num.27

R.

Religio Religioſus.

Religioſi vox ſignificat Clericum & Monachum. diſquiſit. 2. in præfat. ver. *Monachus.* ver. *Anachoreta.* ver. *Cœnobita.* ver. *Monialis.*

Refectorium.

Quænam foret monaſterij pars. diſquiſit. 1. c.2. n.12.
Quoſnam liceret in illud admittere. ibid.

S

Salutatorium.

Quidnam eſſet in Eccleſia. diſquiſit. cap. 1. n. 9. & cap. 2. n.8. & n.28.

Schola.

Scholæ in monaſteriis & quomodo excitatæ. diſquiſit. 1. c.2. §.11. num.19
Aliæ externæ, aliæ internæ. ibid.
Scholæ Clericorum. n.21. & 22
Scholæ Monachorum. num. 22 & 23
Schola idem quod monaſterium. num.23
Scholæ templis proximæ olim. num.23
Schola Cantorum. n.21
Capitalis ſcholæ quid. ibid.

Secretarium.

Quid foret in Eccleſia. diſquiſit. 1. c.1. n.9
Duo erant Secretaria. ibid.

Subdiaconus.

Subdiacono non licebat vas Euchariſtiæ contingere. diſquiſit. 1. c.1. num.9
Quomodo fieret Subdiaconi ordinatio. diſquiſit.. 3. c.2. n.7.8. 9. & 10
Explicatur can.6. Concil. 8. Toletani de obligatione Subdiaconi ad continentiam fuſiſſimè. à n.6
Ordinabatur aliquando à Chorepiſcopis. n.10

Subdialis vita.

Subdiales ſub dio viuebant. diſquiſ. 3. cap.4. num.15

Stylitæ.

De illis. diſquiſit. 3. cap.4. num.16. & 17

V

Vicarius Generalis.

An poſſit licentiam dare quoad clauſuram Monialium. d.1. cap.5. num.24. & 25

Virga.

Virga paſtoralis ex qua materia & cuius figuræ. d.2. c.4. n.15
Eius vſus apud Monachos.

Virgo.

Virgines ſacræ olim domi aliquando profeſſæ. d.1. c.1. n.3
Virginibus noxia virorum familiaritas. d.1. cap.1. num.14. & d.3. cap.4. n.5

Vita.

Inſolitæ viuendi rationes cur à Deo inſtitutæ. d.3. initio.
Variæ Aſcetarum vitæ. d.3. cap.1. num.1
Vita cœnobitica, vide v. *Cœnobita.*
Vita Anachoretica, ver. *Anachoreta.*

FINIS.

ERRATA.

Prali currentis errata, quæ ſententiam, aut corrumpere, aut obſcuriorem reddere poſſent, aperiam cæteris omiſſis.

PAg.17.col.1.lin.28.vero,lege viro.p.20.c.1.8.3. dicta l.Zerola. p.24. col.2. l.4.exemplis l exemptis.p.27. col.2.l.3. Noëcæ l.Noëticæ.p.28.col.1.l.3.polúmque, l. potúmque.p.38.c.1. Baringis. l.Barangis. p.48.c.1.auditorum, l.auditorium p.51. c.2. remouere, l.remouere.p.57. c.1.beneficij,l.ædificij.p.70. c.1. diſtinctum, l.definitum.p.72.c.2.interrumpit,l.interrumpere, ibid.hinc, l.tunc. p.72. c.1. non poterit permittere, dele non.p.81.c.2. circa med.quare licentiam,dele quare.p.108 c 2.lin. penult. quando quis ingreditur,non(adde) peccabit.p.120.c.1. circa med.habitu l.halitu. p.125. c.2.l.5. eſt actu epidemius, l. non eſt actu epidemius, p.135. infectionibus euitandis. leg. infectionibus cutaneis. pag. 143. colum. 2. Authentica 8. aut vſu recepta 252. leg. Authentica eſt aut vſu recepta, & numerum poſitum dele p.146. c 2. externa l.extrema p. 177. c. 2. circa med. horum l. horam. p. 220. c.1. omnem canonem l. eumdem canonem. p. 273. c. 1. initio monaſterij l. miniſterij. p. 280. c.2. canibutæ l. cambutæ. p.283.c.1. animæ l. minimè. p.296. c.1. & 2. pazimatia l. paximatia. p.307.c.2. ſemperotas l. ſenipectas. p.315. c 1. delatum publicum l. delictum publicum. p.319. c.1.veritas appoſita, l. veritas oppoſita. p.363. c.1. circa med. includant, l. excludant. p.323. c.1. & 2. ſanctum Tuberonem l. ſanatum Tuberonem. p.429. c 2. ſtaurea l. ſtora. p.430. c.2. m. initio l. nitro. p.444. c.2. vocauit, l. vocant. p.447. c.1. & 2. Barudates l. Baradatus.

In Græcis hæc grauiora peccata.

Pag.31. col.1. ὑπασπίζειν, l. συνασπίζειν, p.29. c.1. ἀντιλέγειν, l. ἀντλέγειν. p.241. c. 1. ἰδιῶτατα, l. ἰδιώματα. p.268. c.1. ἀφοσιζιαδ, l. ἀφορίζιαδ. ibid. χαθαίρεται, l. καθαίρεσει. p.364. c. 2. ἐποποιεῖαδ, l. ἐποποιεῖαδ. pag. 454. lin. 5. αἰπθυνασηγεῖν, l. αὐτισυνασυγεῖν, cæteranon fuerit operoſum emendare.

AHT 1315943

6479

D 12.

XIV
D 25